




[illegible] librum hunc dono

[illegible] ac Edm. [illegible]

Viro Adm. Rev. [illegible]

[illegible] in

[illegible] plurimum gratiam [illegible]

Indignus Serv.

[illegible]

A. [illegible]

Anno Dni. 1762 d. 15 Junii


THEOLOGIA et UNIVERSA
Unus Trinus
Florebit quasi lilium Is. 35
Messias
Ecclesia
Fides
Prædestin
Missa
Papa
Opera
Lex
Candore et Amore.
SPE CULA TIVA
Rmo et Celsiss. Princ. ac Dño.
D. ADOLPHO
S. E. Fuld. Abbati, S.R.I. Princ.
D. Augustæ Archi-Cancellar.
per Germaniam et Galliã Pri-
mati Consecratæ.
MO RA LIS
FULDÆ
à Monte Mar. Per F. Angelin
Brinckman Ord. S. Fran.
1732
Sim. Thadd. Sondermeyr Sc. A.V.

THEOLOGIA UNIVERSA
Speculativa, Moralis, Polemica.

SPECULATIVA
De Deo, Angelis, Incarnatione, &c.

MORALIS
Cum Corollariis Casuum Conscientiæ, & Directorio Confessarii;

POLEMICA
Exhibens Doctrinam Acatholicam, Doctrinam Catholicam, Objectiones Acatholicas.

Quæ Quarta Editione auctior,

Auctore
R. P. ANGELINO BRINCKMANN,
Ord. S. Francisci FF. Minor. Lectore Jubilato, Provinciæ Thuringiæ S. Elisabethæ Ministro Provinciali.

Accessit MONITORIUM ad Sacerdotem Sacris fungentem Ministeriis.

WETZLARIÆ,
Typis NICOLAI LUDOVICI WINCKLERI.
Anno MDCCL.

PP. Eremitar. Camaldulensium
Insulae Regalis Vigrensis.

REVERENDISSIMO
ET CELSISSIMO
PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
ADOLPHO,
INCLYTÆ ET IMMEDIATÆ
ECCLESIÆ FULDENSIS
ABBATI,
SACRI ROM. IMPERII
PRINCIPI,
DIVÆ AUGUSTÆ
ARCHI-CANCELLARIO,
PER GERMANIAM ET
GALLIAM
PRIMATI,
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,
Dicata, Consecrata.

Reverendissime & Celsissime
S. R. I. PRINCEPS,
ac Domine, Domine Clementissime, &c. &c.



PRovincia nostra Thuringiæ S. Elisabethæ Ordinis S. Francisci quantum Inclytæ debeat Diœcesi Fuldensi, quantum glor. mem. Antecessoribus S. R. I. Principibus, Imperialis, atque immediatæ Ecclesiæ Fuldensis Abbatibus, eloqui debent, nec satis possunt quatuor in hac Diœcesi Ordinis Seraphici Conventus: Fuldæ in Monte ad B. V. Deiparam, Hammelburgi in Monte Palæo-

læopolitano ad Ss. 14. Auxiliares, Brückenavii in Monte Sinai ad S. Crucem, Salismonasterii ad S. Bonifacium; optima Provinciæ nostræ portio, & maximâ, quâ ipsius, etsi ad tres sese extendat Archi-Diœceses, & ad quinque Diœceses, in nulla major. quantum eadem Provincia, *Reverendissime Princeps*, *Tuæ* debeat *Celsitudini*, nec non *Reverendissimo*, atque *Perillustri Ecclesiæ Fuldensis Capitulo*, eloqui debet, & in seros, quibus steterit, loquetur annus Conventus noster Dermbaci in hac ipsa Diœcesi quintus, indéque quinque Christi vulneribus sacer, adhuc in cunis Benjamin, *Reverendissimam Celsitudinem Tuam* cum *Perillustri Capitulo* Patrem, qui fundator audit, agnoscens, veneránsque.

Tanto, *Reverendissime & Celsissime Princeps*, existente Provinciæ

noſtræ debito, quonam illud exſolvet? non auro & argento, quod Franciſcanis non eſt; Sed functionibus ſpiritualibus, quæ auro gemmíſque præſtant. Proinde non noſtra, nihil habentes, ſed nosmetipſos, nihil meliùs poſſidentes, *Reverendiſſimæ Celſitudini Tuæ*, Patriæque, qui in Patria Patriæ ſervituri, in Ara ad orandum, in Choro ad pſallendum, in Confeſſionali ad abſolvendum, in Cathedra ad prædicandum, apud infirmos ad aſſiſtendum offerimus, dicamus, conſecramus.

Ut verò hujus obligationis noſtræ habeatur monumentum, & internæ affectionis ſpecimen externum; *Univerſa hæc Theologia* in Monte Mariano, qui Benedictinus ſub Inclytæ Diœceſis Dominio exiſtens à Sæculo ſeptimo, nata, adeóque Domino fundi debita properat

ad

ad Aulam Fuldensem. *Speculativa* de Deo, Angelis & Incarnatione; *Moralis* de Moribus, *Polemica* de Fide. Hæc Fidem docet, quam Apostoli prædicaverunt; Martyres sanguine suo decoraverunt; Doctores Ecclesiæ verbo, & calamo propugnaverunt. Fidem docet, cujus si spectemus antiquitatem; post Apostolos non scit initium: si utilitatem; est sperandarum substantia rerum: si necessitatem; qui non crediderit, condemnabitur. *Marci 16.* Fidem illam antiquam, adeo utilem, & planè necessariam Buchonia, Inclyta nempe Diœcesis Tua, sine violatione tenuit à tempore, quo post S. Bonifacium est Benedictina, indéque benedicta. Tenuit eam, & tenet *Perillustris Familia Tua*, Fide Christiana non junior. Tenes eam, *Reverendissime & Celsissime Princeps*,

 sed

ſed qualiter? Theologiam dedico Polemicam, ſimul & Moralem, in ſignum, fidei jungenda eſſe opera, operibus fidem. Fides ſine operibus, opera ſine fide ſunt mortua. Fides, neceſſe eſt, ſit fortis, ſit viva, ſit charitate formata. Fidem vivam, fidem nempe & opera ſemper tenuit *Perilluſtris Familia de DALBERG*: Inſignia ejus intuens, *Lilia* video, & *Crucem*; Sed quid liliis cum cruce, cruci cum liliis? crucem ſcimus ſymbolum eſſe fidei, lilia caſtitatis; apertiùs loquor: *Crux* denotat fidem, *Lilia* caſtitatem, & in caſtitate alia opera bona. Dum igitur *Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps*, *Crux* & *Lilia* figurant fidem, & opera, aſſerere audeo: ſicut *Crux* & *Lilia* *Perilluſtri Familiæ Tuæ* ſunt Inſignia propria, atque nativa, ſic eidem propria, atque nativa ſunt fides ac

opera.

opera. Unde nullus *de DALBERG*, qui fide ſit famoſus, operibus infamis; multi verò, quos crux & lilia, fides nempe & opera mundo fecerê celebres, cœlo glorioſos.

Taceo S. R. I. Archi-Cancellarios, Cameræ Imperialis Præſides, Principum Cancellarios, Præſidentes, Vice-Dominos; &c. omitto Cathedralium Præpoſitos, Decanos, & univerſim quotquot ſive in choro, ſive in foro, mundo ſunt, & fuerê ſpectabiles. *Crux* & *Lilia*, fides & opera ex *Celeberrima Familia de DALBERG* non paucos promoverunt ad Infulam, Pedum, & Pallium; ad Archi-Epiſcopatus, & Principatus: *JOANNEM* Eccleſiæ Wormatienſi dederunt Epiſcopum, *WOLFFGANGUM* Sanctæ Sedi Moguntinæ Archi-Epiſcopum, *HERIBERTUM* Eccleſiæ Colonienſi

 pari-

pariter Archi-Episcopum, nec non utrique Ecclesiæ & Triumphanti, & militanti sanctum. Te verò *ADOLPHE*, *Crux* & *Lilia*, fides & opera Inclytæ Ecclesiæ Fuldensi die 8. Aprilis 1726. dederunt *Abbatem*, *S. R. I. Principem.* Fidem tuam, & opera, postquam Princeps, testantur Ecclesiæ, quas nullo non die frequentas; loquuntur Altaria, quibus crebro assistis; magnificant Cathedræ, è quibus indispensabiliter audis verbum Dei.

Sunt in Te fides & opera, & quidem, ut Principem decet, exemplariter; Sunt in Te Tuo docente Symbolo, *Candore*, & *Amore*, nimirum fides, *Candore*, opera *Amore*. Benè, optimè: fides sine candore fallax, sine amore informis; opera sine candore fucata, sine amore ingrata; candore verò & amore probantur. Fides & opera in Te, *ADOLPHE*, sunt

Can-

Candore & *Amore*: candorem exprimunt *Lilia*, *Crux* amorem; Liliis & cruce, candore & amore, fides Tua & opera ſubditis ſunt ad exemplum, Tibi in terra ad meritum, in cœlo ad præmium. Fides & opera in Te, *Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps*, ſunt candore & amore. Quo candore? quem ſonat echo: *ore*, *re*; quo amore: quem ſonat vocabulum Amore: demptâ ſemper literâ: *more*, *ore*, *re*. Sic vive diu, diu fides & opera ſint Tibi *candore*, *amore*; diu proſperè procede, & regna candore, *ore*, *re*; amore, *more*, *ore*, *re*. Nos verò ſervi Tui ſumus fideles, & devoti: fideles *candore*, qui probatur *ore*, *re*; devoti *amore*, qui noſcitur *more*, *ore*, *re*, hoc eſt corde, verbo, opere. A ſervo devoto & fideli, *Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps*, venit *Theologia hæc univerſa*: venit

venit *Speculativa* ad Antiſtitem noſtrum, acceptura approbationem; venit *Moralis* ad Inclytæ Eccleſiæ Fuldenſis Abbatem, ſub pedo, & mitra ovibus Chriſti diſpendenda, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant; venit *Polemica* ad S. R. I. Principem, tolerante Imperio fidei impugnatores, habitura propugnatorem, prævalitura etiam contra portas inferi; venit doctrina fidei & morum ad *Crucem*, & *Lilia DALBERGICA*, in liliis candorem, quo tenenda fides, in cruce amorem, quo facienda opera, figuratura Orthodoxis. Venit Theologia univerſa ad Dominum noſtrum Clementiſſimum: ut ſit in gratitudinis argumentum, atque Montis Mariani penſiunculam. Sic venientem, *Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps*, *Candore* & *Amore* admittere digneris; admiſ-

admiſſa ſerviet Deo, Tibi & Patriæ; etenim quidquid participat Divinitatis, ad Dei gloriam; quidquid æſtimabilitatis, ad magnam *Celſitudinis Tuæ* æſtimationem; quidquid doctrinæ Catholicæ, ad animarum in hac Diœceſi inſtructionem cedere, ſicut nobis eſt propoſiti, ita & curæ erit; atque ita poſt Theologiam abſtractivam, quæ Viatorum in terra, ſequetur intuitiva, quæ comprehenſorum in cœlo.

Ita optant, & orant

Reverendiſſimæ & Clementiſſimæ

CELSITUDINIS VESTRÆ

Humillimi, & devotiſſimi Servi

F. Angelinus Brinckmann,

Provincialis,

Et Provincia Thuringiæ S. Eliſabethæ Ordinis S. Franciſci Fratrum Minorum Recollector.

CEN-



CENSURA ORDINARII.

CUm *Theologia universa* à R. P. Angelino Brinckmann, Ordinis S. Francisci Lectore Jubilato, ac Provinciæ Thuringiæ S. Elisabethæ Ministro Provinciali composita, atque à Theologis ejusdem Ordinis revisa, eorum judicio nihil contra fidem, aut bonos mores contineat, apposita habens Corollaria Casuum Conscientiæ; hinc eam Confessariis utilem, & typis dignam censeo. Fuldæ die 15. Januarii Anno 1732.

Adalbertus L. B. à Walderdorff,
Imperialis & Immediatæ Ecclesiæ Fuldensis Capitularis, Reverendissimi ac Celsissimi Principis Consiliarius Intimus, in Spiritualibus Vicarius Generalis, & Perillustris Conventûs ad S. Salvatorem Superior. Mppriâ.

FACUL-

FACULTAS ORDINIS.

FAcultatem facimus Admodùm Reverendo in Christo Patri P. F. Angelino Brinckmann, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Ss. Theologiæ Lectori Jubilato, ac Provinciæ nostræ Thuringiæ S. Elisabethæ Ministro Provinciali, librum à se compositum, cujus titulus est: *Theologia universa &c.* à RR. Patribus Theologiæ Lectoribus ad id specialiter deputatis examinatum & approbatum, publicis typis committendi, servatis aliàs de jure servandis. Datum in Conventu nostro ad Ss. Apostolos Petrum & Paulum intra Civitatem Namurcensem die 8. Septembris Anno 1731.

F. Godefridus Stüve, totius Ordinis Seraphici Definitor, ac Nationis Germano-Belgicæ Commissarius Generalis. Mppriâ.



CENSURA THEOLOGORUM.

THeologiam universam, Speculativam nimirum, Moralem & Polemicam, ab Admodùm Reverendo Patre Angelino Brinckmann, Ss. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Provinciæ nostræ Thuringiæ S. Elisabethæ Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum Recollectorum Ministro Provinciali, succinctâ, clarâ & gratâ methodo concinnatam, quondam ab eo, quatenus speculativa est & moralis, publicis Disputationibus, Theologorum censuris, & prelo datam, nunc verò pluribus additionibus auctam, ac tertiò edendam, unà cum Directorio Confessarii, & Monitorio ad sacerdotem sacris fungentem Ministeriis, attentè à nobis subsignatis perlectam, Orthodoxæ fidei veritati, bonorúmque morum integritati consonam, animarum Pastoribus, Confessariis, Sacerdotibus, ac Theologiæ Candidatis omnibus non mediocriter utilem reperimus, ideòque ut denuò ad plurium utilitatem, in lucem

pro-

prodeat, novo prelo dignissimam censemus. Datum Limburgi in Conventu nostro Sancti Sebastiani ad Lahnam die 16. Octobris Anno 1731.

F. Ludovicus Eisenbach, Ss. Theologiæ Lector Emeritus, præfatæ Provinciæ Ex-Provincialis, & Custos actualis.

F. Reinhardus Rohner, Ss. Theologiæ Lector Emeritus, præfatæ Provinciæ Definitor actualis.



FACULTAS PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Privilegio Cæsareæ Majestatis cautum sit, ne quis per universum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Francisci Seraphici editos aut edendos imprimat, aut alibi impressos intra Sacri Imperii fines adducat & distrahat, absque consensu & facultate eorundem Patrum sub pœna Confiscationis Librorum, & mulctâ Viginti Marcarum Auri puri; hinc plenum illius Privilegii Cæsarei usum concedo Domino Nicolao

Ludovico Winckler, ut librum à me compoſitum, cui titulus: *Theologia univerſa, Speculativa, Moralis, Polemica, &c.* ſuis ſumptibus imprimere, ſuisque emolumentis vendere & diſtrahere poſſit ac valeat. Dabam Fuldæ in Conventu Montis Mariani die 15. Februarii 1733.

F. Angelinus Brinckmann,
Provincialis. Mppriâ.



LECTORI THEOLOGO.

LEgenda tibi ſiſtitur *Theologia univerſa*; ut legas benè: Nota, Lit. P. ſignificare peccatum, M. mortale, V. veniale. Quæſtionibus & Corollariis appoſita eſt vel authoritas, vel ratio, ſi non, facilè patebit recogitanti; legens eam recogita, ſic Theologia hæc erit ſpecierum & reſuſcitativa, & conſervativa, donec accidente lumine gloriæ, videas facie ad faciem Eum, qui eſt Theologiæ noſtræ objectum, principium & finis.

TRA-



TRACTATUS I.

De Deo Uno & Trino.

CAPUT PROOEMIALE.

De natura Theologiæ, principiis & objecto.

Quid sit Theologia & quotuplex?

HEOLOGIA, juxta Etymologiam nominis, est *sermo de Deo*; &, sermonem de Deo instituentes sunt *Theologi*; quoad rem est *rerum divinarum ex revelatis Sacra Doctrina.* S. Augustin. *14. Trin. c. 1.* Discurrit enim de Deo, rebusque divinis ex principiis supernaturalibus, scilicet Fidei. *Theologia* dividitur (1.) ratione methodi in *Positivam* & *Scholasticam*; hæc syllogisticè procedit, secus ista. (2.) Ratione subjecti in *Theologiam Dei, Beatorum & Viatorum*: *Prima* est comprehensiva, quâ Deus Se & omnia comprehendit; *Secunda* intuitiva, quâ Beati Deum vident facie ad faciem; *Tertia* abstractiva, quâ Viatores cognoscunt res divinas tantùm ex re-

velatis. (3.) Ratione materiæ in *Speculativam*, quæ de ſpeculabilibus; in *Moralem*, quæ de practicis; & in *Polemicam*, quæ de articulis fidei controverſis.

An ſit Scientia & qualis?

Theologia non eſt ſcientia in rigore philoſophico; *quia Concluſiones ejus non ſunt evidentes, utpote illatæ ſaltem ex una propoſitione revelata & eatenus obſcura:* Eſt tamen ſcientia in latiore acceptione, quatenus cognitio certa & infallibilis; imò ſcientiis naturalibus eſt certior; *quia certius habet motivum aſſentiendi, idque Revelatio Dei.* Eſt Eccleſiæ neceſſaria: *quia inſtruit in fide & moribus.* Eſt ſimpliciter practica; *quia provocat ad Deum vel amandum vel colendum &c.*

Principia Theologiæ.

Principia ſcientiæ ſunt illa, ex quibus ſuas infert concluſiones. Theologiæ principia ſunt veritates divinitus revelatæ, aut ſaltem una præmiſſa revelata ſive mediatè ſive immediatè, & altera naturaliter evidens; *quia Concluſio ex illis deducta eſt Theologica.* Hæc reduplicativè ſumpta nec ſupernaturalis eſt (utì & habitus ejus) nec de fide Divina; *quia intellectus non aſſentitur illi immediatè propter revelationem, ſed propter connexionem ejus cum præmiſſis.*

Objectum Theologiæ.

Materiale ſunt res omnes mediatè & virtualiter revelatæ; *quia ſunt ſubjectum concluſionis Theologicæ.*

Forma-

Formale quod ſeu *terminativum* eſt Deus ſub omni ratione, ſub qua à Theologia conſideratur, adeóque ſub ratione *Deitatis*, *Trinitatis*, *Juſtificatoris &c.* ùt patet. *Formale quo* ſeu *motivum*, ídque *remotum* eſt Deus ſub ratione *primæ veritatis in teſtando*; *proximum* ſunt principia Theologica, ùt connexa cum concluſione; nam hæc immediatè movent ad aſſenſum concluſionis, veracitas Dei ad aſſenſum præmiſſarum.

CAPUT I.

De Exiſtentia Dei, Eſſentia & Attributis.

An ſit Deus?

DEum eſſe, eſt per ſe notum quoad ſe; *quia exiſtentia eſt de eſſentia Deitatis; adeóque de ſe ei convenit absque medio & ratione à priori.* Quoad nos notum eſt per fidem & demonſtrationem; *quia exiſtentia Dei eſt revelata, & ex his, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur.*

Quid ſit Deus?

Deus eſt *Ens à ſe; à quo, per quem & in quo ſunt omnia*; unde prima ratio Deitatis conſtitutiva & diſtinctiva eſt *Aſeitas; quia hæc ſeu eſſe abſolutum & independens eſt radix omnium divinarum perfectionum*; & Moyſi quærenti nomen Dei reſpondit: *Ego ſum qui ſum.* Unde S. Bern. *Nihil competentius Deo, quàm hoc nomen: qui eſt.*

Attributa Dei

Sunt perfectiones, quæ non ſunt de primo conceptu Dei, ab eſſentia inſtar proprietatum pullulantes. Alia ſunt *negativa*, ùt infinitas, immutabilitas, immenſitas &c. Alia ſunt *affirmativa*, ùt omnipotentia, ſapientia, juſtitia, &c. Hæc formaliter ſumpta ſunt in Deo; *quia perfectiones*; priora ſolùm fundamentaliter: *quia ſunt negationes*. Attributa poſitiva cum eſſentia & perſonalitatibus realiter (ùt fides docet) identificantur, formaliter ex natura rei ab eis & inter ſe diſtinguuntur. Scotus *1. d. 2. quæſt. 7.* quia contradictoriè convenit his ante intellectum, quod non convenit illis, & in conceptibus ſuis adæquatis ſeſe non involvunt.

CAPUT II.

De Attributis in particulari.

ATtributa Dei, quorum ratio nullatenus competit creaturis, ſunt *infinitas, ſimplicitas, immutabilitas, ineffabilitas, inviſibilitas, æternitas, immenſitas, ubiquitas*. Unde Deus eſt infinitus, ſimplex, immutabilis, ineffabilis, inviſibilis, æternus, immenſus, ubique. Infinitus eſt; *quia magnitudinis ejus non eſt finis. Pſal. 144.* Eſt ens omninò ſimplex abſque compoſitione & componibilitate; *quia actus purus*. Eſt immutabilis; nam ipſe ait *Malach. 3. Ego ſum Deus & non mutor.* Eſt ineffabilis & incomprehenſibilis; *quia infinitus*. Eſt inviſibilis; *quia lucem inhabitat inacceſſibilem.*

bilem. Eſt æternus; *quia exiſtit independenter ab alio ſinè principio & fine.* Eſt immenſus; *quia nulla poteſt circumſcribi termino.* Eſt ubique per præſentiam, omnia cognoſcenda; per potentiam, omnia operando; per eſſentiam, cœlum & terram implendo.

CAPUT III.

De Viſione Dei.

Quomodo Deus ſit viſibilis?

VIſibilis eſt non oculo corporeo; *quia Spiritus*: nec ab intellectu naturaliter; *quia ſpeculum voluntarium*: ſed ab eo per lumen gloriæ elevato ſive in via, ſive in patria; *quia merces Sanctorum.*

Principia Viſionis

Sunt Deus, lumen gloriæ & intellectus; inde viſio eſt beatifica, ſupernaturalis & vitalis. Species impreſſa Dei (quæ eſt qualitas virtualiter Deum repræſentans, & concurrens ad viſionem cum intellectu, quem determinat) eſt poſſibilis; *quia nulla ipſius repugnantia*: at ſuperfluit; *quia ad viſionem immediatè concurrit, ut objectum motivum, ipſa eſſentia.*

Objectum Viſionis

Primarium eſt Deus, *ſicut eſt. 1. Joan. 3. Secundarium* ſunt creaturæ; *Nam Beatus videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum*, inquit S. Bern. 5. *de Conſideratione*

ratione c. 1. De potentia abſoluta videri poteſt eſſentia ſinè Perſonis, & una Perſona ſinè altera; *Filius ſinè Patre terminat unionem hypoſtaticam, cur non poſſet viſionem?* Inæqualitas viſionum phyſicè eſt ab inæqualitate intellectuum; *Ubi enim perfectior cauſa, perfectior eſt effectus:* moraliter eſt ex inæqualitate meritorum; *quia Deus reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Rom. 2.*

CAPUT IV.
De Scientia Dei.

Objectum intellectûs divini

T*Erminativum* eſt omne intelligibile; *non enim eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu Ejus. Hebr. 4.* *Motivum* eſt eſſentia divina movens ad ſuî & aliorum cognitionem; *quia infinitam habet vim repræſentandi quidlibet, prout repræſentabile; idque repræſentans ùt factibile, habet rationem ideæ.* Creaturæ ſunt objectum merè terminativum, etiam ſecundùm eſſe proprium, quatenus in Deo repræſentatum; *quia, ſi eſſent motivum, ab eis dependeret divina ſcientia.*

Scientia Dei

Eſt *cognitio comprehenſiva ſuî ad intra & extra*; de objecto neceſſario eſt *neceſſaria*, de libero *libera*, operabilium eſt *Practica*, Scibilium *Speculativa*; libera terminativè potuit non eſſe in Deo. Quælibet ſcientia Dei vel eſt *ſimplicis intelligentiæ* vel *viſionis*: *Prima* eſt merè poſſibilium, *Secunda* pro aliqua

aliqua temporis differentia existentium; & quidem possibilia cognoscit Deus in essentia sua, ùt in medio prius cognitò; *nam se ipsam noscens Divina Sapientia, novit omnia*, inquit D. Dion. *de div. nom. c.7.* Futura contingentia, sive absolutè sive conditionatè, videt in decreto concomitante; *quia sinè Decreto non sunt futura, adeóque non cognoscibilia*: & sicut concursus Dei in tempore est simultaneus, ita decretum ab æterno est concomitans, quatenus Deus creaturæ volens libertatem, coincidit in determinationem ab ea in tempore ponendam.

CAPUT V.

De Voluntate Dei.

Objectum voluntatis divinæ.

DAtur in Deo voluntas. *De Fide.* Objectum ejus *motivum* est increata Dei bonitas; nam *Proverb. 26. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* *Terminativum* sunt etiam creaturæ; *quas si non vellet, Creator non esset. Peccatum nihil est*, ait S. Augustin. ídque factum sine ipso, puta, Deo. Deus amat se necessarió, tum quoad speciem, quatenus non potest se odisse; tum quoad exercitium, quatenus non potest se non amare; liberè tamen libertate essentiali, quatenus voluntariè sinè coactione; *quia bonus, nequit se odisse, neque non amare, quia immutabilis.* Creaturas actuales amat amore benevolentiæ & liberè; *quia benevolè & liberè producit*: possibiles

biles amore ſimplicis complacentiæ & neceſſariò; *quia poſſibiles, non poteſt velle non poſſibiles.*

Libertas Dei.

Eſt in Deo libertas: *Omnia quæcunque voluit, fecit. Pſal. 113.* Volitio Dei libera, ſive ſit contrarietatis, ſive contradictionis, eſt unus ſimpliciſſimus actus divinæ voluntatis, isque neceſſarius in eſſendo, & liber ſolùm in terminando; *quia volitio eſt libera, ſi poſſit abeſſe ab objecto, ſeu terminari vel non terminari ad objectum, quamvis nequeat abeſſe à ſubjecto.*

Prædeſtinatio.

Deus omnibus providet creaturis. *Sap. 6.* Vult omnes homines ſalvos fieri. *1. Tim. 2.* Prædeſtinatio *completè* ſumpta eſt volitio gratiæ ac gloriæ quibusdam conferendæ; *incompletè* ſumpta eſt volitio vel ſolius gratiæ, vel ſolius gloriæ: *Prior* facta eſt ſine meritis; *nam ſi gratia, jam non ex operibus. Rom. 11.* *Poſterior* facta eſt poſt præviſa abſolutè merita; *Deus vult omnes ſalvos fieri. 1. Tim. 2.* At cur non omnes ſalvantur? *Quia non vult efficaciter.* Cur non efficaciter? *Quia non prævidit merita, ſinè quibus neminem ſalvat.* Unde Ambroſ. inquit *lib. 5. de Fide c. 3.* *Quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* Reprobatio, quæ eſt rejectio à gloria, facta eſt poſt præviſa abſolutè demerita; *quia Juſtitia vindicativa ſupponit culpam abſolutè exiſtentem.*

CA-

CAPUT VI.
De Exiſtentia & Eſſentia Trinitatis.

An plures Perſonæ Divinæ?

TRinitatem Perſonarum, & Naturæ Unitatem in Deo fides docet, ratio non convincit. In Deo quatuor ſunt Relationes reales, ſcilicet *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa* & *Spiratio paſſiva*: *quia reale eſt earum fundamentum nempe Generatio & Proceſſio.* Per has Relationes conſtituuntur tres Perſonæ: *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*; Pater in eſſe perſonali per Paternitatem, Filius per Filiationem, Spiritus Sanctus per Spirationem paſſivam: *quia* (ùt dixit Joannes Theol. *in Concil. Florent. Seſſ. 18.*) *ſola Relatio multiplicat Perſonas.* Spiratio activa à Paternitate & Filiatione eſt realiter indiſtincta: *quia iis non opponitur relativè.* Perſonæ inter ſe diſtinguuntur realiter: *quia Pater generat Filium, non Se Ipſum, Spiritus Sanctus ex Patre Filióque procedit, non ex Se Ipſo.*

Tres Perſonæ ſunt Unus Deus.

Ita habetur *1. Joan. 5. Hi tres unum ſunt*, nimirum quælibet trium Perſonarum eſt Deus, & tres ſunt Unus Deus. *De fide ex Deut. 6. Audi Iſraël, Deus, Deus noſter, Deus tuus Unus eſt.* Ratio eſt; *quia unam habent naturam, ſicque non diſtinguuntur ſe totis.*

Personalitates & Subsistentiæ.

Personalitates sunt tres scil. *Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva*; Formaliter sumptæ nec perfectæ sunt, nec imperfectæ: quis dicat imperfectas? si quis autem dicat perfectas, dicit unam Personam non habere perfectionem, quam habet altera. Tres sunt Subsistentiæ relativæ & una absoluta: per relativas nempe Personalitates Natura Divina existit incommunicabiliter alteri supposito; per absolutam eadem Natura præintellecta Personalitati existit per se & independenter ab omni alio, sed communicabiliter.

CAPUT VII.

De Divinis Processionibus.

An in Deo Processiones?

PRocessio in Divinis est Origo, quâ una Persona procedit ab altera. Duæ sunt in Deo Processiones ad intra, una Filii à Patre per intellectum, altera Spiritûs Sancti à Patre Filióque per voluntatem. *De Fide.* Ratio: *quia duæ sunt in Deo potentiæ, Intellectus & Voluntas; & duæ Personæ scil. Secunda & Tertia productæ, primâ emanante à Natura.* Intellectus in Patre est productivus notitiæ genitæ, hæc cùm sit in Deo, est infinita & consubstantialis Genitori, ideóque subsistit per se & est Persona; similiter voluntas in Patre & Filio producit amorem, qui est Spiritus Sanctus, per se subsistens, & Persona.

In

In quo consistat Processio?

Processio Filii consistit in dictione, non intellectione; Processio Spiritûs Sancti in spiratione, non volitione: *quia intellectus producit in solo Patre, voluntas in Patre & Filio; ideóque hac Spiratione, quæ propria est Patri & Filio; iste dictione, quæ propria est soli Patri; intellectio & volitio respiciunt objectum cognitum & volitum, dictio & spiratio terminum productum.* Processio Verbi est naturalis & propriè generatio: *quia Filius procedit per intellectum Patris fœcundum, vivens à vivente in identitatem Naturæ.* Processio Spiritûs Sancti non est generatio: *quia fit per voluntatem,* adeóque voluntaria est & libera libertate essentiali; est simul necessaria: *quia non potest non esse. Spiritus Sanctus non est Filius,* inquit Aug. *l. 15. de Trinit. c. 14. quia exit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus.*

Principium Processionum.

Principium *quod* Divinarum Processionum sunt Personæ producentes. *De Fide.* Ratio: *quia principium realiter distinguitur à termino producto; hoc autem potest solis convenire personis.* Principium *quo remotum* est Essentia Divina, *proximum* intellectus & voluntas: *quia Verbum, quod est Filius, habet immediatè procedere ab intellectu; Amor, qui est Spiritus Sanctus, à voluntate, non à natura;* ab hac tamen Filius & Spiritus Sanctus procedunt mediatè: *quia Filius est ex substantia Patris, & Spiritus Sanctus ex substantia Patris Filiique. Florent. Sess. 19.*

Quam-

Quamvis intellectus Patris ante generationem cognoſcat omnia, quæ ſunt Patris, formaliter tamen fœcundatur cognitione ſolius Eſſentiæ Divinæ, antequam generet Filium; Patris & Filii voluntas fœcundatur amore ejusdem Eſſentiæ, antequam ſpiret Spiritum Sanctum. *Boyvin: quia ſola Eſſentia Divina eſt objectum motivum Divini intellectûs & voluntatis.*

Terminus Proceſſionum.

Terminus *totalis* Divinarum Proceſſionum eſt Perſona producta. Ambroſ. *de Divin. c. 7. Formalis productus* eſt Perſonalitas; *formalis communicatus* Eſſentia: *quia Eſſentia communicatur, Perſonalitas producitur, & utraque complet Perſonam.*

CAPUT VIII.

De Divinis Perſonis in particulari.

An & quot Notiones in Deo?

NOtio eſt ratio Perſonam notificans & diſtinguens. Sunt quinque ſcil. *Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio paſſiva: quia per has cognoſcimus unam Perſonam diſtingui ab alia.* Unde

Prima Perſona vocatur 1. *Pater* reſpectu Filii: quia genuit ipſum de ſubſtantia ſua. 2. *Principium* reſpectu Spiritûs Sancti: quia hic procedit ab ipſo tanquam principio, non ùt causâ. 3. *Innaſcibilis*: quia eſt principium ſinè prin-

principio, & fons totius Divinitatis; ùt dicit Aug. *4. de Trinit. c. 2.*

Secunda Persona vocatur 1. *Filius* respectu Patris: quia procedit naturaliter in similitudinem naturæ intellectualis. 2. *Verbum*: quia est terminus productus locutione. 3. *Imago Patris*: quia ejus est similitudo vi suæ processionis.

Tertia Persona vocatur 1. *Spiritus Sanctus*: quia procedit per voluntatem amore Essentiæ Divinæ fœcundatam, quod est spirari. 2. *Amor*: quia est terminus productus dilectione. 3. *Donum*: quia procedit liberè, quomodo datus. Spiritus Sanctus ex Patre Filióque procedit ùt uno principio: *quia unam habent virtutem spirativam.* Si tamen per impossibile procederet à solo Patre, esset idem Spiritus: *quia terminus esset ejusdem virtutis spirativæ*; distingueretúrque realiter à Filio: *quia existeret procedendo, Filius nascendo, quod ad diversitatem sufficit*, ùt habet S. Ansel. *in Epist. contra Græcos c. 4.*

Quid Circuminsessio?

Circuminsessio est mutua Personarum in se invicem inexistentia, fundata in identitate Naturæ, juxta illud *Joan. 14. Ego in Patre & Pater in me est.*

Quid Missio?

Missio in Divinis est processio originalis Personæ Divinæ à Persona mittente ad creaturam, in qua incipit esse novo modo per effectum visibilem, vel invisibilem. *Ex communi.*

Missio

Missio alia est *activa*, alia *passiva*: *activa* convenit Personis producentibus, *passiva* productis. Missio præter processionem à mittente dicit effectum aliquem temporalem Personæ missæ specialiter convenientem: Sic Filius missus est à Patre in mundum; *quia à Patre procedit, & illi convenit opus redemptionis humanæ.*



TRACTATUS II.
De Angelis.
CAPUT I.
De Natura Angelorum.
An dentur Angeli, quid sint?

ANgelus est substantia spiritualis, completa & finita. *Ex communi.* Angeli existunt. *De fide.* Sunt incorporei & incorruptibiles: *quia Spiritus*, ad *Heb.1.* Sunt tamen annihilabiles: *quia Creatura.*

Angelorum Hierarchia & Chori.

Tres sunt juxta D. Dionys. Angelorum Hierarchiæ, & in qualibet tres Ordines seu Chori, adeóque universim novem. Est autem Hierarchia Angelica Cœtus variorum Angelorum, qui potestate & functione cum quadam subordinatione præditi inter se unum corpus efficiunt.

Cho-

Chorus verò seu Ordo est Cœtus Angelorum alicujus Hierarchiæ, in eadem speciale munus habentium. *Ex communi.* In suprema Hierarchia sunt Seraphini, Cherubini & Throni; in media Dominationes, Virtutes & Potestates; in infima Principatus, Archangeli & Angeli.

Angelorum distinctio & creatio.

Omnes Angeli solo differunt numero, sicut homines: quia juxta Aug. *l. 3. de liber. arbit. c. 11.* officio sunt impares, naturâ pares. Sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt. *Exod. 20.* adeóque & Angelos, non in cœlo empyreo, *quia Lucifer in hoc voluit conscendere, Isa. 14.* Sed in sidereo, *quia de cœlo cecidit ùt fulgur. Luc. 10.*

CAPUT II.

De Angelorum intellectu & voluntate.

Quomodo cognoscant Angeli?

INtellectus Angelicus de se est indifferens ad cognitionem abstractivam & intuitivam. Abstractiva est cognitio rerum absentium, intuitiva præsentium: ad hanc determinatur per objectum, ad illam per objecti species.

Unde sint Species Angelicæ?

Aliquæ rerum species fuerunt Angelis in principio creationis à Deo infusæ: ùt docet Aug.

Aug. *l. 4. de Gen. c. 22.* Creaturæ priùs ſunt factæ in mentibus Angelicis, quàm in ſe ipſis. *At quomodo?* per ſpecies; ut ſtatim cognoſcerent Creaturas & Creatorem. Aliæ ſpecies ab ipſis Angelis ſucceſſivè ſunt acquiſitæ: *quia poſtea res plures cognoverunt, cognoſcendo ſpecies acquiſiverunt.*

Quid cognoſcant Angeli?

Angeli per ſe cognoſcere poſſunt quæcunque entia ſupernaturalia creata, item ſecreta cordium: *iſta enim proportionem habent naturalem in eſſe cognoſcibilis cum intellectu naturaliter operante.* De facto tamen ea non cognoſcunt: *quia ſolus Deus novit cor filiorum hominum. 3. Reg. 8.* neque certò cognoſcunt futura contingentia à libero arbitrio dependentia: *quia nullum datur ad ea cognoſcenda determinativum.*

Quomodo loquantur & illuminent?

Angeli loquuntur producendo in intellectu audientis cognitionem de objecto habitam, aut ejusdem imprimendo ſpeciem, D. Bonav. Becan. Superiores illuminant inferiores, veritates ſibi ſpecialiter revelatas manifeſtando. S. Dionyſ. *de Cœleſt. Hier. c. 7.*

Quomodo velint?

Voluntas Angelica naturâ ſuâ eſt mutabilis: *quia libera;* unde dicit S. Damaſcen. *l. 2. c. 3.* Quod Angeli ad malum inflecti nequeant, non ipſorum naturæ eſt, ſed Dei gratiæ.

CA-

CAPUT III.

De Angelorum loco, motu & operatione.

Quomodo Angeli sint in loco?

ANgelus est in loco definitivè, scil. totus in toto & totus in qualibet parte, quemadmodum anima rationalis in corpore. Formaliter est in loco per ubi modale; quod indivisibile est ex parte subjecti scil. Angeli, divisibile ex parte spatii, cujus singulis partibus totam substantiam Angeli intimè sistit, ùt unio animam corpori. Naturaliter non possunt esse extra locum suum adæquatum, nec in pluribus inadæquatis discontinuis: *aliàs velut à se dividerentur.* Possunt tamen esse in loco minimo: *quia sunt indivisibiles;* & plures simul in eodem: *quia carent quantitate.*

Quomodo se moveant?

Angeli habent facultatem motricem, quâ & se & res creatas movere possunt: *Angelus enim Domini descendit de cœlo & revolvit lapidem. Matth. 28.* Motus eorum esse potest tum continuus movendo se ad locum successivè; tum instantaneus, movendo se ad locum contiguum in instanti; non tamen se movere possunt in locum distantem sinè transitu per medium, aliàs naturaliter in momento possent de coelo transire ad terram.

Ad quid mittantur?

Angeli mittuntur ad ministeria hominum, quandoque visibiliter in corporibus assumptis, sic missus fuit Angelus Raphaël. *Tob.* 5. Plerumque invisibiliter, sic mittuntur ad custodiam hominum. *De Fide.* Et singuli ad custodiam singulorum. *De mente P. P.*

Quomodo assumant corpora?

Angeli quandoque assumunt corpora, ut patet suprà de Archangelo Raphaële. Ad corporis assumptionem requiritur, ut Angelus existat in corpore (sive verum sit, sive ex aëre & vaporibus efformatum) sicut motor in mobili, eóque utatur ad suî repræsentationem. Becanus. In corporibus assumptis possunt ambulare, comedere, loqui, non verò exercere operationes intrinsecè vitales, hæ enim petunt procedere à principio vitæ intrinseco.

CAPUT IV.

De Gratia, Gloria, & pœna Angelorum.

Unde Angelorum gratia?

OMnes Angeli sunt creati in gratia sanctificante, eâ enim indigebant ad meritoriè operandum, gratiam istam acceperunt ex meritis Christi prævisis, & quidem inæqualem secundùm inæqualitatem perfectionis naturalis. D. Thom. *artic.* 6. Quia Christus est caput hominum & Angelorum.

Pecca-

Peccatum Luciferi.

Durante Angelorum viâ aliqui elicuerunt actus meritorios, alii demeritorios, primus peccator fuit Lucifer, ùt colligitur ex *Apoc. 12.* Et primum ejus peccatum formaliter fuit Philautia, seu inordinatus amor erga se ipsum, ùt colligitur ex S. Augustin. *14. de civit. cap. ult.* dicente: *Duo amores fecerunt duas civitates, unam Dei, alteram Diaboli; civitatem Dei amor Dei, civitatem Diaboli amor sui usque ad contemptum Dei.* Inde orta est formalis superbia, & appetentia saltem inefficax æqualitatis cum Deo, ut dixerit *Isa. 14. Similis ero Altissimo.*

Angelorum gloria & pœna.

Ante lapsum Adæ Angeli boni acceperunt gloriam, mali pœnam: pœna est tum damni, quatenus privati sunt visione Dei; tum ignis, quatenus huic perpetuò sunt alligati. D. Thom. Scot. & utriusque Schola &c.

Dæmonum obstinatio.

Dœmones sunt obstinati ex inflexibilitate arbitrii tantùm morali, non physicâ; unde dicit Damascen. *l. 3. Sicut nec sunt, nec erunt susceptibiles pœnitentiæ, ita nec veniæ.* Dominus tamen implebit ruinas Angelorum per homines, & quidem sedem superbi Luciferi per humilem Franciscum Seraphicum; ita S. Bonav. *c. 6. & 7. vita S. Francisci.*

TRACTATUS III.

De Creatione Rerum visibilium, earúmque fine.

CAPUT I.

De Operibus sex dierum.

QUi vivit in æternum, creavit omnia simul. *Eccles.* 18. puta simultate rerum, non temporis: *quia sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt.* *Exod.* 20.

Primâ die, quæ probabiliter fuit Dominica, creavit cœlos, & in sidereo Angelos; terram & super eam aquas & denique lucem. Lux illa non fuit lux solis, sed juxta S. Bonav. alia, quæ in nube tenui tanquam subjecto movebatur de Hemisphærio in Hemisphærium, factúmque est vespere, intellige tempus noctis, & manè, intellige diem artificialem ab ortu lucis usque ad occasum, dies unus, nempe naturalis 24. horarum. Dies iste exordium habuit à nocte, luce factâ post 12. horas à creatione mundi: Moyses enim *Genes.* 1. dies creationis enumerat incipiendo à vespere, unde Hebræi dies supputabant ab occasu solis.

Secundâ die factum est Firmamentum, dividens aquas ab aquis, idque est cœlum aëreum: hoc enim dividit aquas, continens supra se aquas

aquas nubium, infra se aquas terræ; & aër vocatur cœlum, *Psal. 8. volucres cœli.*

Tertiâ die congregatæ sunt aquæ, quæ appellata maria; & producta vegetabilia seu plantæ:

Quartâ die facta sunt astra seu stellæ: Primò, ut luceant super terram. Secundò, ut sint in signa tum auræ, tum temporum.

Quintâ die productâ sunt animalia aquatilia & volatilia.

Sextâ die producta sunt animalia terrestria, & ultimò homo, cujus pedibus subjecit Deus omnia sublunaria. *Psal. 8.*

Septimâ die quievit Deus ab omni opere suo, puta, in specie, non in individuo, út exponit S. Augustin. *l. 4. de Gen. ad lit.*

CAPUT II.

De primo homine.

PRimus homo, qui fuit Adam, formatus est à Deo secundûm corpus (anima enim quælibet creatur ex nihilo) de limo terræ. Eva, quæ mater viventium, de costa Adæ dormientis. *Genes. 2.* Iste extra, hæc in Paradiso; uterque sextâ die Creationis. D. Ambros. *de Paradiso c. 4.*

Scientia Adami.

Adamo data est à Deo scientia rerum naturalium; item per revelationem cognitio supernaturalium, etiam Incarnationis, & Ss. Trinitatis: *quia in naturalibus erat perfectus, & ad finem supernaturalem creatus.*

Status Innocentiæ.

Adamus in Statu Innocentiæ pro se & suis posteris habuit gratiam sanctificantem & Justitiam originalem: colligitur ex illo ad *Ephes. 4. Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate.* Hoc statu perseverante Adam & posteri habuissent immortalitatem: *quia per peccatum mors. Rom. 5.* Et quidem tum per extrinsecam custodiam à Deo, tum per fructum de ligno vitæ, de quo *Genes. 3.* Potuisset tamen creari in puris naturalibus: *quia non est, unde implicet status puræ naturæ.*

Lapsus Adami.

Adam primus parens peccavit 1. Inordinatè amando uxorem, nolens eam offendere præbentem fructum vetitum. 2. Contra obedientiam, comedendo de ligno vetito scientiæ boni & mali. 3. Contra charitatem, in genus humanum tanquam caput ejus originando peccatum & pœnam. Peccatum Adæ secuta est pœna scil. privatio gratiæ sanctificantis, subtractio Justitiæ originalis irrecuperabilis, debitum mortis corporalis, ejectio de Paradiso, damnatio æterna seclusâ pœnitentiâ, variæ pœnalitates, peccatum originale in posteris cum effectibus præfatis. *Ita communis ex Script. & P. P.*

CAPUT III.

De ultimo fine hominis.

Quis rerum omnium finis?

RErum omnium creatarum finis ultimus est

est Deus ipse, nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb. 16.*

Quis sit finis hominum?

Finis hominis est Deus, ùt possidendus visione & fruitione. Ita enim perfectè satiat animam, & anima quiescit; Unde Beatitudo formalis consistit in clara Dei visione, ejusque fruitione; principaliter tamen in fruitione: *quia hæc visione perfectior.*

Quomodo Beati impeccabiles & securi?

Beatitudo annexam habet impeccabilitatem proximam & in sensu composito, non remotam & in sensu diviso: *quia præscindendo à beatitudine Beati sunt in- & extrinsecè liberi.* Insuper habet annexam perpetuitatem & securitatem: nam *Matth. 25. Ibunt Justi in vitam æternam;* neutra tamen est illi essentialis; *quia nulli creaturæ essentialis est perpetuitas,*

Dotes Beatorum.

Sunt dona supernaturalia, quibus Beati ab æterno sponso Deo ornantur in Patria. Dotes aliæ sunt animæ, aliæ corporis; Dotes animæ sunt tres: visio, quæ respondet fidei; comprehensio, quæ succedit spei; fruitio, quæ respondet charitati in via. Dotes corporis gloriosi sunt quatuor: impassibilitas, claritas, agilitas & subtilitas. Ita communis ex *1. Corinth. 15.* Per impassibilitatem corpora gloriosa habent esse immunia, Deo ea conservante, ab omni

passione corruptiva & afflictiva; per claritatem, esse venustissima, & in se lucidissima; per agilitatem, posse sese movere instar sagittæ etiam sinè motu progressivo; per subtilitatem, posse pervadere & intimè penetrare obvia corpora. *Comm. T. T.*

Quid Aureola & quotuplex?

Aureola est præmium aliquod speciale excellenti victoriæ, sive de carne, sive de mundo, sive de diabolo, respondens; unde sunt tres scil. Virginitatis, Martyrii & Doctoratûs. *Ex comm.*

CAPUT IV.

De quatuor hominum novissimis.

HOminum novissima sunt: Mors, Judicium, Infernus, cœlestis Gloria.

Mors.

Statutum est omnibus hominibus semel mori. *Quis est homo, qui vivet & non videbit mortem? Psal. 88.* Mortui resurgent ad vitam. *De Fide ex Symbolo Apost.* Causâ efficiens resurrectionis, *quia supernaturalis*, est ipse Deus; materialis sunt ipsa corpora resuscitanda; formalis sunt animæ istis reuniendæ: *quia ex his & illis resurgunt homines.* Causa moralis & meritoria est Christus: patet ex illo *1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Exemplaris quoad electos est Resurrectio Chri-

Christi: *quia, cum differentia tamen sexuûm, resurgent Beati in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Judicium.

Post mortem hominis sequitur Judicium particulare, post resurrectionem universale; utrumque peragitur à Christo homine, sed subauctoritativè: *Joan. 5. Pater omne Judicium dedit Filio.* Primum fit in ipso loco mortis, secundum in valle Josaphat: *Coen ex Joëlis 3. v. 2.*

Pœna & Gloria.

Post Judicium tum particulare, tum universale peccatoribus datur pœna, justis gloria: pœna, quæ partim est damni, partim sensûs, vel temporalis est, vel æterna; prima infligitur justis in purgatorio, secunda damnatis in inferno: pœna solius damni est pro decedentibus cum solo originali, eáque in limbo puerorum. Gloria est æterna, eáque in cœlo. *Rom. 2.* Deus reddet unicuique secundùm opera ejus scil. justis & peccatoribus; *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Matth. 25.*



TRACTATUS IV.
De Virtutibus Cardinalibus præſertim De Jure & Juſtitia.
CAPUT I.
De Prudentia, Temperantia, & Fortitudine.

Quæ & quot Virtutes Cardinales?

VIrtutes Cardinales dicuntur illæ, in quibus omnis morum honeſtas, quaſi in cardine verſatur. Sunt quatuor: Prudentia, Juſtitia, Temperantia & Fortitudo.

Prudentia eſt rerum appetendarum & vitandarum ſcientia. Ita Aug. *l. 1. de lib. arbitr. c. 13.*

Temperantia eſt virtus, quæ moderatur voluptates guſtûs & tactûs. Species ejus ſunt abſtinentia, ſobrietas, caſtitas.

Fortitudo eſt virtus, quæ moderatur motus animi in rebus arduis ad agendum. Excellentiſſimus ejus actus eſt martyrium, quod eſt tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ fidei, aut alterius virtutis Chriſtianæ inflictæ. Reiffenſtuel & alii.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Prudentiæ opponitur per defectum præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia & negligen-

gligentia; per excessum opponitur prudentia carnis, astutia, dolus & fraus. Sunt peccata gravia vel levia secundùm gravitatem vel levitatem materiæ.

Coroll. 2. Temperantiæ per defectum opponitur stupor, per excessum gula, ebrietas & luxuria; sunt peccata ex genere suo mortalia.

Coroll. 3. Fortitudini opponitur per defectum timiditas & ignavia; per excessum temeritas. Sunt peccata plerumque levia.

Coroll. 4. Adultus non est verè martyr 1. Qui martyr est solo desiderio, vel non subit saltem cruciatum lethalem. 2. Qui pugnat pro fide, juxta illud: *Martyr non pugnat.* 3. Qui dormiens occiditur in odium fidei nullâ præhabitâ cognitione de morte inferenda. Less. *cap. 1. num. 34.* Quia mortem pro fide non suscepit. 4. Qui non habet veram fidem. 5. Ad effectum Martyrii in peccatore requiritur saltem attritio, tanquam dispositio. Scot. *4. d. 14. q. 1.* Quia Martyrium à P. P. æquiparatur Baptismo.

CAPUT II.

De Jejunio Ecclesiastico.

Quid Jejunium Ecclesiasticum?

EST abstinentia à carnibus & appertinentibus cum unica in die refectione circa aut post meridiem sumendâ. *Ex comm.*

Quid

Quid requiratur ad Jejunium?

Ad Jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur 1. Delectus ciborum. 2. Unica refectio. 3. Determinatum refectionis tempus.

Quomodo & quos obliget?

Obligat per se graviter statuto tempore, & quidem omnes Christianos, quibus ætas competens. *Ex Jure Eccles.*

Causæ excusantes.

A Jejunio sunt impotentia, labor & pietas: excusant per rationabilem Epikeiam & benignam interpretationem mentis S. Ecclesiæ.

Dispensatio in Lege Jejunii.

Dispensare potest Papa pro tota Ecclesia, Episcopus pro suis Dioecesanis, Parochus pro Parochianis saltem ubi non est Episcopus. Item dispensare possunt cum suis Prælati Regulares, etiam locales. Ratio: *quia Jus aut consuetudo & necessitas permittit.* Papa si velit tanquam Legislator Jejunii, dispensare potest validè etiam sinè causa, non item alii. Medici, Confessarii, Theologi declarare solùm possunt, jejunium hìc & nunc non obligare: *quia ùt tales nullam habent Jurisdictionem.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ex parte cibi violat jejunium & peccat mortaliter 1. Comedens carnes; & quidem toties, quoties. Navarr. *cum comm.* Excusat à mor-

à mortali parvitas materiæ nim. Semiuncia juxta Pasqualign. Media avicula juxta Sporer. 2. Veſcens etiam in Germania, ubi permittuntur ova & lacticinia, cibis conditis Sagimine è lardo, ùt communis habet ſenſus cum Laymann contra Dianam & nonnullos alios; quorum ſententia de mente Sporer Confeſſariis ſervire poteſt ad permittendum pauperibus & aliqualiter divitibus, ut ſagimine coquant; famulis & ancillis, ut taliter cocta comedant. 3. Sumens juſculum carnium.

Coroll. 2. Ex parte refectionis violat jejunium & peccat mortaliter 1. Sumens plures refectiones; tametſi, ùt habet probabilior contra Sbogar, diſpenſatus ſit ad carnes; iſque non tantùm peccat ſecundâ refectione, ſed & ſingulis ſequentibus, ùt ſentit Henno cum Medina contra Laymann & plures: Quia præceptum jejunii eſt negativum prohibens omnes refectiones exceptâ unâ. 2. Per modicas comeſtiones extra refectionem perveniens ad quantitatem notabilem; patet ex propoſit. 29. damnatâ ſub Alexandro VII. Excipe, niſi aliquid ſumatur per modum medicinæ, vel parum, ne noceat potus, aut aliâ de causâ, ùt ovum ſeu offula à Profeſſore, Concionatore, Muſico. *comm. DD. apud* Laymann. 3. Sumens immodicè lac, juſculum carnium, chocolatum & alia, quæ per ſe ordinantur ad nutrimentum; ſecus eſt de potu uſuali, ùt vino & cereviſia. *comm. cum* S. Thoma.

Coroll. 3. Peccat, qui refectionem anticipat; & quidem anticipans unâ horâ ante consuetam, quæ jam undecima, peccat juxta Less. Laym. & comm. solùm venialiter; juxta Navarr. Marchant. & alios mortaliter: nisi fiat propter iter, concionem, catechesim aliúdve negotium; quo interveniente, refectio licitè etiam interrumpitur. 2. Peccant refectionem protrahentes ad multas horas, ut virtualiter sit duplex; duas horas pro refectione, mediam pro collatione concedit Henno *Tractat. de Peccat. d. 4. q. 5.*

Coroll. 4. Secluso voto & regulâ, ùt est nostra Fratrum Minorum, ad jejunium non obligantur, qui infra 21. annum; quamvis post usum rationis obligentur ad illud inadæquatè sumptum pro sola abstinentia à carnibus. Sexagenarii, si robusti sint, non est, unde eximantur; eximebat eos vivæ vocis oraculum Pii V. teste Lamas, at ejusmodi oracula sunt revocata per Urbanum VIII. favet tamen ipsis, si senectus morbus, sententia plurimorum DD. quam Marchant, approbante Sporer, sed improbante Kerchoven, extendit ad sexagenarios Ordinis Minorum quoad jejunium regulare. Ratio, quia jejunia regularia non sunt vota, sed præcisè præcepta Regulæ obligantia ad modum præceptorum Ecclesiæ: hæc autem ob communem naturæ deficientiam non obligant sexagenarios in sæculo, ergo nec ista sexagenarios in Religione. *Opinio probabilis*, non tamen ita consulenda senibus satis valentibus, inquit Sporer *Tract. 3. de jejunio sect. 4. n. 51.*

Coroll. 5.

Coroll. 5. A jejunio quoad unam refectionem Impotentia excusat 1. Infirmos & convalescentes. 2. Prægnantes & lactantes. 3. Pauperes non habentes, quo semel satis reficiantur. 4. Itinerantes sive pedibus, sive equo, sive curru, modò notabiliter sint defatigati. Labor excusat Agricolas, fabros lignarios & ferrarios, pistores, sutores, textores, vertentes prelum typographicum, & similes, quorum labor cum jejunio incompatibilis; non verò excusat pictores, sartores, &c. quorum opera sunt quieta. *Quid si labor sit illicitus v. g. in Festo, aut in fraudem jejunii?* Ordinariè non excusat: quia Ecclesia non favet peccatoribus, fraus verò & dolus nemini patrocinantur. Unde ex labore illicito vel in fraudem jejunii moraliter impotens ad jejunium non tenetur quidem jejunale, Ecclesiâ eum in tali statu non obligante, peccavit tamen ponendo causam. Pietas seu opera pietatis excusant Confessarios per potiorem diei partem sedentes, Professores, Concionatores, attentâ eorum complexione & laborum gravitate. *Quid si causa dubia?* Recurrendum est ad Prælatum pro dispensatione, de quâ suprà.

Coroll. 6. A jejunio quoad carnes excusat 1. Gravis infirmitas. 2. Paupertas illos, qui aliud non habent ad sedandam famem. 3. Periculum prolis prægnantes, quibus vehemens carnis appetitus. 4. Necessitas laborantes & famulantes in oppidis hæreticorum, si non dentur alii cibi, nec laboritium sinè damno possint dese-

deſerere; cùm his teſte Laymann *cap. 3.* Societas à Summo Pontifice accepit privilegium quoad hoc diſpenſandi, in quo communicant alii Religioſi mendicantes. Sporer *num. 56.*

Coroll. 7. Qui in die jejunii non jejunavit, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, non tenetur jejunare alio die: *quia obligatio jejunii eſt affixa diei à mediâ nocte ad mediam noctem.* Unde non ſatisfacit, jejunium privatâ authoritate de uno die transferens ad alterum.

Coroll. 8. Licita eſt ex conſuetudine collatiuncula, ſive veſpere ſumatur, ſive ex causâ manè: in eâ attendenda eſt non ciborum eſurialium qualitas, ſed quantitas, nimirum modica, quæ quarta pars cœnæ ordinariæ, ùt cenſet Reginaldus *l. 4. n. 185.* & alii comm. Quia etiam in auditione miſſæ & aliis præceptis quarta pars cenſetur modica, niſi totum ſit valde magnum.

CAPUT III.

De Jure & Juſtitiâ in communi.

Quid Jus & quotuplex?

JUs, cujus violatio eſt injuria, eſt poteſtas legitima ad aliquid; eaque eſt vel activa ad aliquid exequendum, vel paſſiva ad recipiendum, vel reſtitiva ad avertendum nocumentum. Dividitur in Jus ad rem & in Jus in re. Jus ad rem acquiritur contrahenti ante rei traditionem, Jus

Jus in re post traditionem; illud parit actionem personalem, hoc realem, utrumque est fundamentum Justitiæ.

Quid Justitia & quotuplex?

Justitia est constans & perpetua voluntas, Jus suum cuique tribuendi. *l. just. ff. de Justit. & Jure.* Dividitur in commutativam, distributivam & legalem. Commutativa respicit æqualitatem rei ad rem seu dati & accepti, ut nimirum, quantum acceptum est, tantum detur; & sic dicitur respicere proportionem arithmeticam. Distributiva respicit onera & bona communia inter partes communitatis distribuenda juxta personarum qualitates & merita; & sic dicitur respicere proportionem geometricam. Legalis membra Reipublicæ inclinat ad curandum bonum totius.

Subjectum Justitiæ.

Justitia strictè talis esse nequit in Deo respectu creaturæ: *quia in Deo non est perfectum debitum solvendi;* nec inter Patrem & Filium, uxorem & maritum quoad regimen domesticum, dominum & servum quà tales: *quia inter illos sic sumptos non est perfecta altereitas.*

Objectum Justitiæ

Materiale sunt res, quæ commutantur, distribuuntur &c. *Formale quod* sunt res ùt justæ seu debitæ alteri; *Formale quo* est honestas in illis reddendis.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Si quis rem, quam emisti, vendat alteri, actionem tantùm habes in venditorem; Si verò tradita tibi auferatur, actionem non tantùm habes in furem, sed & ad ipsam rem ad quascunque personas pervenerit.

Coroll. 2. Peccant contra Justitiam Filius occidens Patrem, servus dominum & vice versâ. 2. Pater auferens bona filii, eidem propria; dominus non solvens mancipio, quod promisit. Ratio: *quia non peccant præcisè ut tales, etiam peccaturi, si tales non essent.*

CAPUT IV.

De Speciebus Juris.

Quæ sint Species Juris?

SUnt Dominium, Ususfructus, Usus, Habitatio, Possessio, Servitus, Pignus & Hypotheca: *Dominium* aliud est *Jurisdictionis*, quod est potestas gubernandi subditos; aliud *Proprietatis*, quod vel *perfectum*: & est jus in re ad omnem ejus usum, nisi lege prohibeatur; vel *imperfectum*, quod continet vel proprietatem rei sinè emolumentis, & dicitur *directum*; vel emolumenta sinè proprietate & dicitur *Utile*. *Usufructus* est Jus utendi & fruendi, *Usus* verò utendi tantùm re aliquâ, salvâ rei substantiâ. *Habitatio* est Jus per se vel alium inhabitandi ædes alienas. *Possessio* est, quâ rei non prohibitæ possideri insistitur; si insistatur suæ & animo solo, est *Possessio Juris*

Juris tantùm; ſi non ſuæ, animo tamen & corpore eſt *Poſſeſſio facti tantùm*; ſi ſuæ & animo atque corpore, eſt *Poſſeſſio Juris & facti ſimul. Servitus* activè eſt Jus in re aliena aut perſona, ut tibi tuísve ſerviat. *Pignus* & *Hypotheca* eſt Jus detinendi rem alienam in ſecuritatem debiti inde, ſi aliàs non, ſolvendi.

Quomodo acquirantur & amittantur?

Dominium ordinariè acquiritur titulo & traditione, Uſusfructus, Uſus, Habitatio, Servitus lege & conventione; Poſſeſſio lege & apprehenſione aut verâ aut fictâ. Amittuntur Uſusfructus, Uſus, Habitatio, Servitus 1. Rei deſtructione. 2. Si ſint ad tempus, eo expirante. 3. Morte Uſufructuarii &c. Poſſeſſio amittitur 1. Voluntate nolentis poſſidere, niſi ſit pupillus. 2. Oblivione, quod res ſit ſua. 3. Rei ablatione. 4. Amiſſione. 5. Fugâ animalis, ſi non habeat conſuetudinem redeundi.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Acceptans à pupillo dante ſua bona ſinè conſenſu Tutoris, ea non facit ſua; *quia Lex obſtat.*

Coroll. 2. Jus Domini proprietarii violat 1. Uſufructuarius deſtruens aut alienans rem ſui Uſusfructûs. 2. Uſuarius arrogans ſibi fructus ab uſu diſtinctos.

Coroll. 3. Domini duo in ſolidum implicant: quilibet enim de re perfectè diſponeret; *quia*

Dominus; non perfectè disponeret, *quia alius Dominus*. Non implicant duo possessores: rem ablatam possidet & Dominus & fur; hic possessione facti, iste Juris.

CAPUT V.

De Subjecto Dominii.

Dominium Uxoris.

OMnis homo est capax dominii. Uxor habet plenum dominium bonorum paraphernalium: nam *paraphernalia* sunt bona, quæ uxor habet pro se ultra dotem marito allatam; dotalium verò & medietatis communium dominium habet, non administrationem. *Dotalia* sunt, quæ uxor adfert marito ad sublevanda matrimonii onera; *Communia*, quæ conjuges sibi acquirunt.

Dominium Filiifamilias.

Filiusfamilias plenum habet dominium castrensium & quasi castrensium, adventitiorum verò dominium, non administrationem, profectitiorum nec dominium nec administrationem. *Bona Castrensia* sunt, quæ acquiruntur in militia profana; *Quasi Castrensia*, quæ in sacra ex munere clericali vel officio non mechanico v. gr. Professoris, Judicis, Advocati &c. *Adventitia* sunt, quæ filio obveniunt nec à patre, nec intuitu patris v. gr. per hæreditatem maternam, inventionem, donationem &c. si secus, sunt *profectitia*.

Domi-

Dominium Religiosorum.

Religiosi post vota solemnia sunt dominii in temporalia incapaces in particulari. *Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 2.* Professi regulam S. Francisc. etiam in communi *cap. 6. Reg. Franc.*

Dominium Clericorum.

Clerici dominium habent bonorum propriè patrimonialium & quasi; item redituum beneficialium, quâ parte ad honestam sustentationem sunt necessarii. *Patrimonialia* sunt, quæ clerici habent independenter à Ministerio & Beneficio Ecclesiastico; *quasi patrimonialia*, quæ acquiruntur ministerio clericali v. gr. celebrando, concionando &c. *Ecclesiastica*, quæ proveniunt ex Beneficio Ecclesiastico v. gr. Canonicatu, Decanatu &c.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Parvuli & amantes sunt capaces dominii; ab illis aufferens facit injuriam, & ablatum non est suum.

Coroll. 2. Peccant in re gravi M. & ad restitutionem tenentur 1. Uxor aufferens de bonis dotalibus & communibus, marito rationabiliter invito, & hic aufferens de paraphernalibus uxoris, vel castrensibus aut quasi castrensibus filii ultra alimenta filio necessaria. 2. Filius aufferens de bonis paternis; quod si his nomine suo negotietur, lucrum erit suum; tenebitur tamen patri pro interesse. Sporer *num. 53.* Item si filius

extraordinariè & ſupra debitum patri laboret, pro exceſſu laboris à patre vel cohæredibus poteſt, factâ proteſtatione de non laborando gratìs, exigere ſtipendium; at pater detrahere poteſt expenſas in filio alendo factas. Lugo *num. 43.*

Coroll. 3. Religioſus peccat contra votum paupertatis 1. Utens rebus tanquam ſuis. Advertant ante profeſſionem pecuniam, cenſus & ſimilia reſervantes, iis poſtea uſuri ſuo arbitrio, ſinè dependentia & licentia. 2. Quamcunque rem temporalem ſinè ſuperioris licentia vel expreſſa vel tacita, vel rationabiliter præſumpta accipiens, occultans, permutans, donans &c. Sanch. *lib. 7. Moral. cap. 19.* Iſti ſunt proprietarii, quorum pœna eſt privatio vocis activæ & paſſivæ per triennium, *Trid. citat.* & privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ. *cap. Cùm ad monaſt. de Statu Monach.* 3. Habentes & permittentes rerum ſuperfluitatem, pretioſitatem, curioſitatem: quia non ſtant cum paupertate. Marchant. *Tit. 1. quæſt. 4. Et quis non?* Cogitent illud *1. Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Coroll. 4. Religioſus poteſt habere peculium (niſi Regula vetet) quoad uſum congruum dependenter à voluntate Prælati, qui ſemel conceſſum poſſit revocare pro arbitrio ſuo. *DD. commun.*

Coroll. 5. Religioſus habens Beneficium extra monaſterium fructus acquirit monaſterio, ſi huic incorporatum ſit Beneficium, ſi non incorporatum: acquirit ad pios uſus, ſicut alii

Beneficiarii, Jura tamen ſtolæ pro ſacris, nuptiis, ſepulturis &c. ſemper acquirit monaſterio juxta Regulam *cap. Cùm ad monaſt. de Statu Monach. quidquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit.*

Coroll. 6. Donatio à Religioſo facta nomine proprio eſt invalida, & donatarius monaſterio tenetur ad reſtitutionem.

Coroll. 7. Beneficiarius licitè ſuos ditat conſanguineos 1. Ex ſuis patrimonialibus. 2. Ex quaſi patrimonialibus, ſeu acceptis pro ſacris, concionibus &c. 3. Ex parſimonialibus, quæ ſubtrahit genio ſuo. 4. Ex reditibus neceſſariis ad ſuſtentationem, hanc habens aliunde. Ratio: *quia illorum omnium eſt Dominus.*

Coroll. 8. Beneficiarius reditus honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluos expendens ad uſus profanos graviſſimè peccat. *Ita omnes*, & conſtat *ex Trid. Seſſ. 15. de reform. cap. 1.* Imo reſtitutioni obnoxius eſt & ipſe & recipiens. *Ita contra multos* Navarr. *de Redit. quæſt. 2.* Layman *Tractat. 2. cap. 3. aliiq; apud illos plurimi.* Quia illorum non acquirit dominium: unde illud? Non à fundatoribus: aliàs clerici habuiſſent ante bonorum diviſionem. An ab Eccleſia? Hæc *in Trid. citat.* præcipit illos expendi in uſus pios, ad quid dediſſet dominium? Prohibet de illis teſtari. *cap. Ad hæc. de Teſt.* juxta *Trid. ſuprà*: ſunt bona Dei. Unde D. Bern. *Epiſt. 2. ad Canonicum Lugdunenſem: quidquid præter neceſſarium victum & veſtitum de Altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.*

 CAPUT VI.

CAPUT VI.
De objecto Dominii.

Quarum rerum dominium competat homini?

SUb Dominium hominis cadunt 1. Actus sui liberè eliciti vel imperati. 2. Alius homo, sed tantùm quoad opera. 3. Bona gratiæ & dona supernaturalia. 4. Bona famæ & honoris. 5. Bona fortunæ & res omnes sublunares. Ratio: *quia de omnibus illis tanquam suis potest disponere.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Homo non est Dominus vitæ suæ & membrorum, peccat mortaliter 1. Occidens se ipsum, nisi executor sit justæ sententiæ. 2. Occidens alium volentem. 3. Mutilans se vel alium, nisi ob conservationem vitæ. 4. Vitam temerè exponens morti.

Coroll. 2. Non peccat se occidens indirectè ex justa causa, nimirum 1. Permittens se occidi à latrone, quem posset occidere. 2. In naufragio cedens alteri tabulam, vel in incendio præcipitans se per fenestram, modò sit spes evadendi. 3. Damnatus ad mortem non refugiens, cùm possit. 4. Assistens pestiferis. 5. Non permittens mutilationem vitæ conservandæ necessariam, ubi dolores nimis essent magni. 6. Religiosus accelerans mortem per mortificationes. *Communis.* Ratio: *quia omnes illi mortem non intendunt, solùm permittentes ex justa causa, quâ stante impedire non tenentur.*

CAPUT VII.

CAPUT VII.

De modo acquirendi Dominium.

Quot modis acquiratur Dominium?

DOminium acquiritur tribus modis: Jure naturali, Jure civili, & Jure contractûs; etenim res sunt vel nullius, utpote vocantes, derelictæ aut pro derelictis habitæ; & Jure naturali fiunt primò occupantis; vel sunt possidentis præsumptivè: & Jure civili fiunt legitimè præscribentis, etiam in foro conscientiæ; vel sunt possidentis verè: & Jure contractûs fiunt ementis, donatarii, legatarii &c. Sporer *n.130.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll.1. Thesaurus Jure naturæ quidem est inventoris; at de Jure civili 1. Licitè inventus in proprio fundo totus est inventoris, in alieno tantùm ex dimidio, alterâ parte pertinente ad dominum fundi. §. *Thesauros. instit. l. 2. de rerum division.* Princeps tamen statuere potest, ut thesaurus ubicunque repertus sibi totus, exceptâ aliquâ parte, tradatur ad ferenda Reipubl. onera. Henno. *d.4. q.52.* Thesaurus ex industria quæsitus in fundo alieno, inscio aut invito fundi domino, totus adjudicatur domino. *l.unica. de Thesaur.* Inventus arte magicâ in fundo proprio totus cedit Fisco; inventus in alieno cedit Fisco ex media parte, ex altera domino fundi. Leges tamen istæ, quia pœnales & ferendæ sententiæ, teste Lessio, non obligant ante Judicis sententiam.

Coroll. 2. Animalia ſylveſtria fiunt capientis 1. Si nondum ab alio ſint capta. 2. Si capta in libertatem naturalem ſe receperint v. gr. examen apum ex alveario, cervus ex vivario. 3. Si captio eorum ex juſta cauſa ſit prohibita; capiens tamen tenetur latâ ſententia pœnam luere, damnumque notabile reſarcire. Leſſ. *lib. 2. cap. 5.*

Coroll. 3. Non acquirit dominium, conſequenter tenetur ad reſtitutionem 1. Capiens feras in vivariis, piſces in piſcinis. 2. Capiens feram ab alio inſequente lethaliter vulneratam, piſces reti alieno implexos. 3. Capiens animalia naturâ manſueta, etiamſi longè aberraverint; vel manſuefacta, quamdiu conſuetudinem habent redeundi. 4. Ovem laniatam eripiens è faucibus lupi. 5. Alterius columbas ineſcando alliciens ad ſuum columbarium: ſecus eſt, ſi absque fraude ad illud convolent. Lugo *d. 6. num. 46.* Ratio: *quia capiunt, quod jam captum eſt, vel ſub alterius exiſtit dominio.*

Coroll. 4. Pauperes ad uſum quotidianum in ſylvis lignantes, ſinè damno notabili, ordinariè non peccant mortaliter; attendere tamen oportet, an prohibentes obligare velint tantùm ad pœnam, an etiam ad culpam? An ad gravem vel levem? Layman *lib. 3. cap. 5.*

Coroll. 5. Res incertæ, domino earum poſt diligentem inquiſitionem non comparente, non ſunt inventoris, quidquid velint Haunold. Sotus, aliique; ſed domino ſuo ſunt reddendæ modo, quo poſſunt, meliori, nimirum piè expen-

pendendo. D. Thom. *2. 2. q. 66.* Scotus *d. 15. q. 2.* Unde Aug. *L. 50. Homil. 9. Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

Coroll. 6. Præscriptio est acquisitio dominii per civilem rei possessionem, tempore legitimo continuatam. Eâ finitâ deprehendens rem fuisse alienam, non tenetur ad restitutionem priori Domino; nisi hic gaudeat beneficio restitutionis in integrum, quod conceditur piis locis, minoribus, & quandoque majoribus. Less. *lib. 2. cap. 6.*

Coroll. 7. Ad præscriptionem requiritur 1. Res apta præscribi, & est illa, quæ apta possideri. 2. Possessio rei tanquam suæ, & possessionis continuatio per tempus lege definitum. Ad præscriptionem mobilium v. gr. pecuniæ, animalium, supellectilis &c. requiruntur tres anni inter præsentes, quatuor inter absentes; ad præscribenda verò immobilia v. gr. prædia, domum, hortum &c. Sufficiunt 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes. Excipiuntur pupilli, contra quos nunquam præscribitur; item Monasteria, Hospitalia & alia loca pia, contra quæ non præscribitur ante 40. annos. 3. Bona fides, ut rem possidens prudenter judicet esse suam; aut saltem nesciat esse alienam. Dubium superveniens bonæ fidei non interrumpit præscriptionem, modò dubitans diligenter inquirat, an res sit sua; & manens dubius resolvat, rei retentionem sibi esse licitam ob titulum possessionis. 4. Titulus possessionis præsumptus, seu justus in æstimatione v. gr. Emptio, Donatio &c.

tio &c. hujus tamen probatio non requiritur ad præſcriptionem à tempore longiori. *Omnes.*

Coroll. 8. Non præſcribit 1. Laicus loca ſacra, bona Clericorum & Jura ſpiritualia, v. gr. Jus decimandi, conferendi beneficia Eccleſiaſtica &c. *quia nequit illa poſſidere.* 2. Religioſus ſibi bona temporalia, tutor ſibi bona pupilli; hic tamen pupillo, iſte monaſterio: *quia non poſſident nomine ſuo, ſed alterius.* 3. Commodatarius commodatum, Depoſitarius depoſitum: *quia non poſſident tanquam ſuum.* 4. Laborans ignorantiâ Juris; ſecus ſi facti: nam ùt habet *Reg. Jur. in 6to.* Ignorantia facti, non Juris excuſat. 5. Dubius practicè, an res ſua. 6. Hæres immediatus rem malâ fide à teſtatore poſſeſſam; *quia hic cum defuncto fictione Juris cenſetur una perſona.* Layman *lib. 3. cap. 8.*

CAPUT VIII.

De Injuria in bonis naturæ.

Quid injuria & quotuplex?

INjuria eſt violatio Juris alieni: committitur injuſtâ rei alienæ acceptione, & iniquâ detentione. Si quis ſciens, volens Jus alterius violet, eſt injuria formalis; ſi inculpabiliter ignorans, eſt materialis.

A quibus committatur in Bonis naturæ?

Bona naturæ ſunt bona animi & corporis, in his committitur injuria 1. Ab eo, qui vi & minis

nis vel fraude retrahit à virtutibus v. gr. ab ingressu Religionis vel professione, aut inducit ad peccatum v. gr. apostasiam, hæresim &c. 2. Ab eo, qui se ipsum occidit, vel alium innocentem. 3. A Magistratu, qui occidit malefactores extra casus à Deo concessos vel ex- vel implicitè.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Vi vel fraude inducens puellam ad fornicationem peccat non solùm contra castitatem, sed etiam contra Justitiam. Dominus servum taliter inducens ad occidendum peccat contra Justitiam dupliciter: *quia inductio illa injuriosa est & occidenti & occiso.*

Coroll. 2. Injuriam infert 1. Adulter marito, quamvis in adulterium consentiat; *quia Jus ejus immobile.* Platel. 2. Clericum à Beneficio sperato impediens per vim vel fraudem. 3. Usurarius danti usuram ex necessitate. 4. Acceptans nummum aureum, quem dans putat esse cupreum: *quia hic errat in substantia, adeoque non consentit.*

Coroll. 3. Peccant mortaliter se vel alios castrantes ob carnis tentationes vincendas. *Can. 22. Apost.* Aut vocis suavitatem acquirendam. Herinx *num. 16.*

Coroll. 4. Reus est suicidii 1. Se gladio transfodiens, ne ignominiosè suspendatur. 2. Paulatim se vino adusto interimens, aut crapulâ, qui ex numero eorum, de quibus *Eccles. 37. Propter crapulam multi obiêrunt.* 3. Metu torturæ sibi falsò

falsò imponens crimen ; propter quod erit morte puniendus. Herinx *num. 38.* Lugo & alii contra Leſſ. Maſt. &c. Quia ſe occidit directè: nam alteri imponens crimen falſum, propter quod eſt occidendus, illum occidit directè; ergò & ſibi imponens.

Coroll. 5. Reus eſt homicidii 1. Magiſtratus innocentem tradens tyranno occidendum, tametſi ad avertendum Reipubl. damnum : *quia directa innocentis occiſio eſt intrinſecè mala non minùs ac fornicatio.* 2. Judex ad mortem condemnans accuſatum, quem certò ſcit innocentem, at ſecundùm allegata & probata eſt nocens. Lyranus *in cap. 23. Exodi*, explicans illud : *Innocentem & Juſtum non occides.* Et ſequuntur multi contra multos. Ratio eſt Lex divina : *Inſontem non occides.* Ergo non valet lex humana : *Innocentem, qui probatur nocens, occides.* Conf. Non enim occiditur aliquis, quia probatur nocens, ſed quia eſt; probari nocentem, non eſt malum, ſed eſſe. 3. Judex jubens occidi illum, quem privatâ ſcientiâ novit reum, at talis non probatur. Leſſ. *cap. 29. num. 94.* 4. Occidens Principem tyrannum, ſeu tyrannicè populum regentem. *Concil. Conſtantienſ. Seſſ. 15.* 5. Paterfamilias, cujus ſervus aut animal, interveniente ſuâ culpâ latâ, fecit homicidium. Leſſ. 6. Maritus occidens uxorem in adulterio deprehenſam. 7. Procurans abortum fœtûs animati. *Quid ſi non animatus?* Licere procurare, ne puella occidatur, aut infametur, damnavit Innocent. XI. 8. Occidens

dens Invaſorem bonorum fortunæ, pudicitiæ, vel honoris, quæ aliter non poſſunt ſervari. Colligitur ex propoſitionibus 30. 31. 32. damnatis ab Innocent. XI. excuſatur, ſi bona ſint notabilia, & ad ſuſtentationem valde neceſſaria; aut ſi mulier opprimenda prævideat conſenſum & ruinam ſpiritualem. Ratio: *quia tunc in primo caſu eſt invaſor vitæ corporalis, in ſecundo ſpiritualis.* 9. Medici, Chyrurgi, Pharmacopolæ, Infirmarii, qui ex ignorantia, negligentia, avaritia &c. ſunt in cauſa, cur moriatur infirmus.

Coroll. 6. Licet directè occidere 1. Magiſtratui homicidas, maleficos, incendiarios, fures, falſarios &c. *Comm.* Non furem ob furtum ſimplex, quod committitur à fure, quia diurnus eſt, vel fugit, non inferente periculum vitæ, nec gravia communitati damna, cum Scoto Alenſis, Sotus &c. 2. Unicuique bannitum.

Coroll. 7. Fœmina gravida, ſi ad mortem damnata, periculosè ægrotans authoritate publicâ ſecari poteſt in ſupplicium, ut proles baptizetur, aliàs ſinè baptiſmo moritura. Layman.

Coroll. 8. Mater infirma licitè ſumit medicinam directè curativam, licèt per accidens ſequatur abortus, modò proles non ſit animata; Si animata, & matre à medicina abſtinente ſervari poſſit ad baptiſmum, alioquin ſinè eo moritura, mater tenetur abſtinere: *quia ſalus æterna prolis eſt præferenda vitæ corporali matris.* Si non adhibito remedio mater judicetur cum prole moritura,

adhi-

adhiberi poteſt medicina, directè tendens in curationem matris. Leſſ. *lib. 2. cap. 9. num. 62.*

Coroll. 9. Servato moderamine inculpatæ tutelæ, unicuique licet occidere injuſtum invaſorem vitæ, etiam alienæ. *Omnes cum* D. Thoma: quia vim vi repellere licet, non plus tamen faciendo, quàm neceſſitas poſtulet. Quid ſi invaſor ſit Epiſcopus, Pater vel Superior? Quid ſi amens vel ebrius? Quid ſi invaſus dederit cauſam calumniando, irritando &c. Adhuc licet: *quia Jus retinet naturale defenſionis.*

CAPUT IX.

De Injuria in bonis famæ.

Quid bona Fama & Honor?

BOna fama eſt exiſtimatio multorum de excellentia alicujus. Honor verò eſt alterius excellentiæ apertum teſtimonium, ſive ab uno procedat, ſive à pluribus.

Quomodo lædantur?

Læduntur & committitur injuria 1. Actu interno per dubitationem, ſuſpicionem, opinionem & Judicium temerarium. 2. Actu externo per diffamationem injuſtè læditur fama ſive propria ſive aliena; per detractionem tantùm aliena & occultè; per contumeliam læditur honor & apertè. Dubitatio temeraria, ſuſpicio & levis opinio regulariter ſunt peccata venialia; aſt judicium temerarium, diffamatio, detractio, & con-

& contumelia sunt ex genere suo peccata Mort, *commun. DD.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Suspicio temeraria per accidens fit Mort. 1. Si sit de personâ excellente & in re gravissima. 2. Si ex ea negetur votum, sequatur odium, detractio &c. Sufficit tamen confiteri odium, detractionem &c. omissâ suspicione; *quia non est hæc mortaliter mala in se, sed in effectu.*

Coroll. 2. Judicium temerarium (quod est firmus de alterius crimine assensus absque fundamento) est veniale in materia levi, vel sine plena advertentia. Her. *d. 7. num. 5.*

Coroll. 3. Detractio fit voce, facto & scripto. 1. Voce detrahit: imponens crimen falsum, exaggerans verum, manifestans occultum, sinistrè interpretans factum. Item laudans frigidè, rectè facta negans, parvi faciens, reticens; ubi censetur vituperium. 2. Facto detrahit: alterius januæ ad detrahendum appingens cornua aut furcam. 3. Scripto: componens libellum famosum.

Coroll. 4. Non est peccatum detractionis 1. Crimen proximi narrare viro prudenti causâ consilii, auxilii vel solatii. 2. Narrare crimen non nominatâ personâ, vel si incognita sit & nunquam cognoscenda; cavendum tamen præjudicium communitatis v. gr. monasterii, ut non nominetur. 3. Crimen narrare, ubi jam est, vel proximè fiet notorium. 4. Crimen notorium

rium Jure evulgare alibi, eſt tamen contra charitatem, ſi fiat cum damno infamati. 5. Delicta aperire ſuperiori, ſervato ordine correctionis fraternæ. Herinx *d. 7. q. 2. & comm.*

Coroll. 5. Eſt peccatum mortale 1. Notabiliter detrahere defuncto. Layman *Tractat. 3. c. 3.* 2. Crimen revelare in confuſo, dicendo v. gr. ſe ſcire aliquid grave de tali. 3. Crimina audita recenſere ùt audita, ſi fiat taliter, ut audientes credant; ſecus, ſi non credituri Sotus *l. 4. q. 6.* 4. Sinè juſta cauſa crimen proximi narrare viro uni prudenti. Layman *citat.* contra Navarr. Reginald. 5. Alium inducere ad detrahendum, quod & ſcandalum. 6. Delictum à Prælato punitum divulgare extra monaſterium. 7. Crimen notorium facto vel famâ publicare alibi: qui enim per injuriam amiſit famam in uno loco, non amiſit Jus ad famam in alio. Platel. contra Leſſ. 8. Crimen obliteratum reſuſcitare: *quia nova eſt detractio.* 9. Revelare crimen ad ſuum lucrum : *quia non oportet diteſcere cum alterius injuria.* 10. Patefacere crimen, cui Jure annexa eſt infamia, quamdiu occultum. Leſſ. *num. 67.*

Coroll. 6. Eſt peccatum plerumque veniale, quandoque nullum 1. Narrare defectus proximi leves. 2. Revelare defectus naturales v. gr. quod aliquis ſit parvi ingenii, ſpurius &c. Navarr. Cave, ne cui dicas in faciem convitiandi causâ. 3. Dicere aliquem eſſe iracundum, avarum, ſuperbum &c. quibus ſignificatur non tam actus, quàm inclinatio. 4. Infamatum de

uno

uno crimine infamare de altero, priori annexo: *quia in isto genere delicti famam jam amisit.*

Coroll. 7. Audiens detrahentem peccat contra Justitiam & charitatem, si ad detrahendum inducat, si non inducat, tamen in detractione complaceat, vel eam (cùm possit) non impediat, peccat contra charitatem; imò si pater sit vel superior audiens suos detrahentes, peccat etiam contra Justitiam, & obligatur ad restitutionem in defectu suorum. Less. *c. 11. d. 4.*

Coroll. 8. Licitè non impedit detractionem 1. Magnum timens incommodum. 2. Prævidens suam monitionem nihil profuturam. 3. Dubitans, an alter verè detrahat. 4. Qui verè cunctatur ob authoritatem detrahentis. Less. *cit.* Ratio omnium: *quia vel frustra agit, vel cum suo damno, ad quorum neutrum tenetur.*

Coroll. 9. Ad evitandum grave damnum proprium vel alienum licet revelare crimen proximi verum extra confessionaliter cognitum. Ratio: *quia nullus, saltem privatus, habet Jus ad famam cum gravi damno proximi, & quilibet potest se & innocentem servare indemnem per moderatam defensionem.* Hinc non peccat 1. Manifestans imperitiam Medici, ne alius incurrat periculum vitæ. 2. Sciens aliquem esse Advocatum indoctum, furem, deceptorem &c. Si moneat eos, quibus damnum imminet. 3. Manifestans reum, ne patiatur innocens. 4. Revelans indignitatem & impedimentum aspirantis ad officium, Religionem vel matrimonium; si aliàs impediretur dignus

vel aliud grave malum ſequeretur. 5. Minuens famam alterius, manifeſtando verum crimen, ubi & quando neceſſe eſt ad ſervandam propriam. Sporer *ſect. 3.*

Coroll. 10. Qui ſui Juris eſt, ſe ipſum infamans ordinariè peccat venialiter. Metzger *d. 39.* Per accidens mortaliter 1. Si de crimine commiſſo ſe jactet. 2. Si grave præbeat Scandalum. 3. Si Religioſus ſit vel Paterfamilias, quibus ſe infamantibus, damnum redundat in communitatem vel familiam.

Coroll. 11. Contumelia committitur verbo: & eſt convitium, improperium vel maledictum; aut Scripto: & eſt libellus famoſus; aut facto: & eſt irriſio, illuſio, vel ſubſannatio. Per accidens eſt peccatum veniale vel ex parvitate materiæ, vel ex imperfectione actûs, vel quia à Parentibus in filios, à Superiore in ſubditos &c. causâ juſtæ correctionis.

CAPUT X.

De injuria in bonis fortunæ.

Quid furtum & rapina?

BOna fortunæ ſunt pecunia, prædia & alia, tum mobilia, tum immobilia; quæ fortunâ acquiri ſolent. In his committitur injuria furto & rapinâ: Furtum eſt occulta rei alienæ acceptio, invito rationabiliter Domino; rapina verò eſt rei alienæ violenta acceptio, Domino ſciente & contranitente. Differunt ſpecie, & ſunt ex genere ſuo peccata mortalia.

CO-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Furtum committunt 1. Subducens rem suam alteri datam in pignus: *quia injustè aufert eam quà pignus, & eatenus non suam.* 2. Aufferens à Commodatario commodatum, à Depositario depositum, à Fratribus Minoribus libros. 3. Aufferens cum voluntate ablatum restituendi; Si credatur Dominus rationabiliter invitus. 4. Rem alienam detinens; esto acceperit bonâ fide. 5. Domum incendens, fenestras infringens &c. est enim injusta damnificatio, quæ furtum impropriè. Less. *num. 56.* 6. Accipiens rem alienam in gravi necessitate, ex *proposit. 36.* damnata ab Innocent. XI. 7. Uxor aufferens marito, filii parentibus, amicus amico, Religiosus de rebus monasterii; & hic quidem non tantùm committit peccatum furti contra Justitiam, sed & proprietatis contra professionem. 8. Sartores, textores & similes operarii retinentes fragmenta alicujus momenti. 9. Falsâ monetâ decipiens alium, quamvis & ipse eâdem deceptus fuerit; imputet sibi vel decipienti deceptionem, non alteri innocenti; hic retinet Jus, ut non decipiatur. 10. Proximum decipiens vendendo, emendo, aut aliter contrahendo: *quia injustè damnificat.* Sporer *ex comm.*

Coroll. 2. Furtum faciunt M. 1. Aufferens quantitatem notabilem. *Sed quæ illa?* Placet sententia Sbogar. *num. 84.* quantitatem esse notabilem, quæ sufficeret ei, cui auffertur, pro sustentatione unius diei, & sunt duo vel tres du-


cati respectu cujuscunque, florenus respectu mediocriter divitum, medius florenus respectu mechanicorum, aliquot grossi respectu pauperis: quia censetur injuria gravis, aliquem privare victu diurno, adeoque etiam eo, quod sufficit ad victum istum. 2. Aufferens sartori acum, unde grave patitur damnum. 3. Qui furatur modica ex animo furandi multa, ubi furtum externum est veniale, internum mortale. 4. Furto minuto advertenter complens quantitatem notabilem, quamvis eam modica furando non intenderit, ubi furtum ultimum in se est veniale, sed detentio rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, est peccatum mortale. Less. *num. 42.* 5. Quilibet communi consensu ex pluribus per furta minuta inferentibus grave damnum: nam quilibet moraliter influit in singula furta & totum damnum. Herinx *d. 8. num. 18.*

Coroll. 3. Major requiritur quantitas ad furtum mortale 1. In furtis minutis à diversis. 2. In furtis diutiùs interpolatis. 3. In furtis domesticorum & amicorum. Herinx *citat. num. 15.* Quia in his non fit tanta injuria.

Coroll. 4. Non faciunt furtum, vel non mortale 1. Uxor de bonis communibus, convertens in suas, liberorum & familiæ necessitates; item pecunias occultans, ne maritus prodigus in ludos & compotationes profundat. Less. *d. 14.* 2. Famuli & ancillæ aufferentes esculenta communia; maximè si ipsimet absumant. 3. Qui

bonâ

bonâ fide credit Dominum conſenſurum, ſi adeſſet. 4. Sartores retinentes fragmenta; ſi juſtam mercedem non accipiant à Dominis, quibus tamen ob ſartorum copiam, ſi ſe, ſuosque alere velint, laborare debent. Sanch. apud Spor. *num. 68.* Quia retinent in compenſationem mercedis. 5. Accipiens alienum in extrema neceſſitate: *quia in hac omnia ſunt communia*; excipe, niſi dominus ſit in eadem, tunc melior eſt conditio poſſidentis. 6. Utens compenſatione occultâ, ſervatis conditionibus ſervandis; præcipuæ ſunt: ut debitum ſit certum & jam ſolvendum, nec aliter ſolutio obtineri poſſit; Deinde ut vitetur iterata ſolutio, ita peccatum debitoris & damnum tertii; ne debitor putet ſe adhuc obligatum, nec alteri imputetur furtum cum graviſſimo nocumento. Leſſ. *c. 12. n. 57.* Quia licet unicuique ex Jure naturali ſe conſervare indemnem ſinè alterius injuria.



TRACTATUS V.

De Reſtitutione.

CAPUT I.

De Reſtitutione in communi.

Quid ſit Reſtitutio?

Reſtitutio eſt actus Juſtitiæ commutativæ, quo vel ſuum domino redditur, vel damnum illatum ad æqualitatem reparatur.

Unde Obligatio Restitutionis?

Obligatio restitutionis oritur ex re accepta & injusta acceptione: ratione rei acceptæ tenetur restituere, qui habet rem alienam, etiam sinè culpa; ratione injustæ acceptionis tenetur, qui proximum injustè damnificavit.

Quando sit restituendum ex damnificatione?

Ut damnificatio sit formaliter injusta, pariatque obligationem restitutionis sub mortali & in foro conscientiæ, requiritur in damnificante culpa, eáque Theologica gravis sive peccatum mortale. Lugo *ex comm. TT.* Ratio: Quia damnificans sinè culpa solùm per naturalem inadvertentiam vel oblivionem nullam formaliter committit injustitiam.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non tenetur ad restitutionem, qui non impedivit homicidium, furtum, vel aliud proximi damnum, quando debuit ex charitate: *quia restitutio est actus Justitiæ, adeoque supponit Justitiam violatam.* 2. Qui læsit Justitiam distributivam. Herinx *d. 7. num. 29.* Quia competentes ad beneficia, officia &c. non habent strictum Jus, unde extra concursum conferens beneficium vel officium indigno, ad nihil tenetur digno præterito; Ecclesiæ tamen & Reipublicæ tenetur ad damna, si quæ patiantur, reparanda.

Coroll. 2. Ad restitutionem tenetur 1. Qui habet rem alienam, à fure bonâ fide emptam, etsi non

non recipiat pretium: *quia res furtiva clamat Dominum suum, ísque non tenetur dare pretium.* 2. Qui rem furto ablatam perdidit aut consumpsit, tenetur enim ratione injustæ acceptionis. 3. Qui domum incendit, ovem occidit &c. nisi fuerit amens vel aliunde sinè culpa. 4. Advocatus, qui ex malitia aut negligentia culpabili perdit litem justam. 5. Confessarius, qui injungit restitutionem faciendam, cùm esset omittenda, aut omittendam, cùm esset facienda. Excusatur, si respondeat juxta sententiam probabilem, vel dicat ita sibi videri, & non urgeat. Henn. *d. 1. quæst. 5. ex comm.*

Coroll. 3. In foro conscientiæ non tenetur ad restitutionem sub mortali 1. Commodatarius, apud quem res aliena perit absque sua culpa v. gr. incendio, furto improviso &c. nisi pactum iniêrit assecurationis. 2. Qui somno obrutus non extinguit candelam, unde oritur incendium. 3. Advocatus cadens causâ, si fecerit, quod solent docti & diligentes. 4. Qui grave damnum intulit actione tantùm venialiter malâ: *quia ubi injustitia formaliter levis, ibi levis obligatio.* 5. Cujus animal intulit damnum, si ille non fuit in culpa; tenetur tamen in foro externo vel damnum compensare, vel animal dare. *L. 1. ff. si quadrupedem.*



CAPUT II.

De Reſtitutione ex impeditione boni.

Ad quid teneatur impediens à bono ?

AD reſtitutionem tenetur, quanti ſpes injuſtè erepta æſtimatur: 1. Impediens à conſecutione boni impedito ex Juſtitia debiti, ſive vi vel fraude impèdiat, ſive precibus vel conſilio: *quia lædit Jus ad rem, quod habet impeditus.* 2. Impediens à conſecutione boni, non quidem ex Juſtitia impedito debiti, juſtè tamen ſperati, ſi impediat per vim, fraudem, aliúmve modum injurioſum. *comm. DD.* Quia impeditus etſi non habeat Jus ad rem, Jus tamen habet, ut non impediatur modo injurioſo, ídque læditur.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad reſtitutionem tenetur 1. Qui deſtruendo alterius ſata, impedit meſſem. 2. Qui impedit, etiamſi ſinè vi vel fraude, hæredem ab hæreditate, legatarium à legato, emptorem à poſſeſſione rei emptæ &c. Qui dignum impedit vi vel fraude, ne conſequatur Beneficium, ne fiat ei donatio, legatum &c. And. à M. D.

Coroll. 2. Impediens vi vel fraude à Beneficio, non tenetur impedito ad reſtitutionem. 1. Si dicta ſua revocet, quando res adhuc integra. 2. Si petens planè eſt indignus. 3. Si dignus, ad nullam habet ſpem. 4. Si dignus eſt, & ſpem habet, at impeditur, ut conferatur digniori. Leſſ. *num. 125.*

Coroll. 3.

Coroll. 3. Qui ſolis precibus Beneficium procuravit indigno, ad nihil tenetur competitoribus pignis, niſi officia conferantur per concurſum; tenetur tamen Eccleſiæ vel Reipublicæ ad damna ex adminiſtratione indigni evenientia. Herinx *d. 7. num. 29.*

CAPUT III.

De Reſtitutione ex injuria in bonis ſpiritualibus.

Ad quid teneatur ſeducens?

QUi vi aut fraude aliquem induxit ad malum, vel retraxit à bono, tenetur ex Juſtitia procurare ſeducti emendationem, damnique ſubſecuti reparationem. Scotus *4. d. 15. quæſt. 3.* Quia injuſtè damnificavit.

An ſit reſtituendum acceptum ob turpem cauſam?

Seductus acceptum ob turpem cauſam, opere impleto, non tenetur reſtituere, attento Jure naturæ. D. Thom. *quæſt. 62.* apud Leſſ. Quia ſeducens ſub conditione operis dedit, ergo ſeductus opere impleto datum fecit ſuum, ergò de Jure naturæ non tenetur reſtituere.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Falſam doctrinam retractare tenentur, quicunque dederunt.

Coroll. 2.

Coroll. 2. Qui alium solicitat ad peccatum consilio tantùm vel precibus, solicitato ad nihil tenetur, quia peccat solùm contra charitatem. Excipe, nisi Pater solicitet filium, Dominus servum, Prælatus subditum. Metzger. Quia ex officio tenentur à malo reducere, magis non inducere.

Coroll. 3. Dans consilium Judici ad ferendam contra Cajum sententiam injustam, non obligatur ex Justitia Judici: *quia contra hunc non commisit injustitiam, relinquens eum in sua libertate.* Obligatur tamen Cajo in solidum, scilicet in defectu Judicis: *quia Cajo injustè nocuit.*

Coroll. 4. Vi aut fraude Novitium retrahens à professione, Professum à Religione, tenetur ex Justitia reparare damnum tum Religioni, tum extracto. Lugo *d.* 9.

Coroll. 5. Consilio tantùm vel precibus Novitium extrahens à Religione, nec huic tenetur, *quia liberè exit;* nec illi; *quia non habet Jus in bona Novitii, nisi in libera ejus voluntate.* Extrahens Professum ad nihil tenetur professo; Lugo *citat.* Monasterio tamen ad indemnitatem. *Communior contra* Less. & Sanch. Quia tametsi professus utpote consentiens nullam patiatur injuriam, patitur tamen Religio, habens Jus, ne damnificetur.

Coroll. 6. Qui promisit etiam cum Juramento opus peccaminosum, implere non potest; *quia Juramentum nequit esse vinculum iniquitatis;* pretiúmque tenetur restituere: *quia non datur, nisi sub conditione operis.*

Coroll. 7.

Coroll. 7. Meretrix acceptum pro meretricio (nisi acceperit à Religioso, milite, vel pupillo) potest retinere. *L. Affectionis. ff. de Donat.*

Coroll. 8. Quæ accepta sunt à testibus ad dicendum falsum testimonium, à Judicibus ad ferendam injustam sententiam &c. Opere impleto esse de Jure positivo restituenda (juxta aliquos danti, juxta alios pauperibus) affirmat Navarrus, negat And. à M. D. volens, leges oppositas non obligare ante Judicis sententiam.

Coroll. 9. Restituere tenentur, quod acceperunt: Judex pro ferenda sententia justa, vel in favorem unius, quando causa utriusque æquè probabilis; inventor pro reddendo invento; qui novit alterius delictum, ut non revelet &c. Ratio: *quia contra Justitiam exigitur pro eo, quod jam debitum est ex Justitia.* Less. *cap. 14. num. 63.*

CAPUT IV.

De Restitutione ex injuria in bonis naturæ.

Ad quid teneatur occisor?

INjustus occisor aut mutilator per se tenetur 1. Ad compensandum damnum personale in usu vitæ aut membri. *Aliqui* 2. Ad compensanda damna realia in bonis fortunæ. *Omnes.* Ratio: *quia injustè damnificans, quantum & in quibus damnificavit, tenetur damnum reparare saltem æquivalenter, & quantum potest.*

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Restituere tenentur 1. Mutilator expensas curationis, non verò hæredibus, si vulneratus moriatur, expensas funeris: *quia tamen aliquando fuissent facienda*; nec totum lucrum cessans: quia detrahenda, quæ superstes consumpsisset. Less. *cap. 9.* 2. Deturpans puellam, si damnum patiatur in contrahendo matrimonio. 3. Hæredes occisoris ex ejus bonis, etiamsi hic subeat pœnam talionis seu mortis; nisi huic pœnæ, ùt solent, acquiescant hæredes occisi. Navarr. *ex comm.* Ratio: *quia debita realia afficiunt & comitantur bona debitoris.*

Coroll. 2. Occisor restituere tenetur 1. Occisi parentibus, uxori & prolibus; quantum eis debebat occisus & damnificavit occisor. *Omnes.* 2. In defectu præfatorum hæredum aliis hæredibus, sint qualescunque, saltem si eorum damnum adverterit. Her. *num. 73.* 3. Creditoribus occisi, qui habent actionem immediatè in hæredes occisi, & his deficientibus, in occisorem, ut satisfaciat, quantum satisfecisset occisus laborando &c. Layman *cap. 6. contra* Less. 4. Pauperibus: quos alebat occisus. Mastrius *contra* Lugo. Ratio: *quia omnibus istis occisor intulit injuriam in bonis fortunæ.*

Coroll. 3. Occisor non tenetur ad restitutionem 1. Quando ab occiso fuit provocatus: *quia non occidit injustè, utens Jure naturali defensionis.* 2. Quando occisus occisori omnia condonavit & potuit. 3. Quando occisus equidem morte natu-

naturali vel aliâ justâ mox fuit è medio tollendus. Herinx *num. 78.* Tunc occisor peccavit occidendo: *quia injustè abstulit vitam;* non verò damnificavit: *quia aliunde mox è medio tollendus sinè injustitia, non amplius fuit damnificatis ad emolumentum.* Aliud est, si quis alium sciat ab alio injustè interficiendum, is præveniens interficiendo, in se præoccupat obligationem restituendi.

CAPUT V.
De Restitutione ex stupro & adulterio.

Quibus & quantum restituere debeant stuprator & adulter?

RESTITUERE debent illis & tantum, quos & quantum damnificaverunt.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Corruptor Virginis ad nihil tenetur, si nullum secutum sit damnum, vel si virgo spontè consenserit, vel si blanditiis & muneribus fuerit seducta. Sanch. Quia nulla ei facta injuria.

Coroll. 2. Qui virginem defloravit vi vel fraude absque promissione matrimonii, tenetur eam servare indemnem, vel ducendo uxorem, si ipsa velit, vel augendo dotem, ut possit æquè honestè nubere. Navarr. *cap. 16.* Ipsa tamen non tenetur stupratori volenti nubere: *quia non*

stupra-

ſtuprator, qui injuriam intulit, ſed ſtuprata, quæ injuriam paſſa, habet optionem ſatisfactionis.

Coroll. 3. Qui virginem defloravit, verè vel fictè promittendo matrimonium, tenetur eam ducere; ſi verè promiſerit: tenetur ratione promiſſionis; ſi fictè: tenetur ratione injuſtæ deceptionis. *Quid ſi deflorator ſit diſparis conditionis?* Per ſe adhuc tenetur; ſi verè promiſerit, vel ſi fictè & virgo iſtam diſparitatem ignoraverit. *Quid ſi deflorator ante deflorationem voverit caſtitatem aut Religionem?* Iterum tenetur ad matrimonium: ſi puella voti fuerit ignara, & damnum huic illatum non ſit aliter reparabile; *quia votum non obligat cum notabili damno proximi in materia Juſtitiæ ſtrictiùs obligantis*, idque ſtante matrimonio (pro quo contrahendo conſultum, etſi non neceſſarium, petere diſpenſationem) eſt ſopitum, obligans tamen defloratorem in quantum compatibile cum debito matrimonii. Si verò defloratio ſit occulta, & deflorata æquè honeſto ſtatu potiri queat, vel indebitè publicata per ipſam puellam, obſervandum erit votum & defloratæ conſtituenda dos. Her. *d. 6. num. 88.* Leſſ. & alii plerique DD. Excipe defloratorem non teneri ad matrimonium 1. Si fictio potuerit facilè adverti: *quia decepta decipi voluit.* 2. Si puella ſe finxerit virginem, vel poſtea proſtituerit; *quia in tali caſu etiam ſponſalia non obligant.* 3. Si ſequantur ſcandala vel alia gravia mala. 4. Si puella nolit, & tunc ſtuprator non tenetur ad aliud; *quia aliud non promiſit;* niſi ſe finxerit divitem,

tem, ut puellam deciperet; tunc enim ratione deceptionis tenetur ei satisfacere. Less. *c. 10. d. 34.*

Coroll. 4. Adulter & adultera, prole certò secutâ, tenentur & quidem quisque pro rata, imò deficiente uno, quilibet in solidum ad reparanda damna marito & legitimis in alimentis & hæreditate ex suppositione spurii obvenientia. *Quid si adulter suppositionem dissuaserit?* Diana eum exonerat, veriùs adhuc tenetur, si mulier aliter non potuerit: *quia in necessitatem istam ab adultero conjecta. Quid in dubio, an proles sit ex adulterio?* Juxta Less. *num. 39.* tenentur ad nihil: juxta Layman *cap. 14.* & veriùs tenentur pro ratione dubii, quia constat de delicto; ergo non magìs favendum est adulteris reis, quàm marito innocenti.

Coroll. 5. Adultera plerumque non tenetur manifestare delictum spurio, minùs aliis. Scot. *d. 15. q. 2.* Quia sibi obest, nec aliis prodest. Tenetur tamen quovis modo curare, ne hæredes legitimi ex suppositione illegitimi damnificentur; quodsi impedire omnino non valet, sufficit poenitentia & prompta voluntas.

Coroll. 6. Qui proles exponunt, quamvis licitè, tenentur refundere expensas, nisi factæ ab Orphanotrophio ad hujusmodi proles nutriendas fundato. Laym. *cit.*



CAPUT VI.

De Reſtitutione ex læſione famæ.

Quis teneatur famam reſtituere?

OMnis & ſolus ille tenetur ex Juſtitia famam reſtituere, qui illam per injuſtitiam abſtulit phyſicè aut moraliter. Ratio: *Quia læſio famæ eſt injuria perſonalis, ergo à perſona injuriante, non ab hæredibus reparanda. Quidſi famam læſerit quis merè materialiter, putans delictum eſſe publicum?* Non peccavit lædendo, peccat non reparando: *qui bonâ fide accepit alienum, ceſſante bonâ fide tenetur reſtituere;* Sic & in præſenti.

Cui Fama reſtituenda?

Fama reſtitui debet proximo, cui injuſtè ablata, etiam defuncto. Ratio: *Quia defunctus retinet Jus ad famam, in fama ſuperſtes.*

Quomodo Fama reſtituenda?

Qui propalavit crimen verum, non poteſt dicere: *fui mentitus,* quia mentiretur, ſed dicat: *malè fui locutus: injuſtè infamavi: nolo dixiſſe quæ dixi &c.* qui verò impoſuit crimen falſum, tenetur dicere: *ſe fuiſſe mentitum, erràſſe, rem non ita eſſe &c. quia famam abſtulit mentiendo; ergo reddere debet fatendo, ſe mentitum &c.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad reſtitutionem famæ tenentur 1. Qui impoſuit crimen falſum. 2. Qui injuſtè revelavit verum, ſciens eſſe occultum. 3. Qui reve-

revelavit verum, putans eſſe publicum; at non tenetur ad reſtitutionem damnorum, ſi quæ ſecuta ante errorem cognitum, hæc enim non fuerunt volita. 4. Qui ſcripſit libellum famoſum. 5. Auditores infamatoris, infamantes ulterius: *quia & ipſi committunt injuſtitiam.* Navarr. apud Leſſ. 6. Superior audiens & non impediens ſubditum detrahentem. Ratio: *Quia ſuperior ex officio ſubditorum ſuorum detractionem & paſſivam & activam impedire tenetur;* ſi non impediat, ipſemet ſubdito non reſtituente reſtituet. Si verò in abſentia ſuperioris ſubditus detrahat, ſuperiori nequit imputari; neque hic obligatur reſtituere in ſolidum.

Coroll. 2. Ad reſtitutionem damnorum ex infamatione ſecutorum tenetur infamator, & poſt mortem ejus tenentur hæredes: *quia obligatio eſt realis, afficiens infamatoris bona, adeoque eum, ad quem tranſeunt.* Leſſ. *c. 11. d. 21.*

Coroll. 3. A reſtitutione famæ excuſat 1. Ejus impoſſibilitas. 2. Juſta condonatio. 3. Infamationis oblivio. 4. Famæ recuperatio. 5. Mutua compenſatio: equidem infamantem infamare per ſe non licet, ſi tamen infamaveris eum, qui te priùs infamavit, tu licitè non reſtituis illi, donec ille reſtituat tibi. 6. Crimen occultum, quod aliquibus dixiſti: aliâ ratione evadens publicum. Her. *num. 77.*

CAPUT VII.

De Reſtitutione in bonis fortunæ.

Quis reſtituere debeat bona fortunæ & quæ?

RESTITUERE debet, qui alienum aut detinet, aut injuſtè accepit, ſive per ſe ſive per alium. Res aliena reſtitui debet in ſe, ſi poſſit, aliàs in æquivalenti. Damnum compenſari debet ad æqualitatem. *Omnes.* Quia aliàs non tollitur injuſtitia.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad reſtitutionem in bonis fortunæ obligantur 1. Poſſeſſor bonæ fidei. 2. Poſſeſſor malæ fidei. 3. Damnificans & ad damnum cooperantes.

Coroll. 2. Non ſatisfacit, qui rem alienam, ſciens dominum, dat pauperibus; vel ſibi retinens orat pro domino: *quia hic præſumitur invitus.*

Coroll. 3. Per ſe loquendo res aliena adhuc exiſtens eadem numero reſtituenda eſt; ad hanc enim Jus habet dominus ejus. Si non poſſit, dandum eſt æquivalens ſive ejusdem ſive diverſi generis, v. gr. in rebus functionem ſuſcipienti-bus, pecunia, frumento, vino &c. unum pro alio &c. non tamen aliquid inferioris ordinis v. gr. pecunia pro fama, hæc enim non eſt compenſabilis illâ.

CAPUT VIII.

De Restitutione à Possessore bonæ fidei.

Quis Possessor bonæ fidei?

POssessor est vel bonæ vel malæ vel dubiæ fidei. Primus est, qui rem, quam possidet, inculpabiliter judicat esse suam; Secundus, qui scit vel culpabiliter ignorat esse alienam; Tertius, qui dubitat, an sua sit, nec ne.

Ad quid obligetur?

Possessor bonæ fidei, cognoscens rem esse alienam, tenetur eam gratìs domino suo restituere, quantum extat vel in se vel in æquivalenti. *Communis T.T.* Ratio: Quia cessat bona fides, adeoque res statim restituenda est domino suo, cùm verò Possessor bonæ fidei teneatur restituere solùm ratione rei alienæ acceptæ, non tenetur ad plus, quàm de re in se vel fructu suo extet.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Possessor bonæ fidei tenetur restituere 1. Rem alienam. 2. Fructus ejus naturales: *quia res fructificat domino suo.* 3. Mixtos, deductis expensis, & æstimatione laboris. Less. *d. 2.*

Coroll. 2. Qui vestem à fure donatam bonâ fide attrivit, domino comparenti tenetur restituere vestem & pretium usûs, quantum factus ditior, parcendo propriæ; si vestem à fure emerit, nihil præter ipsam restituet, amittens pretium datum.

Coroll. 3. Qui bonâ fide rem emit furtivam, reddere poteſt eam furi, ut recipiat pretium, ſi aliàs non recepturus. Ita multi DD. apud Sporer *p. 4. c. 2.* contra multos alios. Ratio: Quia ad vitandum damnum proprium rem licitè reponit ac relinquit in ſtatu, in quo ante erat. *Quid ſi malâ fide emerit ſciens vel dubitans rem eſſe alienam?* Idem indulgent multi cum Sporer *cit.* negat Leſſ. *cum comm.*

Coroll. 4. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem 1. Factâ præſcriptione: *quia rem facit ſuam.* 2. Si res perierit ſive fortuitò ſive culpâ, aut ſit conſumpta, nec factus inde ditior: ubi enim nihil rei bonâ fide acceptæ reſtat, nihil eſt reſtituendum. 3. Si rem furtivam juſto pretio emptam, durante bonâ fide, iterum vendiderit eodem vel minori pretio; Si majori: tenetur reſtituere auctuarium, niſi fructus ſit induſtrialis. 4. Si poſtea fiat dubiæ fidei, & factâ inquiſitione remaneat dubium. Sbogar. Quia melior conditio poſſidentis.

CAPUT IX.

De Reſtitutione à Poſſeſſore malæ & dubiæ fidei.

Ad quid obligetur Poſſeſſor malæ fidei?

POſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem ipſam, ſi extet, aliàs æquivalens & omne intereſſe. Laym. *ex commun.* Quia violavit Juſtitiam commutativam, rem alienam injuſtè accipien-

cipiendo vel detinendo; ergo non tantùm rem ipsam vel eâ non extante æquivalens restituere, sed & dominum indemnem servare tenetur.

Ad quid Possessor dubiæ fidei?

Accipiens rem dubiam animo, si non sua, reddendi domino, non peccat, & domino post debitam inquisitionem non comparente licitè eam retinet & consumit; quodsi posteà dominus compareat, solùm tenetur restituere, quantum factus est ditior. Accipiens verò rem dubiam animo sibi retinendi, peccat contra Justitiam, tenetúrque præmisso examine ad restitutionem totius, si inveniat, rem esse alienam; Si maneat dubium, tenetur ad restitutionem partis dubio proportionatæ, dividendo illis, qui in dubium veniunt, uni vel alteri plus vel minus pro qualitate dubii. *Ratio:* quia talis dubitans non potest retinere totum, cùm injustè acceperit, nec tenetur restituere totum, cùm remaneat illi sicut aliis Jus dubium. Sanch. Less. Laym. apud Sporer *Tract. 4. c. 2.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Possessor malæ fidei debet restituere 1. Rem ipsam, quam subripuit ex incendio. Sbog. *n. 76.* vel æquivalens, si pereat apud ipsum quomodocunque, dum est in mora culpabili restitutionis. 2. Rei æstimationem, quam aufert injustè & consumit, non obstante, quòd periisset apud dominum aut ablata fuisset. 3. Rei

meliorationem, si extet, tum intrinsecam v. gr. bovem apud se impinguatum; tum extrinsecam, v. gr. modius frumenti valet 6. floren. tempore ablationis, & 9. tempore consumptionis, debet solvere 9. floren. si verò valuerit 9. & iterum 6. tempore consumptionis, ad 6. obligatur, nisi dominus ante vendidisset novem. Navarr. *c. 17.* 4. Rei deteriorationem, ùt si bos pinguis factus sit macilentus. 5. Omnes fructus, quâ parte sunt naturales, etiam non extantes, etiam quos non percepit, percepisset autem dominus rei, item quos percepit, & dominus non percepisset. Less. *d. 17.* Quia possessor malæ fidei tantùm debet restituere, ut dominus rei ablatæ vel damnificatæ nullum patiatur damnum, nullúmve amittat interesse.

Coroll. 2. Possessor malæ fidei non tenetur restituere 1. Si res aliena apud se pereat casu v. gr. domûs incendio; equus morte naturali, quâ eâdem certò apud dominum fuisset moriturus. 2. Si mactet ovem jam morituram. Hen. *n. 25.* Quia in tali casu domino nullius est valoris.

Coroll. 3. Insuper peccat mortaliter Possessor dubiæ fidei, qui accepit rem animo retinendi, dubitans, an sit vendentis, donantis &c. resciens esse furtivam tenetur ad restitutionem, tametsi pretium non sit recuperaturus. Spor. *n. 134.* Advertant, qui à quibuslibet personis præsertim filiisfamilias quælibet emunt suppellectilia.

Coroll. 4.

Coroll. 4. Quando conſtat, unum ex pluribus actione ſuâ intuliſſe damnum dubitatur autem, quis intulerit, tenentur ſinguli reſtituere pro ratione dubii; *quia Poſſeſſio ſtat pro delicto*, ergo prout ſinguli ſunt gravati, debent concurrere ad reſtitutionem. Imò ſi damnum ſit illatum ex mutuo conſenſu, tenetur quilibet in ſolidum, deficientibus aliis.

CAPUT X.

De Reſtitutione & cooperantibus ad damnum.

Qui ſint cooperantes ad damnum?

COoperantes ad damnum ſunt, qui præter phyſicum damnificatorem concurrunt ad damnum. Alii ſunt cooperantes poſitivè, ponendo actionem; alii negativè, non impediendo. Cooperantes poſitivè ſunt *mandans, conſulens, conſentiens, palpo, recurſum præbens, participans.* Negativè cooperantes ſunt *mutus, non obſtans, non manifeſtans;* cooperantur efficaciter, ſi ex cooperatione ſequatur effectus.

Ad quid obligentur Cooperantes poſitivè?

Cooperantes poſitivè & efficaciter ad damnum, etſi ſeclusâ cooperatione inferendum, tenentur ad reſtitutionem, & quidem ſinguli in ſolidum, id eſt ad reſtitutionem totius, aliis, qui complices ſunt, non reſtituentibus, ſi ex conſpiratione in totum influxerunt damnum.

Ratio: quia omnis damnificans tenetur indemnizare, quantum damnificavit.

Ad quid Cooperantes negativè?

Cooperantes negativè tenentur ad restitutionem, si damnum impedire debuerint ex Justitia officii vel contractûs; secus est, si tantùm ex charitate. *Com. ex* D. Thom. *q. 62.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Cooperantes positivè & restitutioni obnoxii sunt 1. *Mandans* sive explicitè mandet sive implicitè, cum vel sine potestate; etiamsi erret mandatarius, occidens alium, quàm voluerit mandans: *quia occisionis causa est mandatum*; unde volenti auferre 50. suadens auferre 100. obligatur ad 50. 2. *Consentiens*: Unde suffragantes sententiæ iniquæ, electioni personæ indignæ &c. tenentur ad omnia damna inde sequentia; nec excusat ultimò suffragantem, quòd alii suffragia seu jam dederint, esto excusent Caj. Less. & nonnulli. Ratio: quia ad sententiam & electionem concurrit tam votum ultimum, quàm priora. 3. *Palpo:* qui adulando, laudando &c. efficaciter movet ad damnum. 4. *Recursum præbens:* qui rem ablatam injustè abscondit, & malefactorem ùt talem recipit in malo confortaturus. 5. *Participans:* qui particeps est vel prædæ, partem recipiendo; vel iniquæ operationis, claves adulterinas efficiendo, excubias agendo, prædas deportando &c. Hen. *d. 4.*

Coroll. 2.

Coroll. 2. Restitutioni non sunt obnoxii 1. Mandans: si mandatum revocet, idque mandatario ante executionem innotescat. 2. Consulens: si consilium sit inefficax; vel si furi parato auferre à Petro 100. consulat, ut tantùm auferat 50. secus est, si consulat, ut non à Petro 100. sed à Paulo auferat 50. 3. Recursum præbens: si malefactorem recipiat ùt aliam personam titulo amicitiæ, aut ex compassione. 4. Ratum duntaxat habens damnum, nomine suo factum. Herinx *d. 8. q. 3.* Ratio: quia damnificatio nequit illis adscribi.

Coroll. 3. Cooperantes negativè & restitutioni obnoxii sunt 1. Principes, Magistratus, Bellidux, ex culpa gravi non impedientes furta, homicidia, spolia &c. 2. Consiliarius, Canonicus, non impedientes iniquam constitutionem, electionem &c. quando & quantum possunt. 3. Tutor non impediens damna pupillorum. 4 Pastores, famuli, custodes agrorum, sylvarum, piscinarum, gabellarum, & similes, qui non impediunt damna, quæ possunt & debent, aut fures vel defraudatores non manifestant: quia tenentur ex officio impedire damnum. *At quid de mulctâ, si pœna sit statuta in venantes, lignantes, & custodes non accusent?* Eos teneri mulctam compensare, quidam affirmant ex Soto; negant Less. Sylv. &c. Ratio: *quia non habent in commissis dominum vel fiscum mulctis ditare*, sed solùm sylvam custodire & damna avertere, quodsi habeant aliam commissionem ipsi attendant. *Quid*

si Pe-

si Petrus à fure accipiat pecuniam, ut non clamet? Si ad clamandum non fuerit obligatus, nec obligatur ad furtum compensandum. Herinx *cit. num. 64.*

Coroll. 4. Si plures furentur ex eodem ærario, piscina, sylva &c. Sed absque conspiratione, quilibet solùm restituere debet id, quod abstulit.

Coroll. 5. In damnificatione lucrativâ, ùt est furtum, 1. Debet restituere, apud quem res illa existit, vel malâ fide est consumpta. In non lucrativa, ùt est incendium, *si plures ad eam æqualiter concurrerint*, æqualiter debent restituere, quilibet suam partem, & in defectu aliorum, totum; *Si inæqualiter:* obligatur 1. Mandans cum potestate. 2. Executor. 3. His deficientibus, cooperantes positivè, & post hos cooperantes negativè scil. mutus, non obstans, non manifestans; damnum reparaturi, proportionaliter inter se dividendo. Sbogar *cit. c. 8.*

Coroll. 6. Restituente principaliter obligato, aut restitutione ei condonatâ, reliqui sunt liberi, non econtra: *quia solùm in principaliter obligato obligantur alii, & his in defectu principalis satisfacientibus, tenetur iste restituere.* Restitutione plenè condonatâ uni æqualiter damnificantium, hic ad nihil tenetur; condonatâ solùm suâ parte, obligatur in solidum ad partes sociorum. Less. *c. 13. d. 8.*

CA-

CAPUT XI.
De Circumstantiis Restitutionis.

Quis debeat restituere?

RE stituere debet, qui realiter læsit jus alterius sive physicè, sive moraliter injustè accipiendo aut detinendo. Lædens solùm intentionaliter, peccat quidem, non tamen est, quod restituat.

Quid restituendum?

Cuique suum ad æqualitatem.

Cui restituendum?

Debita simpliciter incerta ex delicto v. gr. furto restituenda sunt in pauperes vel pios usus, idémque probabilius est de incertis ex contractu vel re acceptâ tantùm. 2. Debita certa domino suo, si mortuus, hæredibus. Res commodata, deposita, oppignorata &c. non domino, sed commodatario, depositario, hypothecario, his enim debetur respectivè, quà talis. 4. Creditori suo, non creditoris creditori; valet tamen in foro conscientiæ & quandoque licet. Sbogar *tr. 141.*

Quo ordine restituendum?

Præferenda sunt 1. Debita realia personalibus in totum; sunt autem debita realia, in quæ immediatè tanquam sua creditor habet actionem; personalia sunt, quæ creditori pariunt actionem in personam, ut solvat. Adeoque

res

res aliena in individuo v. gr. ex deposito extans, prius est restituenda domino suo; vel si huic non possit, pauperibus. Item res inventa, bonâ fide accepta, acquisita per furtum vel aliter injustè, est integra restituenda domino suo, priusquam debitis personalibus satisfiat: *quia dominium rerum ejusmodi mansit apud creditorem seu dominum, ergo illi soli debentur.* Item probabiliùs res empta reddenda est venditori, si nondum solutum sit pretium, etsi transiêrit in dominium emptoris. 2. Inter debita personalia præferenda sunt privilegiata v. gr. expensæ funeris, pharmacorum pretia, operariorum merces. 3. Hypothecata præferenda chirographiis, & hæc nudis. Inter plura autem hypothecata, priora tempore præferenda sunt posterioribus. 4. Inter nuda, præferenda sunt onerosa gratuitis, puta, debita ex contractu oneroso debitis ex gratuito v. gr. donatione, legato &c. maturata nondum maturatis. Hæc omnia in totum, reliqua indifferenter pro rata parte debiti, servatâ proportione Geometricâ. Sporer *c. 4. n. 23.*

Ubi restituendum?

Restituendum est in loco congruo, ut possessor bonæ fidei & dominus rei, restituente Possessore malæ fidei, maneant indemnes.

Quibus auxiliis restituendum?

Restituendum est expensis propriis, si restitutio debita sit ex injusta acceptione, expensis domini seu creditoris, si restitutio sit debita ex re accep-

accepta tantùm; si verò debita ex contractu, tunc expensis illius, in cujus utilitatem factus est contractus. *Communis.*

Cur restituendum?

Restituendum est ob honestatem Justitiæ; accedere potest motivum alterius virtutis. Si quis coactus nolens volens restituat, satisfacit quidem obligationi restituendi, peccat tamen ob pravam voluntatem non restituendi.

Quomodo restituendum?

Restituere tenetur debitor periculo quandoque suo, quandoque creditoris: periculo suo restituit debitor, sibíque res perit in via 1. Si culpa sua gravi pereat. 2. Si remittat rem injustè ablatam & pereat, etiamsi non sit in causa. Ratio: Quia debitori ex delicto imputatur causa damni. Si enim rem non abstulisset, & injustè detinuisset, domino taliter non periisset. Rem debitam in individuo perire domino suo, verum est, quando perit sinè culpa debitoris; hìc autem intervenit culpa: *quia injusta ablatio fuit causa & occasio interitûs.* Periculo creditoris restituit debitor, eíque res perit 1. Si nuncius ab ipsomet creditore vel cum ejus consensu à debitore electus. 2. Si fideliter remittat rem, quam habuit sinè culpa. *Quid si res transferenda sit debita ex contractu?* Transfertur cum periculo creditoris, si remittatur eadem numero, quæ fuit accepta, ùt fit in commodato, deposito &c. At cum periculo debitoris, si reddatur eadem

tan-

tantùm in genere aut ſpecie, ùt fit in mutuo, emptione &c. Hinc ſi debitor remittat librum commodatum, & ſimul pecuniam ex mutuo vel emptione debitam, aufugiente nuncio aliàs fideli, tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, non libri: *quia iſta fuit ſua, non liber; & res quæque perit domino ſuo.* Her. *q. 6. ex comm.*

Quando reſtituendum?

Debita extra contractum reſtitui debent in affectu ſtatim: nolens enim reſtituere, peccat; in re, quamprimum moraliter poſſunt; aliàs non reſtituens tenetur damnis ex injuſtè dilata reſtitutione ſecutis. Debita ex contractu reſtituenda, prout contrahentes convenerunt. Her. *citat.*

CAPUT XII.

De Cauſis excuſantibus à Reſtitutione.

CAuſæ excuſantes, ut reſtitutio licitè differri poſſit, ſunt ignorantia, impotentia, damnum proprium, damnum alienum.

I. Ignorantia excuſat, quando eſt inculpabilis aut facti aut Juris, ùt ſi quis ignoret, quòd res ſit aliena, aut quòd reſtituenda.

II. Impotentia excuſat, quando debitor omnino non habet, unde ſolvat.

III. Damnum proprium excuſat, quando debitor reſtituere nequit, niſi cum jactura animæ, corporis, famæ, aut bonorum temporalium; obligatur tamen 1. Si poſſit per tertium v. gr. per confeſſarium. 2. Si creditor indigeat, aliàs

æquale

æquale aut maius damnum passurus: *quia in pari causa potior est conditio possidentis.*

IV. Damnum alienum excusat, si ex restitutione aut ipsi creditori, aut alicui tertio, aut communitati sit proventurum. His causis durantibus obligatio restituendi quasi dormit; ipsis verò cessantibus, denuo evigilat & reviviscit.

Causæ excusantes, ut restitutio omnino omitti possit, sunt interitus rei, remissio creditoris, compensatio, authoritas legitima.

I. Interitus rei in individuo debitæ excusat, si pereat sinè omni culpa debitoris, ísque sit bonæ fidei. Unde & qui rem alienam in extrema necessitate accepit & consumpsit, postea ad nihil tenetur; si verò ante eam acceperit injustè, tenetur ad æquivalens. Her. *q. 7.*

II. Remissio creditoris excusat, si fiat 1. A potente remittere. 2. Liberè sinè vi vel fraude; unde obligatus manet, qui remissionem injustè extorquet, dicendo: non tibi solvam, nisi remittas dimidium &c. Sporer *num. 84.*

III. Compensatio excusat facta vel ipsi debitori: út si creditor vicissim ei debeat; vel creditoris creditori: ùt si debitor restituat creditoris sui creditori; vel creditori ipsi: ùt si debitor creditori tantum donet, beneficium exhibeat &c. ex intentione ita satisfaciendi.

IV. Authoritas legitima excusat v. gr. per legem præscriptionis, & per justam Judicis sententiam. Huc refertur *cessio bonorum*, quando debitor

tor creditoribus omnia ſua bona cedit, inter ipſos dividenda; cedens tamen in foro conſcientiæ reſervare poteſt neceſſaria ad ſuſtentationem, ad hanc enim quilibet jus habet, redeunte autem meliori fortunâ reliquum ſolvere obligatus manet: *quia ceſſio bonorum excuſat ob ſolvendi impotentiam;* hac igitur ceſſante, ceſſat excuſatio.
2. Ingreſſus Religionis, factâ ceſſione bonorum: nam monaſterium non tenetur ſolvere ex bonis ſuis, & quidquid Religioſus acquirit, monaſterio acquirit. Tambur. *num. 12.* Quodſi tamen ſuperior debitis gravatum & cum injuria creditorum profitentem ſcienter admiſerit, tenetur dare licentiam, ut per opera ſtatui ſuo proportionata ſatisfaciat. Ratio: quia reſtitutioni obnoxium ponens in ſtatu, in quo non eſt ſolvendo, ſolutionis curam gerere tenetur. Layman. Henn. Unde Novitius illicitè ingreditur Religionem, ſi ſperet, quòd uno vel altero anno manendo in ſæculo poſſit debita ſolvere; ſecus, ſi deberet ad longum tempus exſpectare. Leſſ. *l. 2. c. 16.* Alii aliter ſentiunt apud Sporer *c. 4. n. 100.*

TRACTATUS VI.

De Contractibus in genere & in ſpecie.

CAPUT I.

De Natura Contractûs.

Quid Contractus & quotuplex?

CONtractus eſt duorum vel plurium in idem conſenſus, in uno ſaltem obligationem pariens.

riens. Dividitur 1. In gratuitum & oneroſum. Gratuitus eſt, in quo pro accepto nihil rependitur, ùt in donatione, teſtamento &c. Oneroſus eſt, in quo aliquid datur & accipitur. Primus in uno contrahente parit obligationem, ſecundus in utroque. 2. In nudum & veſtitum, de quibus infra. 3. In abſolutum & conditionatum. Primus fit independenter, ſecundus dependenter à conditione, quâ non eveniente nec valet, nec obligat. 4. In explicitum, qui fit expreſsè, & implicitum, qui fit tacitè v. gr. ſuſcipiens officium Tutoris, Judicis &c. cenſetur titulo Juſtitiæ ſe obligare ad munia annexa.

Qualis debeat eſſe conſenſus, ut valeat Contractus.

Debet eſſe 1. Promiſſorius verus. 2. Voluntarius & liber. 3. Senſibiliter expreſſus: quia homines ſolis ſenſibilibus inter ſe communicant. 4. Reciprocus, id eſt ex parte utriusque contrahentis; unde donatio, promiſſio ante acceptationem donatarii, promiſſarii, non ſunt contractus. 5. Factus à perſona habente rerum ſuarum adminiſtrationem. 6. Lege non prohibitus. 7. Circa materiam poſſibilem, & honeſtam: quia ad impoſſibile & inhoneſtum nulla obligatio. *Comm. DD.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Invalidè contrahunt 1. Qui fictè. 2. Qui errat vel decipitur circa ſubſtantiam rei, aut qualitates per ſe intentas & ſub conditione

positas à se contrahente: quia deest consensus. 3. Qui ob turpem causam vel de re iniqua. 4. Religiosus sinè consensu Prælati: quia non est sui Juris. 5. Pupilli & Minores de bonis immobilibus vel mobilibus, *quæ servando servari possunt*; etsi contrahant cum consensu Tutoris aut Curatoris, nisi etiam fiat interventu Judicis. *L. 22. Cod. de administr. Tutor.* 6. Amentes & Ebrii: *quia consensus non est voluntarius & liber.*

Coroll. 2. Validè contrahunt 1. Qui errat circa meras qualitates impulsivas, etsi error sit antecedens, dans causam contractui, vel proveniat ab altera parte contrahente, aut aliquo tertio: quia taliter contrahens absolutè consentit in substantiam rei; non consensisset quidem, si non errâsset, de facto tamen consentit. 2. Qui ex metu gravi, etsi sit ab extrinseco injustè incussus: quia metus non tollit simpliciter voluntarium; excipe sponsalia, matrimonium, professionem Religiosam; non valent de Jure positivo, si fiant ex metu gravi ab extrinseco. 3. Filiusfamilias de bonis castrensibus & quasi castrensibus. Item pupillus & minorennis, si puberes aut pubertati proximi. Est autem pubes masculus annorum 14. Fœmella 12. Iste pubertati proximus ab anno 10. hæc à nono cum dimidio. Her. *d. 5. q. 3.*

Coroll. 3. Filiusfamilias impubes ex nullo contractu de bonis suis, etiam cum consensu patris, obligatur civiliter; Pubes verò ex omni contractu, Patri etiam invito non præjudicante, obliga-

ligatur & naturaliter & civiliter. Pupillus pubertati proximus, vel pubes & Minorennis seu minor annis 25. cum authoritate Tutoris contrahens, obligatur & naturaliter & civiliter; contrahens sinè ista authoritate, non obligatur civiliter, quamvis alterum contrahentem obliget sibi in suum commodum; probabiliùs tamen obligatur naturaliter seu in foro conscientiæ, quousque se beneficio restitutionis in integrum defendat. Sporer *ex LL. variis.* Ubi nota, aliud esse obligari *naturaliter*, aliud *civiliter*: primum est, obligari de Jure naturæ & in foro interno; secundum, obligari de Jure positivo & in foro externo, ita ut in foro civili detur actio.

Coroll. 4. Contractus naturâ suâ solubilis rescindi potest 1. A decepto, deceptione proveniente ab altero contrahente. 2. Ab eo, qui contraxit ex metu gravi injustè incusso. Less. *d. 6.* Imò qui metum incussit, tenetur ante Judicis sententiam restituere id, quod ex contractu accepit, & omnia damna resarcire: *quia injustè vexans, injuriam intulit.*

Coroll. 5. Contractus invalidus non confirmatur Juramento: nequit enim firmari, quod non subsistit; Juramentum tamen est validum, nisi de re sit iniqua vel prohibita, debétque servari. Contractus Juramento confirmatus vel traditione, scripturâ, instrumento publico &c. dicitur *vestitus*, & parit obligationem civilem, nempe in foro civili dat actionem; quod non facit contractus nudus. Sbogar *tr. 42. num. 12.*

CAPUT II.
De Promissione & Donatione.
Quid Promissio & Donatio?

PRomissio est gratuita fidei obligatio de re facienda in futurum. Donatio est liberalis rei collatio. *Communis.*

Qualiter obliget Promissio?

Obligat de se ex fidelitate sub V. de voluntate promittentis etiam ex Justitia, si nimirum promittens ita voluerit sese obligare; & tunc de genere suo sub M. *Ex communi.* Quia stat penes promittentem ex Justitia se obligare, vel non; graviter, aut leviter.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Promissio ex Justitia obligans in re gravi (qualis est juxta Navarrum, si sufficiat ad furtum mortale, at nimis rigidè; juxta Stephan. à S. P. si duplo major) obligat sub M. Excipe nisi promittens voluerit obligari sub V.

Coroll. 2. Promissio non obligat 1. Si merè interna, facta homini, utpote non acceptabilis; secus si Deo, qui intuetur cor, statimque acceptat. 2. Si merè externa absque animo se obligandi. 3. Si non acceptata, eáque revocabilis est ad beneplacitum promittentis, & moriente promissario jus acceptandi, utpote personale, non transit ad illius hæredes. Si verò ante acceptationem moriatur promittens, & ante mortem ejus promissarius acceptare non potue-

potuerit, poterit post eam: *quia gratia non extinguitur morte gratificantis, & hæredes obligantur defuncti promissionem implere.* 4. Si res promissa fiat illicita, vel promissario inutilis. 5. Superveniente notabili mutatione, qua stante promittens censetur, noluisse se obligare. 6. Si res in individuo promissa pereat; secus, si ex multis ovibus indeterminatè promissa sit una, & aliquæ pereant. Sporer *n.72.* 7. Ob ingratitudinem, scilicet positivam, promissarii. 8. Ob non subsistentiam causæ principalis; sic cessat promissio ob paupertatem, si promissarius comperiatur revera non pauper.

Coroll. 3. Donatio est invalida 1. Facta à non habentibus dominium rei vel administrationem. 2. Quæ est bonorum omnium inter vivos, nisi ad pias causas; secus, si fiat causâ mortis. 3. Quantum excedit 500. solidos scil. aureos, qui faciunt 1000. Imperiales. *L. penult. C. de Donat.* Valet tamen, etiam quantum ad excessum, si insinuetur Judici, vel fiat ad pias causas, aut ædium reparationem, vel à Principe, aut Principi à privato, vel militibus à Belli Ducibus. *L. Sancimus. 34. Cod. de Donat.*

Coroll. 4. Donatio inter vivos est revocabilis 1. Quando est inofficiosa, nimirum si adimat liberis legitimam jure naturæ à parentibus debitam, aut parentibus media ad sustentationem à liberis subministranda. 2. Propter susceptionem prolis. 3. Ob enormem Donatarii ingratitudinem. Donatio causâ mortis revocatur

1. Quando transit mortis periculum. 2. Per mortem Donatarii. 3. Per solam Donatoris voluntatem, quæ sicut & testatoris juxta Juristas est ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum. Her. *q. 3.*

CAPUT III.

De Commodato & Deposito.

Quid Commodatum & Depositum?

COmmodatum est contractus gratuitus, quo res conceditur ad solum usum pro determinato tempore; si pro indeterminato tempore, donec revocetur, est precarium. Depositum est contractus, quo res alteri custodienda traditur, ut eadem gratis reddatur. Huc pertinet sequestrum, quo res aliqua, de qua lis est, eâ pendente deponitur apud tertiam personam, quæ vocatur sequester, postea tradenda victori. *Commun. DD.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Obligationes Commodatarii sunt 1. Restituere rem numero & qualitate eandem. *Quid si perierit?* Suppositâ culpâ restituet in æquivalenti. 2. Præstare expensas ordinarias v. gr. pabulum æquo. 3. Re non uti, nisi ad usum concessum. Sporer *c. 8.*

Coroll. 2. Obligationes Depositarii sunt 1. Re depositâ non uti, licet tamen de præsumpto Domini consensu, si res non consumatur usu,

aut

aut saltem in eadem bonitate certò possit reddi, quandocunque Dominus voluerit. 2. Eandem numero restituere, & quidem in loco, ubi accepta. Sbogar *tr. 58.* Quia dominium depositi manet apud deponentem, & huic restitui debet absque gravamine Depositarii.

CAPUT IV.

De ultima Voluntate.

Quid ultima Voluntas, quæ species ejus?

ULtima voluntas est dispositio de eo, quod quis fieri vult post mortem suam. Species ejus sunt: Testamentum, Codicillus, Legatum, Fidei-commissum, Donatio causâ mortis.

Quid Testamentum, Codicillus &c.?

Testamentum est ultima voluntatis dispositio solemniter facta cum hæredis institutione. Aliud est *scriptum seu clausum*, ad quod requiruntur septem testes legitimi, rogati, subscribentes & subsignantes. Aliud est *nuncupativum*, quando testator coram totidem testibus exprimit nomen hæredis, & quæ vult; solet tamen plerumque à Notario Publico redigi in scripturam seu Instrumentum publicum. *Codicillus* est certa dispositio, quâ sinè hæredis institutione aut revocatione quædam in testamento mutantur, addendo, vel minuendo. *Legatum* est quædam testatoris donatio, ab hærede præstanda. *Fidei-commissum* est, quando testator fidei hæredis sui ali-

quid committit tradendum alteri, ídque vel statim vel post mortem fidei-commissarii.

Qualiter obliget Testamentum?

Testamentum, non privilegiatum, sine solemnitatibus juris non obligat in foro externo, & factum ad causas profanas probabiliùs nec in foro conscientiæ: quia *L. Si quæramus. 4. ff. de test.* dicitur *infectum, nullum &c.* In hoc tamen obligat factum ad causas pias, modò adsint illa, quæ jus naturæ exigit; nimirum ut certò constet de voluntate defuncti. Ratio: *quia potestas civilis nequit impedire ea, quæ spectant ad salutem animarum & obveniunt Ecclesiis, locísque piis.* Herinx *d. 2. q. 4.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Legatum est nullum: 1. Si Legatarius putetur vivus & sit mortuus, vel moriatur ante Testatorem. 2. Cessante fine principaliter intento: *quia hæc censetur mens Testatoris.* 3. Si hæres nolit acceptare hæreditatem. *L. Si nemo. ff. de test. tutela.* Nam ruente principali, ruit accessorium. Excipe legata ad pias causas, his præjudicare nequit hæres. 4. Conditionatum, non impletâ conditione; nisi impossibilis sit aut turpis, quæ habentur pro non appositis. Hen. *q. 7.*

Coroll. 2. Testari non possunt 1. Impuberes, etiam ad pias causas, amentes & ebrii. 2. Filiusfamilias pubes; nisi de castrensibus & quasi castrensibus. Item de adventitiis, sed solùm ad pias causas. 3. Clerici quoad partem fructuum sustenta-

ſtentationi ſuperfluam: *quia non eſt ipſorum;* Item Jus prohibet. *cap. ad hæc de teſtam.* 4. Religioſi profeſſi, etiam Priores & Abbates, utpote non habentes Dominium; habent hoc Novitii, ideoque teſtandi ſunt capaces. 5. Uſurarii publici, Hæretici, damnati ad mortem, etiam civilem, id eſt exilium, triremes vel perpetuos carceres. Leſſ. *d.* 4.

Coroll. 3. Hæredes inſtitui non poſſunt 1. Fratres Minores de Obſerv. & Capucini. *Clement. exivi. de verbor. ſignificat.* Poſſunt tamen bona immobilia relinqui alicui tertio cum onere vendendi, & in Fratrum neceſſitates expendendi loco eleemoſynæ. *S. Congreg.* 1590. 2. Qui non poſſunt teſtari ob delictum, ùt ſupra. 3. Filius ſpurius à Patre, & probabiliùs nec à Matre. Filius naturalis inſtitui poteſt hæres ex aſſe à Patre & Matre, ſi deſint hæredes neceſſarii; ubi verò ſinè teſtamento moritur Pater & Mater, ſuccedit ab inteſtato Matri in omnibus, Patri in ſexta parte bonorum. Her. *ex variis LL.* ubi

Nota 1. Quadruplicis generis eſſe filios nempe legitimos, legitimatos, naturales & ſpurios: *Legitimi* ſunt, qui nati ex matrimonio vero vel ſaltem bonâ fide contracto. *Legitimati,* qui per matrimonium ſubſequens habentur tanquam legitimi. *Naturales* dicuntur inter quorum parentes tempore conceptionis & nativitatis nullum erat impedimentum dirimens matrimonii; *Spurii* verò, quando tale impedimentum interceſſit.

Nota 2.

Nota 2. Hæredes esse triplicis generis nempe ab intestato, necessarios & extraneos. Hæredes *ab intestato* dicuntur, qui succedunt, nullo existente testamento vel invalido. *Necessarii* dicuntur, qui non nisi ex causis legitimis possunt exhæreditari; debentur autem ipsis de Jure non omnia bona defuncti, sed pars legitima, eáque quoad descendentes est tertia pars bonorum, vel si plures sint, quàm quatuor, dimidia, ex æquo inter illos dividenda. *Novell. 18. c. 1.* Sed qui sunt hæredes necessarii? Respectu Parentum sunt descendentes, nimirum filii, his deficientibus, Nepotes, deinde Pronepotes &c. Respectu filiorum in defectu descendentium sunt ascendentes, nimirum Pater & Mater, deinde Avus &c. Unde ab intestato 1. Succedunt descendentes legitimi, ùt supra. Ubi tamen Nepotes repræsentant personam Patris sui defuncti, succedunt avo cum patruis, non tamen per capita sicut patrui, sed sic, ut omnes filii unius patris constituant unum caput. 2. In defectu descendentium succedunt ascendentes, & in defectu horum collaterales usque ad decimum gradum. Denique *hæredes extranei* sunt, qui non de familia & liberè à testatore instituuntur.

Coroll. 4. Testamentum potest revocari, quamdiu vivit testator; nisi sit Religiosus professus, is enim abdicavit dominium. *Quid si juraverit se non revocaturum?* Adhuc revocat validè, non licitè. Sbogar *tr. 155.* Is enim non agit contra Justitiam, utpote facto Juramento retinens rei testa-

testatæ dominium, sed solùm contra Religionem. 2. Si testamentum impleri nequeat secundùm mentem testatoris defuncti, mutari potest ab Episcopo, si sit ad causas pias; à Magistratu, si sit ad profanas.

CAPUT V.

De Emptione & Venditione.

Quid Emptio & Venditio?

EMptio est pactio pretii pro merce, Venditio autem pactio mercis pro pretio.

Quid requiratur ad validè emendum vel vendendum?

Ad validè emendum & vendendum requiruntur 1. Merces seu res, quæ sint vendentis. 2. Pretium, quod ementis. 3. Pactio, quæ legitima.

Quid ad licitè?

Ad licitè emendum & vendendum requiruntur res sinè vitio occultato, pretium justum & pactio sinè fraude. *Omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Emptio est illicita 1. Sinè manifestatione pretii simplici venditori incogniti. 2. Sinè solutione intrà latitudinem pretii justi. 3. Si minoris ematur, præcisè ob solutionem anticipatam. *Commun.* Quia non servatur æqualitas, quæ servanda, inter rem & pretium. Est autem duplex

duplex pretium: unum *legitimum*, quod à lege vel superiore taxatum; ultra hoc non potest res justè vendi, infra tamen emi. Aliud est *naturale* seu *vulgare*, quod ex communi hominum æstimatione constitutum est; idque patitur latitudinem pretii infimi, medii, & summi. *Infimum est*, infra quod non potest res justè emi. *Summum est*, supra quod non potest res juste vendi. *Medium*, supra quod justè potest res vendi usque ad summum, & infra emi usque ad infimum.

Coroll. 2. Venditio est illicita 1. Sine monitione de vitio occulto, & occultans tenetur ad omne interesse, si emptor damnificetur, v. gr. Si ex ove morbida inficiantur aliæ. Si verò vitium sit patens, & res non pluris vendatur, quàm valet, nulla fit injuria. 2. Si res pluris vendatur, quàm in se valeat; excipe, nisi merces sint subhastatæ, & publicè vendantur plus offerenti; vel certæ accedant circumstantiæ. 3. Si pluris vendatur præcisè ob dilatam solutionem, vel supra pretium legitimum seu taxatum. 4. Si pharmacopola vendat *quid pro quo*, nisi certus sit de æquivalentia. 5. Si mercator vendat pretio infimo, sed minorem tradat mensuram; aut fraude inducat ad emendum pretio summo. 6. Si res uni vendita vendatur alteri. Tradenda tunc est priori emptori; si tradita sit posteriori, prior habet Jus ad rem & actionem in venditorem. Less. *d. 4. & seq.*

Coroll. 3. Venditio rescindi potest 1. Mutuo consensu. 2. Propter læsionem ultra dimidium, etiam

etiam in foro externo. 3. Per restitutionem in integrum, quæ est reductio in pristinum statum, & competit minoribus 25. annis, Ecclesiis &c. ex contractu læsis, estque intrà quadriennium à tempore læsionis petenda. 4. Per retractum gentilitium, qui est jus proximioris consanguinei ad rescindendam venditionem rei immobilis oblato pretio, quo ab extraneo vel remotiore consanguineo res fuit empta; fieri debet intrà annum & diem. 5. Per evictionem, quæ est rei suæ ab altero possessæ recuperatio; differt à vindicatione: quod hæc sit actio personalis, ista realis. Plat. *c. 4. §. 6.*

Coroll. 4. Famulus non potest sibi retinere, quod ultra pretium præscriptum accipit, rem Domini pluris vendendo; aut retinet, minoris emendo. Sporer *n. 36.* Idem est de quovis alio, nomine alterius emente aut vendente. Sporer *tr. 6. c. 5. n. 36.* Ratio: quia totum pretium datur pro re, ergo Domino rei, & tota res, quantum justè valet, valet Domino suo. Item qui suscipit nomine alterius emere aut vendere, tacitè promittit per moralem diligentiam utiliter rem alterius gerere, emendo aut vendendo; ergo tunc nihil sibi acquirit. Excipe, nisi emens aut vendens extraordinarium adhibeat laborem & industriam, cui respondeat illud plus in venditione acquisitum, & minus in emptione datum. *Quid si habens rem nomine alterius vendendam pretio taxato, eo emat sibi?* Emit licitè, si adhibitâ diligentiâ non potuerit habere, nisi pretium à Domi-

Domino taxatum; & postea vendens pluris, illud plus facit suum, imò totum pretium: *quia accepit pro re jam sua*, quàm verè priùs emit & solvit aut solvere intendit. Sporer *citat.*

Coroll. 5. Licitè emunt & vendunt pretio currente, emptor sciens pretium mox augendum, & venditor sciens minuendum. Item emptioni vel venditioni licitè apponunt pactum redimendi vel retrovendendi; modò augeatur vel minuatur pretium juxta oneris gravitatem, & absit contractus Mohatra; Ille enim, quo volenti mutuum merx aliqua venditur pretio summo, & statim paratâ pecuniâ redimitur infimo, pallium est usuræ.

Coroll. 6. Res absolutè & in individuo vendita, etsi necdum tradita, nec soluta, emptori perit, eíque fructificat; Si verò sit indeterminata in individuo, vel determinata solùm in toto, cujus est pars, v. gr. tres oves ex hoc grege, perit venditori. *L. quod sæpe. 35. ff. de contrahenda emptione.*

CAPUT VI.
De Negotiatione & Monopoliis.

Quid Negotiatio? An licita?

NEgotiatio est, dum quis emit rem eo animo, ut rursùs vendendo lucretur. Est per se licita, prohibita tamen Clericis & Religiosis. *Cod. secundum. 6. ne Clerici vel Monachi.*

Quid

Quid Monopolium? An licitum?

Monopolium est, dum unus vel plures faciunt, ut soli aliquid vel certo pretio vendant. Licitum est authoritate Principis. Layman *n. 42.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non est illicitum Clericis & Monachis 1. Habere agros proprios & fructus vendere. 2. Fabricare artefacta v. gr. horologia, cruces, picturas & alia hujusmodi postea vendenda, modò non publicè & apertâ officinâ. 3. Animalia in suis prædiis saginare & saginata vendere, greges nutrire, & ex lacte, lanâ &c. lucrum reportare. Ratio: *quia non intervenit negotiatio propriè dicta.*

Coroll. 2. Monopolium est illicitum, saltem contra charitatem 1. Dum aliqui conveniunt de non emendis aut vendendis mercibus nisi tali pretio. 2. Dum unus vel pauci coëmunt merces vel frumenta, postea vendituri majori pretio, quàm venderentur cessante monopolio. 3. Dum aliqui impediunt merces introduci in urbem, ut suas distrahant cariùs. Less. *d. 21.*

CAPUT VII.

De Mutuo & Usura.

Quid Mutuum?

MUtuum (quasi ex meo tuum) interdum significat rem, quæ mutuò traditur, interdum contractum: Mutuum ut contractus, est

 ille,

ille, quo rei alicujus numero, pondere vel mensura constantis dominium transfertur in alium cum obligatione restituendi similem in specie & qualitate. Hinc mutuò tradi possunt pecunia, butyrum, frumentum, oleum, & aliæ res fungibiles, quarum una reddi potest & solet pro alia v. gr. pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento.

Quid Usura?

Usura sumitur quandoque pro lucro immediatè proveniente ex mutuo; quandoque pro contractu, & est ille, quo aliquid pretio æstimabile exigitur ultra sortem præcisè vi mutui.

Quotuplex Usura?

Alia est formalis & aperta, alia virtualis & palliata: prima provenit ex mutuo formali & explicito, v. gr. mutuo 100. ut reddas 100. & 6. Secunda ex mutuo virtuali & implicito, nimirum in aliis contractibus imbibito v. gr. depono apud te 100. datâ facultate eis utendi, ut post annum reddas 100. & 5. ubi usura contegitur pallio *depositi vel quasi.*

Usura an & quale peccatum?

Usura tum aperta, tum palliata est ex genere suo peccatum M. *quia probibita omni Jure.* Less. *c. 20.*

Usurarii Obligatio & Pœna.

Usurarius, sive acquirat dominium usuræ, sive non, tenetur ad restitutionem; notorius est infamis, non debet absolvi, nec admitti ad communu-

munionem, nec ſepeliri in loco ſacro, niſi reſti-
tuerit. *Ex variis Can.* apud Layman *c. 16.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Mutuator tenetur 1. Tradere rem absque vitio occulto. 2. Non repetere ante tempus præfixum, & ſinè uſura.

Coroll. 2. Mutuatarius tenetur 1. Non repetere mutuum ab uſurario, niſi urgente neceſſitate; aliàs cooperatur peccato. 2. Reddere tempore præfixo; niſi ſit filiusfamilias ſub patria poteſtate: qui mutuam ſinè conſenſu Patris accipiens pecuniam non tenetur, nec Parentes ejus, reſtituere, probabiliùs etiam in foro conſcientiæ. *L. 7. & 9. ff. de SCto. Macedon.* Excipe: niſi filius bona habeat caſtrenſia, vel publicè putabatur ſui Juris, vel pecunia ſit verſa in utilitatem Patris, vel hic debuiſſet eam ſuppeditare. Leſſ. *d. 2.* Item pupillus factus major non tenetur ſolvere mutuum à tutore acceptum, niſi creditor probet in ejus utilitatem eſſe converſum. *Comm. ex l. 3. Cod. quando ex facto tutoris.* 3. De omni caſu fortuito, ſi quo mutuum pereat: *quia illius Dominus eſt.* 4. Rem reſtituere absque mutuantis damno.

Coroll. 3. Mutuator licitè aliquid, non plus æquo, accipit ultra ſortem titulo lucri, aliàs ceſſantis, vel damni emergentis, & ob periculum fundatum ſortis amittendæ. Herinx *q. 2.*

Coroll. 4. Mutuatario licitè imponitur pœna conventionalis, ſi tempore ſtatuto non reddi-

derit mutuum; solvenda est interveniente culpâ, aliàs non.

Coroll. 5. Usura est 1. Exigere aliquid supra sortem tanquam debitum ex gratitudine. 2. Exigere aliquid propter laborem in numeranda pecunia; vel quia te obligas non repetere sortem ad certum tempus, aut prorogas tempus restitutionis faciendæ. 3. Mutuare, ut mutuatarius tuas emat merces, tuos colat agros, etsi pro pretio: *quia imponitur onus.* 4. Mutuare pecuniam, ut tempore messis solvatur in frumento; *quia fit contra rationem mutui.* Tambur. aliique apud Sporer. Montes pietatis (qui sunt cumulus pecuniarum ad subveniendum indigentibus mediante mutuo, dato modico pretio pro ministrorum sustentatione) vacant usurâ, approbati à variis Pontificibus.

CAPUT VIII.

De Censu, Cambio, & Contractu Societatis.

Quid Census?

CEnsus est Jus percipiendi certis temporibus pensionem aliquam ex re aut persona alterius fructiferâ. Sumitur etiam quandoque pro contractu, quo Jus percipiendi pensionem emitur & venditur; quandoque pro pensione ipsa.

Quotuplex Census?

Unus est *reservativus*: quando quis alteri gratis vel modico pretio tradit rei suæ v. gr. agri domi-

minium utile & directum, reſervato ſibi Jure certam penſionem ex ea quot annis percipiendi. Alius eſt *conſignativus*: quando quis, retento rei ſuæ uſu & dominio, conſignat alteri penſionem ſolvendam, vel in fructibus, & dicitur *Cenſus fructuarius*; vel in pecunia; & dicitur *pecuniarius*. Si cenſus fundetur ſuper re v. gr. domo vel agro &c. eſt *realis*; Si ſuper perſona, habente tamen redditus, vel lucrante, eſt *perſonalis*; Si duret ſemper, dicitur *perpetuus*; Si poſſit redimi, vel ex parte venditoris, reſtituendo pretium, vel ex parte emptoris, pretium repetendo, vel ex parte utriusque, ut liceat Cenſuiſtæ pretium repetere, & cenſuario reddere, dicitur *redimibilis*; Si ſecus, *irredimibilis*, qui tutiſſimus. Accipiens cenſum vocatur cenſuiſta; dans, cenſuarius.

An Cenſus ſit licitus?

Licitus eſt cenſus realis. *Comm. TT. & Canon.* Ratio: quia Jus percipiendi fructus v. gr. ex prædio, vel eorum loco annuam penſionem, juſto pretio emitur, vel aliter conſtituitur; ergo fructus vel annua penſio licitè recipitur. Licitus etiam probabiliſſimè eſt cenſus perſonalis ſuper perſonæ induſtria collocatus. Ratio apud Leſſ. eſt: *Quia ſicut Jus percipiendi aliquos fructus ex alterius prædio eſt pretio æſtimabile, ita etiam Jus percipiendi aliquid de lucro perſonæ lucrantis induſtriâ; & ſicut Dominus prædii poteſt vendere Jus percipiendi aliquos fructus ex ſuo prædio, ita homo induſtrius poteſt vendere Jus percipiendi aliqua lucra ex ſua induſtria.* Unde

 pro-

probabiliter licitus eſt cenſus germanicus accipiendi. 5. Pro 100. cenſus, inquam, perſonalis utrinque redimibilis cum aſſecuratione capitalis & lucri: modò fundetur ſuper perſonæ induſtria & lucro, ut cenſus ſeu penſio accipiatur non ratione pecuniæ datæ in ſe, ſed ratione Juris percipiendi 5. ex perſonæ lucro, ratione Juris iſtâ pecuniâ nimirum 100. florenis empti; quod Jus eâdem pecuniâ, ſi reddatur & recipiatur, redimi & retrovendi poteſt, ſicut in aliis emptionibus. *At multi non ſciunt hunc modum?* ℞. Sciunt implicitè & in confuſo, volentes contrahere juxta praxin licitam. Sporer *Tr. 6. n. 26.*

Quid Cambium? An licitum?

Cambium eſt contractus, quo pecunia permutatur pro pecunia, cum lucro campſoris. Ex Cambio reali (exclude fictum) tum minuto ſeu manuali, tum locali ſeu per literas licitum eſt lucrum: *quia datur pro labore & expenſis Campſoris, ſeu ratione monetæ commodioris, vel magis currentis &c.*

Quid Contractus Societatis?

Eſt conventio plurium partem ſuam, nimirum pecuniam, rem, vel induſtriam conferentium ad negotiationem in commune lucrum; eſt de ſe licitus. Layman. *cap. 18. 19.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad cenſum requiritur 1. Res cenſui ſubjecta ex ſe fructifera: *quia in emptione cenſus, pecunia*

cunia datur pro parte fructuum, vel lucri personæ lucranti. 2. Emptio & venditio: aliàs esset mutuum, & pensio esset usura.

Coroll. 2. Census realis perit pereunte re, super qua est fundatus; transeunte illâ ad alium, transit cum illa.

Coroll. 3. Ad Contractum Societatis requiritur 1. Ut fiat in negotiatione honesta. 2. Ut singuli Socii conferant vel rem vel industriam. 3. Ut quilibet Socius regulariter sit expositus periculo perdendi; communiter tamen contra varios apud Less. *d. 3.* admittitur contractus triplex cum eadem persona, nempe contractus societatis, & assecurationis sortis & venditionis lucri certi pro incerto: requiritur autem omnino, ut pecunia verè detur ad negotiationem, nimirum verè negotiaturis; deinde ut dominium ejus maneat apud dantem, ne sit mutuum; denique ut lucrum certum peritum sit proportionaliter minus, & lucrum sociorum incertum speratum majus, ad compensandum periculum sortis in se susceptum & labores. 4. Ut in partitione lucri & sortis servetur æqualitas Geometrica; quatenus quilibet socius tantum accipiat, quantum proportionaliter contribuit. Lugo & alii.

CAPUT IX.

De Locatione & Conductione, Emphyteusi & Feudo.

Quid Locatio & Conductio?

LOcatio est contractus, quo ad certum tempus infra decennium conceditur usus vel fructus rei aut personæ pro pretio. Dicitur: *Usus vel fructus rei aut personæ;* quia locantur res tum mobiles, tum immobiles ratione usûs vel fructûs, v. gr. domus, ager &c. Item personæ ratione opificii vel servitii. Conductio est contractus, quo usus ille vel fructus accipitur.

Quid Emphyteusis & Feudum?

Emphyteusis est contractus, quo in perpetuum vel saltem ad decennium conceditur rei immobilis dominium utile sub onere pensionis realis. Feudum verò est contractus, quo conceditur res immobilis quoad dominium utile sub onere obsequii personalis. Sporer *c. 7. n. 17.* Feudatarius seu Vasallus non præstans homagium perdit feudum; Emphyteuta pensionem non solvens per biennium, si Emphyteusis sit Ecclesiastica, vel per triennium, si sit sæcularis, perdit rem Emphyteuticam cum omnibus meliorationibus.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Obligatio locatoris est 1. Aperire vitium rei locatæ. 2. Solvere expensas ad rei loca-

locatæ conservationem necessarias; nisi conductor in se assumpserit onus expensarum ob minus pretium. 3. Conductorem non expellere ante elapsum locationis tempus, nisi in casibus à Jure exceptis, qui sunt 1. Si biennio integro non solvat pensionem. 2. Si ob casum improvisum domus v. gr. locata, usibus Domini sit necessaria, aut reparanda. 3. Si conductor in re locata malè versetur. Layman. *cap.* 22.

Coroll. 2. Obligatio conductoris est 1. Re locatâ non uti, nisi ad usum concessum. 2. Eam non deserere ante elapsum locationis tempus. 3. Eam locatori servare integram. 4. Solvere pensionem. Si verò uti frui non potuerit absque sua culpa, liberatur; Si magna incidat sterilitas, minuendum est de pensione pro rata sterilitatis. *cap. propter sterilitatem. de locato.*

CAPUT X.

De Ludo & Sponsione.

Quid Ludus? An licitus?

LUdus est contractus, quo ludentes inter se conveniunt de pretio victori solvendo. Per se est licitus. *Ex communi.* Sponsio est contractus, quo duo de veritate, aut rei alicujus eventu certantes aliquid exponunt, obtinendum ab eo, qui veritatem fuerit assecutus. Est licita; modò absit fraus, fiátque super re dubia & honesta. *Communis.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ludus eſt illicitus 1. Si ſit prohibitus; eſt autem prohibitus tam Laicis, quàm Clericis ludus, qui alearum nomine venit, utpote ludus teſſerarum, taxillorum, & chartarum. Quantum ad Laicos prohibitio non eſt in vigore; quantum ad Clericos eſt innovata *in Trid. Seſſ. 22. c. 1. de Reformat.* Excipiuntur colludentes recreationis causâ, modeſtè, privatim, pretio modico. 2. Si ludens exponatur perjuriis, rixis &c. 3. Si pecunia ad familiæ ſuſtentationem ſit neceſſaria. 4. Si committantur fraudes.

Coroll. 2. Ludens lucrum non facit ſuum 1. Si lucretur à Religioſo vel filiofamilias, non potente alienare; vel ab injuſtè ad luſum coacto; vel utatur fraudibus inſolitis. 2. Si apponat monetam malam, vel de qua non poteſt diſponere. 3. Si ludat creditò, habens animum non ſolvendi. Ratio: *quia debet eſſe æqualis colludentium conditio;* qui non poteſt perdere, non poteſt lucrari, & vice versâ.

Coroll. 3. Nulla eſt Sponſio 1. Si quis ſpondeat, ſe victurum bibendo; *quia eſt de exceſſu illicito.* 2. Si unus ſpondens ſit certus de re; *quia debet eſſe æqualitas inter ſpondentes, ut quilibet poſſit perdere.* Si tamen incertus, non obſtante alterius certitudine, ſpondere velit, nulla fit ei injuria.

CAPUT XI.

De reliquis Contractibus.

Quid Assecuratio & Fidejussio?

ASsecuratio est contractus, quo aliquis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit. *Fidejussio* autem, quo suscipit obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit. *Ex commun.*

Quid Pignus & Hypotheca?

Pignus est, quando debitor tradit creditori rem aliquam in securitatem debiti. *Hypotheca* verò, quando creditori pro debito obligat rem suam immobilem, sed non tradit. *Ex communi.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Assecurans, qui scit rem esse in tuto, iniquè petit pretium, idque non facit suum.

Coroll. 2. Fidejussor accipere potest pretium pro fidejussione juxta periculum, quod subit. Debitore non solvente, obligatur debitum solvere, probabiliùs etiam ante Judicis sententiam. Si plures sunt fidejussores, omnes tenentur in solidum, & debitor tenetur singulis pro damno. Sporer *cap.* 7. *sect.* 4.

Coroll. 3. Obligatio debitoris est 1. Rem hypothecatam uni, non obligare alteri; nisi ex ea satisfieri possit utrique. 2. Non surripere pignus. 3. Redimere pignus. 4. Solvere debitum pereunte pignore absque culpa creditoris.

Coroll. 4.

Coroll. 4. Obligatio creditoris 1. Pignore non uti contra voluntatem Domini; oppignorare tamen potest alteri, imò vendere, si non redimatur elapso tempore in pactum deducto, at sibi appropriare non potest tanquam pœnam legis commissoriæ: *quia ultra solutionem debiti acciperet pignus, quod est injustum.* 2. Fructus pignoris, si quos percipiat, computare in sortem sive solutionem: Usurarius enim regulariter est contractus Antichriseos, pignore utendi & fruendi, donec debitum ex integro sit solutum. Pignus datur ad securitatem debiti, non ad usumfructum; vel certè creditor fructus computare debet in solutionem debiti. Layman *cap. 30.*

CAPUT XII.

De Justitia distributiva.

Quid Justitia distributiva?

EST illa: quæ officia, præmia & alia communitatis bona distribuit secundùm cujusque merita, tributa verò & alia communitatis onera imponit secundùm cujusque facultates.

Quomodo lædatur?

Læditur acceptione personarum (quæ ex genere suo mortalis) Officia, Beneficia, bona communia & onera injustè distribuendo illis, quibus non debent, vel in toto, vel in tanto. *Comm.*

Ad quid teneatur lædens?

Ecclesiæ vel Reipublicæ, si hæc vel illa per electionem aut promotionem indigni sit damnifi-

nificata, tenetur ad indemnizationem, digno præterito ad nihil: *quia hic non habet Jus strictè dictum, habet illa; & Justitia distributiva est & obligat primariò in bonum communitatis, non partium.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Est contra Justitiam distributivam P. M. 1. Ad officia sæcularia assumere indignum, imò omnibus paribus minùs dignum relicto digniore. Less. *c. 32. d. 3.* Licet tamen officia sæcularia v. gr. officium Prætoris, Judicis, Consiliarii &c. vendere, modò vendantur dignioribus aut saltem dignis pretio moderato, atque ob necessitatem vel utilitatem Reipublicæ. D. Thom. *Opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ.* 2. Beneficia Ecclesiastica (quæ sunt Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis ob aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum) conferre indignis, aut in concursu dignorum & digniorum dignis, per hunc dignioribus acquisito jure. *Trid. Sess. 24. c. 1. de Reformat.* Conferri possunt digno præ dignioribus in quibusdam casibus, nimirum quando habens Jus Patronatûs præsentat personam dignam, vel quando Beneficium est limitatum ad certam familiam, vel quando dignior non est de gremio Ecclesiæ, aut reservatur ad melius Beneficium. Herinx *dist. 7.* Item quando Beneficium, quod confertur est simplex non habens annexam curam animarum vel Jurisdictionem. Marchant. *Tractat. 10. tit. 4.* Nisi passim fiat, ut limi-

limitat Leſſ. *c. 34. n. 66.* Beneficium reſignare in dignum prætermiſſo digniore, eſſe peccatum mortale, volunt Navarr. Sanchez, negant Sannig, Reginaldus *& communior cum Praxi.*

Coroll. 2. Juſta tributa & vectigalia (etiam in dubio, an juſta ſint, ut teſte Herinx probabilius cenſent Suarez, Vaſq.) ſolvenda ſunt in conſcientia. *Comm. ex Rom. 13. Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Nihilominùs defraudantes vectigalia à reſtitutione excuſant Reginaldus, Stotz, Marchant, aliíque. non ſolventes, ſi non petantur, excuſat Sotus, conſuetudinem verò, quæ optima legum & voluntatis Principis interpres, eſſe ſervandam monet Leſſius.

CAPUT XIII.

De Juſtitia vindicativa.

Quid Juſtitia vindicativa?

EST illa, quæ reo debitam & condignam infert pœnam. Quatenus ſervat æqualitatem inter pœnam & delictum, pertinet ad Juſtitiam commutativam; quatenus pro delictis diſtribuit pœnam, ad diſtributivam.

Quæ Perſonæ concurrant ad Judicium?

Tres principales 1. Judex, qui eſt vel ordinarius, vel delegatus, vel arbitrarius. 2. Actor, qui in cauſis civilibus jus ſuum proſequitur, in criminalibus defert crimen, & dicitur accuſator, ſi ſuſcipiat onus probandi, ſecus, denunciator.

3. Reus,

3. Reus, qui convenitur vel in civilibus, vel in criminalibus. Personæ accessoriæ sunt: Testes, qui junguntur actori, Advocatus, qui reo, Assessor, qui Judici.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Obligationes Judicis sunt 1. Accelerare Justitiam. 2. Non acceptare munera (*quia utroque Jure prohibita*) nisi post latam sententiam, vel sint victualia modica. 3. Non suadere compositionem in re pro una parte moraliter certa; huic enim faceret injuriam. 4. Decidere pro parte probabiliore, oppositum propos. 2. damnavit Innocent. XI. 5. Compensare damna ex sententiâ formaliter injustâ.

Coroll. 2. Obligationes accusatoris sunt 1. Non accusare de crimine occulto, aliter corrigibili: faceret enim contra charitatem. Obligatio accusandi tantùm est, quando crimen vergit in damnum Reipublicæ, vel ex eo pendente grave damnum imminet tertio, accusatori nullum. 2. Probare delictum, aliàs incurrit pœnam talionis. Marchant. *tractat. 5. tit. 3.*

Coroll. 3. Obligationes testis sunt 1. Sub M. fateri veritatem, nisi noverit vel ex confessione sacramentali, vel sub secreto naturali, vel à reo extorserit per injuriam, vel grave sibi, suisve metuat malum. Si nolit testari, non tenetur ad compensationem damni secuti: *quia non testari non est contra Justitiam.* 2. Facto Juramento, revelare omnia, quæ potest absque pecca-

peccato; nisi juramentum restrinxerit mente: *quatenus Jure teneor*. 3. Compensare damna ex testimonio falso: *quia hoc est contra Justitiam*. Si facto Juramento de dicenda veritate dicat falsum, committit perjurium contra Religionem, mendacium contra veritatem, & injustitiam contra reum. Testes sufficiunt duo: qui contestes in facto & circumstantiis omnino conformes, jurati, petente reo, de visu & omni exceptione majores. Less. *cap. 30.*

Coroll. 4. Obligationes Advocati sunt 1. Non suscipere causam, nisi saltem probabiliter sit justa, idque significare debet clienti, aliàs causa est damnorum. 2. Non exigere stipendium ultra justum. 3. Compensare damna tum clienti, tum parti; Si sciens patrocinetur causæ injustæ, aut fuerit negligens & infidelis. Herinx *dict. 6.*

Coroll. 5. Obligationes rei sunt 1. Fateri veritatem in causa capitali, si interrogetur juridicè. D. Thom. *quæst. 69.* apud Less. Dissentit Lugo & quidam alii, non tamen licet uti restrictione purè mentali, quæ nimirum ex circumstantiis nequit cognosci, & damnata est ab Innocent. XI. 2. Non excipere contra testem objectione falsorum criminum, potest verorum, modò prosit. 3. Non inferre vim justitiæ ministris, nisi sententia sit ad mortem & certò iniqua: *quia licet vim vi repellere*. Fugere licet semper, & carcerem infringere, ob jus naturale vitæ conservandæ, possúntque ad hoc præbere instru-

instrumenta, qui non sunt ministri Justitiæ. Metzger *d. 47.*



TRACTATUS VII.
De Religione.
CAPUT I.
De ejus Quidditate.

Religio est virtus moralis, inclinans ad debitum Deo exhibendum cultum. Actus ejus numerantur à D. Thoma: Devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum, juramentum, adjuratio & laus Dei.

Quid oratio, quomodo necessaria, quis orandus?

Oratio est decentium à Deo postulatio; eáque mentalis vel vocalis, publica vel privata. Viatori adulto ad salutem est necessaria juxta Aug. *de bono persev.* necessitate medii. Absolutè & terminativè orandus est solus Deus, Sancti transitivè tanquam intercessores nostri.

Quid Adoratio & quotuplex?

Adoratio est actus submissionis erga alterum ob ejus excellentiam, exhibitus Deo tanquam supremo Domino ob ejus excellentiam infinitam, dicitur Latria, seu adoratio suprema, exhibi-

hibitus Christo homini ob unionem hypostaticam & Deiparæ ob maternitatem tanquam excellentias supernaturales extraordinarias, dicitur Hyperdulia, exhibitus Sanctis ob excellentiam supernaturalem gratiæ & gloriæ, dicitur Dulia, Sanctis ipsis convenit absoluta, imaginibus respectiva.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Bona spiritualia sunt petenda absolutè, temporalia conditionatè, mala nullatenus. Peccat M. contra Religionem, petens à Deo rem moraliter malam v. gr. occasionem furandi, fornicandi &c. 2. Proximo petens morbum, mortem &c. nisi ad finem bonum.

Coroll. 2. Sancti coli non possunt cultu publico, nisi saltem sint beatificati; privato coli possunt, quicunque mortui cum fama sanctitatis.

CAPUT II.

De Horis Canonicis.

Quid sint?

HOræ Canonicæ sunt preces vocales, quæ ex præscripto Canonum quotidie certis horis à quibusdam personis sunt persolvendæ. *Omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non satisfacit 1. Horas recitans mentaliter: *quia sunt preces vocales.* 2. In notabili quantitate percurrens officium syncopando, mutilando, absorbendo syllabas, verba &c.

quia

quia omittit partem notabilem. 3. Veſperas differens poſt duodecimam noctis: *quia officium eſt annexum Diei à 12. noctu ad 12.* Satisfacit tamen ob privilegium, qui matutinum cum laudibus recitat pridie. *Quid ſi nulla ſit neceſſitas?* Adhuc recitat licitè. *Quid ſi non poſſit die ſequenti:* Non tenetur recitare pridie: *quia privilegio non tenetur uti.*

Coroll. 2. Eſt peccatum M. Horas in choro non recitare tempore ſtatuto. Neuſſ. *num.* 10. Excuſant exequiæ, proceſſio &c. Extra chorum ſinè cauſâ rationabili matutinum aut Horas minores recitare poſt meridiem, Veſperas ante meridiem, non eſt niſi P. V. *Communis DD.* Si vero ex contemptu ſúsque déque pro libitu quis mutet tempora Horarum eſt M.

Coroll. 3. Eſt peccatum M. 1. Omittere integram Horam aut Nocturnum. *Commun.* contra paucos. Excipiunt Veſperas Sabbathi Sancti Gob. *num.* 609. Sporer *num.* 39. Omittens tamen omnes ſeptem Horas unâ moraliter omiſſione, non ſeptem, ut volunt Leſſ. Cajet. Neuſs, ſed unum committit peccatum, quod gravius, ut docent Gob. Sporer &c. *quia ſeptem Horæ unum integrant officium, & ſic ſub unum cadunt præceptum.* 2. Omittere officium defunctorum in die animarum; Litanias majores in diebus Rogationum & Feſto S. Marci, ſi in tali loco ſervetur proceſſio. Neuſs *num.* 81. & alii. 3. Non recitare privatim ea, quæ organo pulſantur. *Commun.* contra Sanchez.

Coroll. 4. Qui in choro ponit libros, inquirit antiphonas, pulsat campanas, trahit folles organi, vel aliter inservit choro, non tenetur repetere ea, quæ ipso non audiente cantantur: *quia chorus supplet, cum quo unum facit officium.* Idem affirmat Sanchez de tussiente, excreante, aut aliquid necessarium alteri dicente.

Coroll. 5. Constitutus in ordinibus majoribus omittens Horas peccat contra Religionem, Beneficiatus probabiliùs etiam contra Justitiam, etsi intendat non percipere fructus: *quia acceptato Beneficio absolutè obligatur ad officium, & non est penes ipsum vel orare, vel non recipere fructus.* Hen. *quæst. 3.* Recipiens autem fructus & omittens Horas tenetur post primum semestre accepti Beneficii ad restitutionem fructuum ex Constitutione 135. Pii V. sic, ut omittens totum officium unius diei perdat omnes fructus illi diei correspondentes, omittens matutinum, vel reliquas Horas, dimidiam partem, omittens Horam minorem, sextam partem. *Quid si Parochus omittat Breviarium?* Ad nihil tenetur, si fructus recipiat pro functionibus parochialibus, vel hæ illis solùm æquivaleant, si excedant, restituet, quantum correspondet Horis omissis.

Obligatio ad Horas.

Hæc oritur ex triplici titulo, nempe ex titulo Sacrorum Ordinum, ex titulo Beneficii, & ex titulo Professionis ad chorum. Primus se tenet ex *c. Dolentes.* Secundus ex *Concil. Lateran. sess. 9.*

seſſ. 9. Tertius ex conſuetudine, habente vim legis.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Obligantur ad Horas Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, etiam excommunicati, ſuſpenſi, interdicti; imò juxta Tamburinum degradati, juxta Layman damnati ad triremes, item, qui diſpenſati junguntur matrimonio juxta Neuſs *ex commun.* contra Sporer.

Coroll. 2. Obligantur ad Horas Beneficiarii, ſaltem ſi percipiant fructus; item, ſi non percipiant ex culpa ſua, unde non obligantur: 1. Beneficium obtinens invalidè v. gr. per Simoniam, aut validè, ſed nimis tenue, non præbens juxta Neuſs ſaltem tertiam, juxta Sporer ſaltem quartam partem honeſtæ ſuſtentationis. 2. Litigans pro Beneficio, ſi non poſſideat. 3. Qui nihil accipit 1. vel 2. anno. Hurt. Neuſs contra varios. 4. Beneficio privatus injuſtè. 5. Habens plura Beneficia, non tenetur pluries ad Horas: *quia plures obligationes cadunt ſuper idem*, ùt patet de auditione miſſæ in feſto incidente in Dominicam.

Coroll. 3. Obligantur ad Horas ſaltem privatim recitandas Religioſi ad chorum profeſſi (idem eſt de Monialibus) etiam apoſtatæ, incarcerati &c. Si extet in earum Religione aliqua Lex vel conſuetudo, graviter obligans. Gob. March. & *commun.* unde non obligantur 1. Novitii. 2. Tranſeuntes de Clericatu ad ſtatum converſorum. 3. Diſpenſatus ad matrimonium,

4. Religiosi Societat. JEsu. 5. Privilegiati, ùt sunt Clerici Ordinis S. Bened. ex Privilegio Eugenii IV. apud Sporer.

Dixi: *saltem privatim:* Quia obligatio chori *ex Clement. 1. De celebrat. Miss.* afficit totam communitatem, præsentibus saltem quatuor, curâ incumbente primariò Superiori, secundariò subditis; ita ut hi peccent graviter, si ipsis scientibus omittatur chorus. Excusatur tamen communitas à choro, si præsentes sint tantùm 5. vel 6. Religiosi, qui prædicationibus & confessionibus occupati.

Forma Horarum Canonicarum.

Horæ sunt dicendæ juxta Breviarium Romanum ex Bulla S. Pii V. excipiente Ecclesias, quæ à ducentis annis ante Bullam usæ sunt alio, datâ eis facultate Romanum assumendi.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non satisfacit, si obligatus ad Romanum Breviarium recitet vel semel ex alio, secus, si Religiosus vel Clericus relicto Breviario sui Ordinis vel Ecclesiæ privatim recitet ex Romano. Sanch. Sporer, Dianá.

Coroll. 2. Obligatus ad Breviarium Romanum (nisi sit Religiosus, habens obligationem personalem) uti potest alio, si existat alibi, aut habeat Beneficium, ubi est usus alterius; *quia peregrini se conformare possunt loco, & Beneficiatus suæ Ecclesiæ.* Idem possunt F F. Minores existentes in itinere ex privilegio Innocent. IV. *Quid si obligatus*

gatus ad Breviarium Romanum careat illo? Debere uti alio, affirmat Pellizar. Sed negat Gob. quia Pius V. *citat.* dicit: *neminem ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique onus impositum est, nisi hâc solùm formâ posse satisfacere.*

Qualitas Officii.

Recitandum est officium Canonicum cuíque juxta directorium suæ Ecclesiæ vel Ordinis S. Rit. Congregatio.

Coroll. Non satisfacit 1. Authoritate propriâ recitans de Sancto, etsi Canonizato, de quo ab Ecclesia nullum fit officium. De festis Dioecesanis licet recitare Regularibus, & de Patrono debent. Neuss *dict. 6.* Peccat Religiosus celebrans de Beatificato sui Ordinis in aliena Ecclesia, si solùm concessum sit in Ecclesia sui Ordinis. 2. Recitans officia certo Ordini propria, officia nostra recitare possunt nostri Tertiarii, Moniales, Syndici, Confratres Chordæ. Neuss *citat.*

Ordo Horarum

Servandus est in Choro sub P. M. teste Marchant. extra chorum sub V. secluso contemptu, secundùm *commun. DD.*

Coroll. Culpâ vacat inversio Ordinis ex causa: Si nondum dicto matutino vadas ad primam; Si seroveniens pergas cum choro, postea partem omissam repetiturus; Si non habens lectiones, eas omittas, lecturus postea; Si ob commoditatem recitandi cum socio, recites Horas minores ante matutinum, imò matuti-

num ſequentis diei non recitatis veſperis. Sporer *num. 134.* Si celebres miſſam ante recitatum matutinum. Neuſs *num. 13.*

Interruptio Horarum

Facta absque cauſa & notabilis per ſe eſt V. Decet tamen incipere de novo. *Commun.*

Coroll. Non eſt peccatum, matutinum ſeparare à laudibus, additâ in fine collectâ, imò nocturnum à nocturno.

Mutatio Officii.

Unum officium mutare in aliud, eſt per ſe illicitum, & prohibitum in Bulla S. Pii V.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Eſt peccatum M. officium mutare in aliud, etſi æquale, paſſim pro libitu. *Commun.* Secus, ſi fiat rariſſimè & non in notabiliter brevius. Sporer.

Coroll. 2. Eſt peccatum M. loco officii Dominicæ recitare de feria 3. vel de communi Martyrum. Suarez & alii: quia nimis notabili parte officium defraudatur.

Coroll. 3. Non eſt peccatum mutare officium, ſi ſubſit cauſa v. gr. impotentia, notabilis difficultas, conformitas, ſocietas. Unde licitè officium mutant in aliud. 1. Qui non habet officium talis diei; iſque dicat de communi, vel ſi non quadret, aliud. 2. Qui ob debilitatem viſûs, vel ob difficultatem pſalmos feriales legendi ad lucernam vel ob neceſſarium iter, aut repen-

repentinas urgentes occupationes concionandi, confeſſiones audiendi, ſtudendi &c. nequit orare de Dominica aut Feria. *Ex commun. DD.* 3. Qui exiſtit in loco, ubi celebratur ſpeciale feſtum v. gr. Patrocinii vel Dedicationis. Layman. 4. Qui recitare debet cum Perſona gravi v. gr. Superiore vel cum infirmo aut cæco. Sanchez, Gobat &c.

Coroll. 4. Qui erravit recitando matutinum, quod non erat recitandum, non tenetur repetere, Horas tamen reliquas recitabit de feſto occurrente ſub V. Lugo, Gobat, Pellizarius: quia error non eſt continuandus, & officium occurrens eſt in poſſeſſione.

Recitatio cum Socio

Eſt valida & licita; Si fiat alternatim & verſiculatim, ſi unus alterum audiat, ſi ſocius ſua proferat, eſto non attendat, non obligetur &c. *Quid ſi recitet quis cum planè ebrio, amente vel alio, cujus recitatio non eſt oratio?* ℞. Non ſatisfacit: quia officium Canonicum eſt oratio vocalis, recitatum autem cum tali ſocio non eſt oratio vocalis ex parte ſocii.

Intentio & Attentio.

Intentio requiritur orandi ſeu laudandi Deum, absque ea enim recitatio Horarum, utpote ſecundùm ſe indifferens, non eſt officium divinum. Sufficit implicita vel in actu exercito v. gr. quod accipias Breviarium, vadas ad chorum, cogites recitare, vel advertas te recitare,

ſic, ut interrogatus, quare id facias, reſponderes, te facere ad ſatisfaciendum tuæ obligationi &c. Navarrus *cap. 13. num. 6.* Fructus à recitantibus in choro applicandus eſt Eccleſiæ ſeu fidelibus: *quia choriſtæ officium divinum peragunt nomine Eccleſiæ adeoque pro Eccleſia ſeu fideli populo.* D. Thom. *2. q. 83.* Quoad extra chorum & privatim recitantes idem univerſim affirmat Suarez & multi: *quia recitant officium publicum Eccleſiæ ab & pro Eccleſia ordinatum, & pro ea ordinariè recitandum.* Attentio interna requiritur ſaltem virtualis vel ad Deum, vel ad verba, vel ad ſenſum: *quia oratio externa ſinè interna juxta SS. PP. nec eſt, neç meretur nomen orationis.*

Coroll. Mortaliter peccat 1. Qui orans ſcribit, pingit, legit novellas, aliásve exercet actiones cum attentione incompatibiles. 2. Per notabilem partem voluntariè diſtractus, niſi repetat. Leſſ. ex D. Thoma *c. 37. d. 11.* Eſtque ſententia magis pia & vera contra multos RR. volentes, ſufficere attentionem merè externam, quâ aliquis ſe habet per modum orantis.

Cauſæ excuſantes à Recitatione.

Excuſant 1. Impotentia tum phyſica, tum moralis. 2. Gravis ac neceſſaria occupatio. 3. Legitima diſpenſatio. 4. Carentia fructuum ex Beneficio, ceſſante aliâ obligatione. *Commun.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Horas omittunt ſinè peccato 1. Inculpabiliter immemor unius vel plurium Hora-

rum.

rum. 2. Carens Breviario. 3. Mutus. 4. Cæcus: nisi sciat memoriter, aut commodè orare possit cum socio; Beneficiatus, pingue habens Beneficium, etiam tenetur socium pretio conducere. Suarez, Bonazina &c. Percipit fructus, ergo recitare debet modo, quo potest. 5. Graviter infirmus. 6. Febricitans, saltem quando patitur paroxismum. 7. Infirmus, cui Confessarius, Medicus aut alius expertus dicunt recitationem esse nocivam. 8. Scrupulosus dispensatus. 9. Parochi, Confessarii, Concionatores; si recitatio cum eorum functionibus sit incompatibilis. Gobat *num. 476.*

Coroll. 2. Rei sunt peccati M. 1. Qui prævidens impedimentum post meridiem, vesperas non recitat manè: *quia jam adest obligatio.* 2. Qui non potens recitare omnes Horas, omittit, quas aut quam potest. *Ex proposit. 54. damnata ab Innocent. XI.* 3. Qui non recitat, dubius an recitaverit; Secus, si dubius, an obligetur ad Horas, vel certus de recitatione, dubitet, an omiserit aliquem Psalmum. Sporer *ex commun.* Quia in priori casu lex est in possessione, in posteriori homo.

CAPUT III.

De Obligatione Festorum.

A quo Festa possint institui?

POssunt à Summo Pontifice & Conciliis generalibus pro universa Ecclesia, ab Episcopo cum consensu Cleri & Capitum populi pro Diœcesi. *c. 1. d. 3. de consecrat.* *Quos*

Quos obligent?

Univerſalia obligant univerſam Eccleſiam, Diœceſana Diœceſim, etiam Regulares, & probabiliter peregrinos.

Ad quid obligent?

Obligant de ſe ſub peccato M. ad audiendum ſacrum & abſtinendum à ſervilibus. *Omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Illicita ſunt in feſto à media nocte ad mediam noctem opera mechanica & ruralia; juxta communem tamen ſententiam apud Sporer non ſunt P. M. niſi protracta ultra duas horas, vel nimium ſint ſervilia. Item abſtinendum eſt à quatuor, etſi de ſe non ſervilibus, nempe à mercatu publico, exceptis per conſuetudinem nundinis; ab actionibus forenſibus, à Judicio ad mortem, à Juramento in Judicio. *c. Omnis. De feriis.*

Coroll. 2. Licita ſunt 1. Coquere, mundare domum, pabulari, & quæ quotidiana poſtulat neceſſitas. 2. Scribere, ludere. 3. Iter facere, non verò currus vel equos onuſtos agere, quod tamen à M. excuſat Diana. 4. Venari, aucupari, piſcari; ſi labor ſit exiguus. Probabiliter etiam licet pingere, ſed ſinè magno apparatu; item collocare typos. Layman *fol. 693.* Quia non ſunt ſervilia, aut ſaltem modica. Acu pingere in tela nobiliſſimis matronis & puellis concedit Pellizarius, ſed ſuadet Tambur. ut faciant pro Eccleſia.

Coroll. 3.

Coroll. 3. Excuſante neceſſitate vel conſuetudine licitè faciunt opus ſervile 1. Operarii publici reparantes pontes, vias publicas &c. Milites conſtruentes propugnacula, foſſas &c. 2. Pauperes, quibus deficit alimonia. 3. Laborantes in fœno, meſſe &c. ad avertendum damnum ex pluvia. 4. Sub veſperum acuentes falcem, vel materiam præparantes pro die ſequenti. 5. Pharmacopolæ præparantes medicinam. 6. Aurigæ, carbonarii, coctores laterum, quorum opera nequeunt interpolari; ſartores conficientes veſtimenta lugubria aut ſponſalitia, quæ non patiuntur moram. Herinx. 7. Famuli & ancillæ à dominis coacti, aut ſuas reficientes veſtes. Sporer *num. 50.*

Coroll. 4. Si cauſa excuſans ſit dubia, petenda eſt diſpenſatio; quam dare poteſt Epiſcopus omnibus diœceſanis, Parochus parochianis, Superior ſubditis, non famulis ſæcularibus, in hos enim nulla ipſi Jurisdictio. Confeſſarius pro foro conſcientiæ declarare poteſt, an cauſa excuſet, necne, non diſpenſare ob defectum Jurisdictionis. Sporer *citat.*

CAPUT IV.

De Voto.

Quid Votum? quotuplex?

VOtum eſt promiſſio vera, Deo facta, de meliori bono cum intentione ſe obligandi.

Dividitur 1. In ſolemne & ſimplex. Solemne fit publicâ Eccleſiæ authoritate & acceptione, ejusmodi eſt profeſſio religioſa. Simplex fit privata voventis voluntate. 2. In perſonale, reale, & mixtum; primum afficit ſolam perſonam; Secundum rem; Tertium rem & perſonam, ut infra. 3. In abſolutum & conditionatum: hoc fit cum, illud, ſinè conditione.

Violatio Voti quale Peccatum?

Eſt de ſe M. in re levi V. *Omnes.*

Quos obliget?

Votum perſonale v. gr. peregrinandi obligat ſolum voventem, reale v. gr. dandi Eccleſiæ calicem etiam ejus rem, mixtum v. gr. peregrinandi & dandi Eccleſiæ calicem, in quantum eſt perſonale, obligat ſolum voventem, in quantum reale etiam rem. Reale tranſit ad hæredes, ſic, ut obligentur ex Juſtitia, non propriè ex voto, conditionatum obligat impletâ conditione, etſi turpis; *quia hâc poſitâ licitè poteſt impleri.*

Quando Votum tollatur.

Tollitur 1. Deſitione materiæ, ſi fiat phyſicè aut moraliter impoſſibilis, vel illicita, vel ceſſet finis principaliter intentus, ſic mater vovens Novenam ad obtinendam filio ſanitatem, eo moriente non obligatur. 2. Irritatione. 3. Commutatione. 4. Diſpenſatione. *Omnes.*

Coroll. 1.

Coroll. 1. Nullum est votum 1. Sinè voluntate aut potestate se obligandi, non tamen, ut sit votum, requiritur voluntas implendi, hæc enim non requiritur ad votum, bene autem voluntas vovendi. 2. Si involuntarium, utpote ex errore circa substantiam aut extortum metu gravi & injusto. 3. Si indeliberatum, utpote ex motibus primò primis. 4. Ex ignorantia, quid votum, & quod obliget. 5. Factum B. Virgini vel Sancto, nisi solùm in ejus honorem. 6. De re mala, vel indifferente ut tali, vel bonâ quatenus melioris impeditiva: *quia votum debet esse de re Deo gratâ.* Hinc non valet votum in sabbatho non nendi, ineundi matrimonium &c.

Coroll. 2. Votum dubium non obligat: *quia melior conditio possidentis, quæ stat pro dubitante.* Certum obligat secundùm proportionem materiæ, nisi aliter intenderit vovens; qui tamen in materia levi nequit se obligare graviter; Deus enim non acceptat.

Irritatio Voti.

Quid sit, & quotuplex?

Est ablatio obligationis voti, facta ab habente potestatem in voventem vel voti materiam. Sanch. *cum commun.* Quia existens sub alterius potestate vovere non potest, nisi dependenter à voluntate illius & tacitâ conditione: nisi is contradicat vel quamdiu non contradicit. Est duplex: Prima directa, quâ tollitur ipsum vo-

tum,

tum, promissionem annullando: Altera indirecta, quâ votum impeditur, opus aliud præcipiendo, prima fieri potest, etiam sinè causa, ab habente potestatem in voventem, secunda ab habente potestatem in voventis operam. Reiffenst. *& commun.*

Coroll. Irritare directè possunt citra causam 1. Parentes & Tutores omnia vota liberorum impuberum & pupillorum, imò & vota puberum, si in impubertate emissa, & post eam non ratificata, etiamsi aliàs sint reservata vel in favorem tertii facta. Gobat, Less, Reiffenst. Vota in pubertate emissa, sicut & vota famulorum irritare non possunt, nisi indirectè, quatenus dominus, voto famuli v. gr. peregrinandi sibi præjudicante, præcipere potest opera impeditiva. 2. Superior regularis, etiam monialis, omnia vota à subditis emissa post professionem, excepto voto strictioris ordinis, hic enim permittitur de jure. 3. Maritus vota uxoris, & hæc illius, quæ præjudicant debito conjugali; alia indirectè, sed solùm illa, quæ & quatenus præjudicant rei domesticæ. *c. ex multa.* §. *in tanta. hoc tit.*

Commutatio Voti.

Quid Commutatio Voti?

Est mutatio illius in opus honestum, sub eadem voti obligatione persolvendum. *Commun.*

Quis possit commutare?

Votum mutare in melius potest ipse vovens auctoritate propriâ, etiam absque causa. Mutare

tare in æquale aut minus bonum, poteſt ex cauſa Superior & habens facultatem diſpenſandi: quia eſt actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Quæ Vota nequeant commutari?

Nequeunt commutari 1. Vota reſervata Summo Pontifici, niſi in ſolum votum ſolemne Religionis, in quod vota omnia ante profeſſionem emiſſa commutari poſſunt, & in profeſſione profitens commutare cenſetur, niſi aliud intendat. Layman *& commun. ex cap. Scripturæ. De Voto.* Quid ſi votum ſit juramento confirmatum? Adhuc commutari poteſt: *quia juramentum ſequitur naturam actûs, cui additur, eóque ruente ruit.* Sanch. Gobat, *& commun. DD.* 2. Commutari nequeunt vota in favorem tertii facta & ab eo acceptata v. gr. votum dotandi certam puellam, hoc poſt acceptationem ſinè conſenſu puellæ commutari nequit: *quia acquiſivit Jus, quo invita privari non debet.*

Qualiter Vota commutanda?

Plerumque reale in reale, perſonale in perſonale, perpetuum in perpetuum: poteſt tamen aliter fieri, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, ſexu, conditione &c.

Quid poſt commutationem obſervandum?

Voventi licet redire ad prius votum, etiam operis ſubrogati novam petere commutationem: *quia commutatio facta in favorem voventis.* Sed non tenetur, etſi opus ſubrogatum fiat impoſſibile,

ſibile, modò commutatio ſit facta ab habente poteſtatem Jurisdictionis: *quia per hanc prius votum extinguitur*; tenetur autem, ſi facta ſit authoritate propriâ: *quia per hanc non transfertur vinculum voti, ſed Deo ſatisfit per æquipollens*; ſi autem non poſſit per hoc, fieri debet per ipſum votum. Sporer *num. 137.*

Diſpenſatio Voti

Quid ſit?

Eſt ablatio vinculi voti, facta nomine Dei ab habente Jurisdictionem ſpiritualem in foro externo.

Coroll. Diſpenſatio, ut ſit valida, requiritur 1. Juſta cauſa: *quia diſpenſans, etiam Summus Pontifex, diſpenſat nomine Dei, qui non cenſetur ratam habere diſpenſationem ſinè juſta cauſâ factam.* Quodſi cauſa diſpenſandi non appareat ſufficiens, votum eſt commutandum; imò plerumque admiſcenda aliqua commutatio. 2. Poteſtas vel *ordinaria*, qualis competit Pontifici reſpectu omnium fidelium; Epiſcopis & Prælatis exemptis, etiam localibus de mente Sanch. apud Sporer (non Abbatiſſis) reſpectu ſuorum ſubditorum; vel *delegata*, ut eſt in confeſſariis ordinum mendicantium pro ſæcularibus, etiam extra confeſſionem. Sanch. *4. Mor. c. 45.* Sannig.

Quæ Vota ſint reſervata?

Vota Summo Pontifici reſervata ſunt 5. ſcilicet caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, pere-

peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, Jerosolymitanæ. In his dispensat Episcopus & juxta Reiffenst. *l. 3. tit. 34.* negante Sporer, etiam Regulares; Si difficilis sit ad Pontificem accessus, & urgens necessitas. Non sunt reservata; si sint dubia, metu extorta, si disjunctiva, pœnalia, si conditionata & non impleta conditio, imò si impleta, ùt docent Sanchez, Ledesma & alii, quorum doctrinam Sporer censet tutam, Reiffenst. tutissimam.

CAPUT V.

De Juramento.

Quid sit Juramentum & quotuplex?

EST invocatio Divini Numinis in testem alicujus rei. Dividitur principaliter 1. In assertorium, quo præsentia vel præterita affirmantur vel negantur, v. gr. juro, quod sim Christianus. In promissorium, quo aliquid futurum promittitur, v. gr. juro, quod sim in fide permansurus. Si jurans minetur pœnam; dicitur comminatorium; v. gr. testis mihi Deus, quod sim te exhæreditaturus. 2. In contestatorium & execratorium; Primô Deus vocatur simpliciter in testem, ùt supra; Secundô etiam in vindicem, v. gr. diabolus me auferat, non fiam salvus, si non sit ita. Sed non jurat dicens: Si mentiar; volo suspendi, vivus comburi &c. Quia Deus non invocatur in testem aut vindicem.

An jurare liceat?

Licet in veritate, in Judicio, & in Justitia; hoc est: Si jurans certò judicet, rem ita se habere; Si jurandum esse, recta ratio seu Judicium dictet; Si Juramentum sit de re honesta & licita. *Commun. TT.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ut sit Juramentum fieri debet 1. Per Deum vel explicitè, v. gr. testis est mihi Deus, vel implicitè, nimirum per creaturas respectivè ad Deum, v. gr. testis mihi cœlum. 2. Cum voluntate jurandi. 3. Cum invocatione Divini Testimonii: unde non jurant ad singula ferè verba effutientes: *per Deum, per animam, per Sacramentum &c.* nisi fortè intendant & se jurare sciant.

Coroll. 2. Jurans peccat M. 1. Si juret falsum, etsi in re levi, *quia non datur parvitas materiæ.* Item si falsum juret, etsi sinè animo jurandi, aut cum restrictione strictè mentali, *quia saltem exteriùs invocatur Deus in testem falsi.* 2. Si juret, se peccaturum, plures tamen contra Henno in re levi excusant à Mortali. 3. Si juret animo non implendi, ísque implere tenetur: *quia valet & obligat Juramentum, factum sinè animo implendi.* 4. Si fictè juret promissoriè, saltem in re gravi, sed ad nihil tenetur non secuto damno. Herinx. *d. 6.*

Coroll. 3. Juramentum promissorium factum Deo de re meliori, vel homini de re quacunque licita, obligat ad sui executionem sub mortali,

tali, si res sit notabilis; probabiliter sub veniali, si res sit levis: *quia in Juramento promissorio Deus vocatur in testem intentionis, non executionis;* unde defectus executionis non est perjurium, sed infidelitas, in qua datur parvitas materiæ. Non obligat factum de re illicita, aut ex errore vel dolo, qui tota causa Juramenti; *quia deest consensus,* aut in præjudicium tertii. Factum ex metu injustè incusso potest relaxari. Sbogar *tract. 107.*

Coroll. 4. Juramentum contractui invalido additum, illum non firmat, adeoque si res sit licita, jurantem solùm obligat ex virtute Religionis. Hinc qui sponsalibus invalidis vel promissioni invalidæ addidit Juramentum, obtentâ hujus relaxatione, ad nihil tenetur.

Coroll. 5. Qui puellæ cum Juramento promisit matrimonium, tenetur eam ducere, nec potest eâ dissentiente suscipere sacros ordines, nec manere in cœlibatu: *quia Juramentum promissorium homini obligat, etsi majoris boni sit impeditivum.* Potest tamen is ingredi Religionem; quia hanc non impedit matrimonium ratum, minùs Juramentum. Henno.

Coroll. 6. Juramenti promissorii obligatio tollitur 1. Mutatione materiæ; si fiat impossibilis, illicita &c. 2. Remissione promissarii. 3. Morte jurantis, si obligetur tantùm ex virtute Religionis, si etiam ex virtute Justitiæ, utpote quia Deo vel homini acceptanti promisit, transit ad hæredes. Sanch. *3. Moral.* 4. Irritatione; hâc potest quilibet & quælibet sibi subditorum,

nempe Parentes filiorum ſub patria poteſtate exiſtentium, Tutores pupillorum, Mariti uxorum, Domini ſervorum, Superiores Religioſorum Juramenta etiam homini facta tollere, ſi ſint de materia ſibi ſubjecta, ùt ſupra de irritatione voti. 5. Commutatione & diſpenſatione, ùt ſupra de voto.

CAPUT VI.
De Superſtitione.

Quid Superſtitio & quotuplex?

SUperſtitio eſt falſa Religio, quâ colitur vel creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Cultus Dei indebitus eſt vel falſus, v. gr. falſa prædicare miracula, falſas intrudere reliquias &c. vel ſuperfluus, v. gr. novas addere in officio cæremonias, quasdam preces &c. primus eſt per ſe mortalis, ſecundus venialis. Cultus creaturæ divinus eſt vel Idololatria, vel Magia, vel Divinatio, vel vana obſervantia.

Quale peccatum?

Eſt peccatum Mortale in quacunque materia, niſi excuſet bona fides, indeliberatio, jocus &c. *Commun. TT.*

Quid Idololatria, Magia, Divinatio, vana obſervantia?

Idololatria eſt ſuperſtitio, quâ cultus divinus tribuitur creaturæ, v. gr. Diabolo, tanquam Deo.

Deo. Dividitur in externam tantùm, & in ex- & internam ſimul.

Magia eſt ſuperſtitio, quâ magus mira quædam operatur ope dœmonis ratione pacti. Dividitur in artem notoriam, mirificam, & maleficam ſeu maleficium; primâ procurantur ſcientiæ, ſecundâ bonum corporale, tertiâ nocumentum proximo. *Pactum* cum dœmone poteſt eſſe vel *expreſſum*, quo dœmon expreſsè invocatur & reſpondet, vel *implicitum*, quando homo tentat aliquid efficere per ea, quæ naturaliter non poſſunt.

Divinatio eſt prænunciatio rerum occultarum ope dœmonis ex pacto tacito vel expreſſo. Variis fit modis: 1. Per dœmonia. 2. Per aſtra. 3 Per ſomnia. 4, Per ſortilegia. 5. Ex aliis ſignis, v, gr. ex lineamentis manuum, ex garritu avium &c.

Vana Obſervantia eſt ſuperſtitio, quâ adhibentur media inutilia ad efficiendum aliquid, ad quod nec à natura, nec à Deo ullam habent virtutem.

An liceat à malefico petere diſſolutionem maleficii?

Non licet, ſi diſſolvere non poſſit niſi per novum maleficium; *quia hoc intrinſecè malum.* Licet, ſi poſſit arte ſibi cognitâ. etſi à dœmone habitâ, deſtruendo ſigna & pacta: *quia artem à dœmone diſcere non licet;* eâ tamen, ubi fit ſinè novo interventu dœmonis, uti licet.

Unde cognoſcitur, opus eſſe ſuperſtitioſum?

Cognoſcitur 1. Ex modo operandi, ut ſi, ſeclusâ Dei ope, ſanitas reſtituatur in inſtanti; Si unâ die Fuldâ transferaris Romam. 2. Ex cauſis, neque ex natura ſua, neque à Deo connexionem habentibus cum effectu, ut ſi adhibeas characteres, verba, vel ſigna ad ſiſtendum ſubitò ſanguinem, ad te reddendum impenetrabilem &c. 3. Ex effectibus, ſi conſtet non poſſe naturaliter in talibus circumſtantiis produci, & non eſſe à Deo; ut ſi ſereno cœlo veniant ſubitò tonitru, fulmina, imbres &c.

Coroll. Superſtitio ſæpe alia peccata habet annexa, ùt ſunt: hæreſis, idololatria, profanatio rerum ſacrarum, luxuria, damna proximorum &c. De quibus interrogandi ſunt pœnitentes. Herinx *d. 7.*

CAPUT VII.
De Sacrilegio.

Quid Sacrilegium & quotuplex?

EST violatio ſeu indigna tractatio rei ſacræ, ſivè cultui divino deputatæ. Aliud eſt perſonale, quo perſona ſacra; aliud locale, quo locus; aliud reale, quo res ſacra violatur.

Quale ſit peccatum?

Eſt peccatum ex genere ſuo M. quia contra Religionem graviter obligantem. Ex parvitate materiæ poteſt eſſe veniale, v. gr. furtum rei ſacræ levis.

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Sacrilegium perſonale committit 1. In Clericos vel Religioſos violentas manus injiciens, eos ad tribunal ſæculare pertrahens aut injuſtè vectigalia imponens. 2. Actum venereum exercens cum perſona Deo ſacrata per votum, éſtque ſacrilegium duplex, ſi utraque perſona ſacra.

Coroll. 2. Sacrilegium locale committit 1. Eccleſiam polluens. vide *c.* 4. de Sacrificio Miſſæ. 2. In ea exercens actum prohibitum, ut ſunt ſtrepitus forenſis, mercatura, furtum quodcunque. 3. E loco ſacro injuſtè extrahens perſonam ibi aſylum habentem.

Nota: Nomine loci ſacri intelligi Eccleſiam, ſacellum, altare & quemcunque locum ad Miſſam vel officium Divinum publicâ authoritate deputatum, ſive ſit conſecratus, vel benedictus, ſive non; unde excluduntur Eremitoria & Oratoria privata, licet in eis celebrentur Miſſæ, ſi non ſint conſecrata vel benedicta. Henno *in Decal. d.* 1. *q.* 5.

Coroll. 3. Sacrilegium reale committit 1. Sacramenta indignè recipiens, miniſtrans, profanans &c. 2. Indecorè tractans ſacras imagines, reliquias, ſacra vaſa, ſacram ſcripturam &c. 3. Aufferens rem ſacram de non ſacro; ſi de ſacro erit ſacrilegium duplex & locale & reale. 4. Bona Eccleſiaſtica injuſtè retinens, deſtruens &c. Bona verò Eccleſiæ legata & nondum ab ea acceptata injuſtè detinens, injuſtitiam

committit, non ſacrilegium, *quia nondum Eccleſiaſtica.*

Coroll. 4. Nota: Si actus ſit contra id, ad quod perſona, locus, vel res ſunt ſacrata; eſt ſacrilegium, aliàs non.

CAPUT VIII.
De Simonia.

Quid Simonia & quæ ad eam requirantur?

SImonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali rem ſpiritualem aut ſpirituali annexam: *Omnes.* Ad eam requiruntur tria: 1. Materia ſpiritualis, & eſt talis vel quoad ſubſtantiam, ut omnes gratiæ, virtutes infuſæ, dona Spiritûs Sancti; Vel cauſativè, ut Sacramenta; vel effectivè, ut actus Jurisdictionis, Abſolutio, Diſpenſatio, Excommunicatio, Electio &c. vel Spirituali annexa, ut Jus Patronatus, labor in adminiſtrandis Sacramentis &c. 2. Pretium temporale; quod ex D. Thom. eſt triplex: munus à manu, ſcilicet pecunia & res quælibet temporalis pretio æſtimabilis; munus ab obſequio, ſcilicet ſervitium & quodlibet opus præſtitum vel præſtandum; munus à lingua, ſcilicet recommendatio, laus, preces &c. 3. Pactum ſcil. obligatorium, ſive expreſſum ſit, ſive tacitum.

Diviſio Simoniæ:

Dividitur 1. In Simoniam Juris Divini & Simoniam Juris humani. Prima prohibetur lege

Divi-

Divinâ, secunda Ecclesiasticâ; Primam committunt ementes vel vendentes res propriè spirituales, v. gr. Sacramenta; Secundam committunt ementes vel vendentes res ex se vendibiles, sed ab Ecclesia vendi prohibitas, v. gr. Beneficium Ecclesiasticum, officium Sacristæ, Thesaurarii, Advocati Ecclesiæ; item Beneficia permutantes, dantes pecuniam pro recommendatione ad accipiendum Beneficium &c. Layman apud Sporer. 2. In mentalem, conventionalem & realem. Prima committitur solâ intentione, intendendo Simoniam; Secunda externâ conventione seu pacto, absque tamen executione, saltem utrimque factâ; Tertia traditione utrimque factâ scilicet traditione pretii ex parte ementis, & rei spiritualis ex parte vendentis. Simonia confidentialis reducitur ad aliquam ex memoratis.

Quale peccatum sit Simonia?

Est peccatum sacrilegii M. nunquam V. ex parvitate materiæ. *Omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non est Simonia 1. Dare rem spiritualem extra materiam Beneficiorum pro spirituali; vel temporalem pro spirituali materialiter sumptâ, v. gr. pro calice, quantum valet argentum. 2. Accipere aliquid pro sustentatione admissi ad Religionem. Marchant. 3. Post acceptum spirituale dare aliquid, ut donum gratuitum. 4. Donare aliquid ex intentione, ut alter

alter ſuo tempore citra obligationem ſit gratus. *Commun.* contra Henno. 5. Poſt Jus acquiſitum dare aliquid ad redimendam injuſtam vexam. 6. Miniſtrantibus ſpiritualia dare aliquid ut ſtipendium in ſuſtentationem, aut pro labore extrinſeco. Herinx *d. 9.*

Coroll. 2. Eſt Simonia 1. Dare vel accipere pretium pro Sacramentis, gratiis &c. pro functionibus ſacris quâ talibus, pro ſtatu Religionis, pro ſepultura in loco ſacro, pro Beneficio, pro actu Jurisdictionis, ut ſunt abſolutio, diſpenſatio &c. 2. Dare vel accipere ex pacto per modum gratitudinis, contra varios apud Platel. 3. Dare aliquid tanquam pretium motivum aut compenſationem pro re ſpirituali. 4. Dare pecuniam alteri, ut ſibi apud collatorem procuret beneficium, vel competitori pro beneficio litigioſo, ut à lite deſiſtat. 5. Roſaria & ejusmodi cariùs vendere, *quia benedicta.* 6. Cariùs vendere fundum propter Jus Patronatûs. Reiffenſt. *l. 5. t. 3.*

Coroll. 3. Beneficium ſimoniacè acceptum dimitti debet, etiam ante ſententiam Judicis; omnes fructus ſunt reſtituendi, niſi conſumpti bonâ fide. *Extrav. cum deteſtabile. de Simonia.* Pretium rei ſpiritualis, ſi hæc jam tradita, reſtituendum eſt Eccleſiæ, vel in pios uſus erogandum; ſi nondum ſit tradita, reſtituendum eſt danti, & contractus reſcindendus. Leſſ. *d. 31.*

CA-

CAPUT IX.

De Blaſphemia.

Quid & quotuplex Blaſphemia?

EST contumelioſa in Deum vel Sanctos locutio. Dividitur in Hæreticalem & Simplicem: prior v. gr. Deus eſt immiſericors, injuſtus &c. annexam habet hæreſim, ſeu errorem contra fidem, éſtque peccatum duplex ſcilicet blaſphemiæ & hæreſis; poſterior v. gr. pereat Deus, maledicta Sacramenta &c. non aliam habet malitiam niſi blaſphemiæ, omnéſque ejuſdem ſunt ſpeciei, quatenus tendunt in Deum; quatenus verò blaſphemia committitur contra Sanctos opponitur Duliæ. *Commun.*

Quale ſit peccatum?

Peccatum eſt graviſſimum, nunquam veniale ex parvitate materiæ, quandoque ex ſubreptione & inadvertentia. *Commun. TT.*

COROLLARIA:

Coroll. 1. Peccatum blaſphemiæ eſt 1. Deo attribuere falſa, negare vera, loqui in ejus vilipenſionem; huc reducitur, contra Deum in cœlum ſpuere, frendere dentibus &c. item cogitatio blaſphema. 2. Maledicere vento, pluviæ &c. quatenus proveniunt à Deo. 3. Injurioſè nominare Sanguinem Chriſti, Sacramenta &c. etſi proferantur ex indignatione contra hominem, modò ſeriò & proferens advertat vili-

vilipensionem Dei & rerum sacratum. Tann. num. 134.

Coroll. 2. Non est blasphemia 1. In ira imprecari aliis dœmonem, fulgura &c. est tamen peccatum contra charitatem, idque M. si deliberatè & seriò fiat; si secus, V. 2. In ira contra hominem vel jumenta nudè absque motu pravo in Deum nominare Sacramenta, mortem Dei, Sanguinem Christi &c. est tamen nomen Domini assumere in vanum. Sanch. 2. Mor. 32.

Coroll. 3. Pro Confessario: advertat 1. An verba in se sint blasphema. 2. An prolata indeliberatè ex impetu iræ sinè reflexione ad blasphemiam, sic non sunt formaliter blasphema. 3. An prolata ex intentione Deum inhonorandi, vel ex maligno in Deum affectu, aut saltem cum advertentia blasphemiæ; sic formalis committitur blasphemia. 4. An prolata sinè advertentia ex consuetudine: blasphemia est, si consuetudo sit culpabilis. 5. An verba sint hæretica & cum interno assensu prolata: sic peccatum sunt blasphemiæ & hæresis. 6. An sint contumeliosa in Sanctos: & sic sunt peccatum contra Duliam; quatenus contumelia in Sanctos; & contra Latriam, quatenus contumelia ista redundat in Deum.



TRA-

TRACTATUS VIII.

De Statu Religioſo.

Quidditas:

Quid ſit Status Religioſus?

EST Status immobilis, hoc eſt immutabilis, hominum ſub certa regula ab Eccleſia approbata tendentium ad perfectionem per vota obedientiæ, paupertatis & caſtitatis. *Communis.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ut quispiam ſit Religioſus requiruntur tria vota præfata in ordine approbato (ſufficiunt ſimplicia *poſt Declaration. Gregor. XIII.*) eáque perpetua, ſeu ſtatûs immobilitas ſaltem ex parte profitentis, & hujus à Superiore receptio. *Trid. Seſſ. 25. cap. 19.* Unde Novitii Societat. JEſu poſt primam profeſſ. ſunt Religioſi: quamvis enim ex cauſa dimitti poſſint, ipſimet tamen ſocietatem, niſi tranſeundo ad ordinem ſtrictiorem, dimittere non poſſunt. Pelliz. *tom. 1.*

Coroll. 2. Religioſus ſub M. tenetur tendere ad perfectionem, quia Religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. D. Thom. *2. 2. q. 185.* adeoque peccat M. 1. Habens animum non proficiendi. 2. Ex contemptu tranſgrediens ſtatuta, quæ media ſunt & via ad perfectionem. 3. Habens propoſitum ſtatuta univerſaliter non ſervandi, aut de iis minimè curans: quia propoſi-

positum illud opponitur perfectioni acquirendæ. Reiffenst. *l. 3. tit. 31. num. 5.* Excusatur à M. statuta hinc inde transgrediens solùm ex quadam negligentia & tepiditate.

Receptio.

Quis possit recipere, quis recipi?

Ad Religionem recipere potest omnis & solus ille, cui competit ex Jure, Consuetudine vel Privilegio. Recipi possunt omnes, qui sunt sui Juris, nec aliquo impedimento naturali aut positivo sunt ligati. *Commun.*

Ad quid teneatur, qui vovit Religionem?

Qui vovit Religionem determinatam, diligentiam adhibere tenetur, ut admittatur ad eam; Si voverit Religionem in genere, non admissus ad unam, laborare tenetur, ut admittatur ad aliam, modò habilis sit & spes admissionis. Si admissus non studio suo dimittatur, aut ex justa causa egrediatur, satisfecit. Si habens votum Religionis contrahat matrimonium animo consummandi, peccat mortaliter & contrahendo & consummando: post consummationem tamen debitum conjugale reddere tenetur & petere potest, at matrimonio dissoluto votum rursus obligat, si adhuc impleri possit.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Peccat 1. Recipiens supra numerum qui ex redditibus, vel consuetis eleemosynis com-

commodè possit sustentari. *Trid. Sess. 25. c. 5.* 2. Recipiens inutiles. 3. Sinè justa causâ negans habitum idoneo, aut novitio (quem scit dignum) votum ad professionem. In 1. casu peccat solùm contra charitatem, in 2. contra justitiam.

Coroll. 2. Recipi possunt sponsi de futuro; nisi injuriam patiatur sponsa, utpote imprægnata vel deflorata. Item conjux ante matrimonii consummationem, etiam invitâ comparte, quæ tamen post alterius professionem, licitè transit ad alias nuptias; post matrimonium consummatum recipi nequit, nisi compars consentiat, vel sit adultera, vel per divortium perpetuum separata. *c. constitutus. de convers. conjugat.*

Coroll. 3. Conditiones recipiendorum sunt variæ; de quibus præcipuè examinandi sunt 1. Patria. 2. Parentes. 3. Ætas. 4. Status. 5. Sanitas mentis & corporis. 6. Competens literatura. 7. Morum & vitæ integritas. 8. Spiritus vocationis.

Novitiatus

Quid sit?

Est activa & passiva novitii probatio in monasterio vel domo istius Religionis, quam novitius cogitat profiteri. Annus novitiatûs debet esse omninò integer & moraliter continuus.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Novitiatus non est completus, si deficiat vel una hora; etsi novitius, simúlque

Religio renunciet juri probationis annuæ, *quia non possunt.* Ægroti tamen in mortis articulo, *ex concess. Pii V.* validè profitentur. *Quid, si convalescant?* Novitiatum debent complere, & de novo profiteri.

Coroll. 2. Novitiatus non est moraliter continuus, si novitius relinquat ordinem, aut justè expellatur, licèt post aliquas horas readmittatur: *quia cessavit esse novitius.* Secus est: si novitius de licentia superioris per unum aut alterum mensem absit à Conventu, non tantum infirmitatis, sed etiam recreationis causa: *quia cum licentia Prælati ad breve tempus existens extra Conventum, censetur commorari in illo.* Item si discedat furtivè cum animo revertendi post 2. vel 3. horas; Si expellatur injustè & readmittatur; Si habitum exuat vel exuatur, & nondum egressus rursus induatur: *quia adhuc est in Religione, vel animo, vel jure, vel corpore.*

Coroll. 3. Effectus probationis sunt 1. Quòd novitius omnibus gaudeat privilegiis, quibus professi, ut Religiosi. 2. Jus ad professionem. 3. Quòd de bonis novitii nihil possit recipi notabile, nisi expensæ pro victu & vestitu. *Trid. Sess. 25. c. 16.* atque ad has obligari potest egrediens. 4. Quòd nulla renunciatio aut obligatio (nisi rerum modicarum) à novitio facta valeat, nisi fiat intra 2. menses ante professionem, neque sortiatur effectum, nisi secutâ professione. *Trid. cit.* *Quid, si donatio fiat ante ingressum?* Si fiat illius intuitu, adhuc probabiliùs non valet. Sorbo *citans declar. Card.* Pro-

Professio

Quid sit? Quid si invalida?

Professio est promissio liberè facta & legitimè acceptata, quâ quis se astringit Religioni sub votis obedientiæ, paupertatis & castitatis. Invalidam profitens debet aut ratificare (si ratificabilis) aut contra eam reclamare.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Ad valorem professionis requiruntur 1. Ætas 16. annor. *Trid. Sess. 25. c. 15.* 2. Annus probationis, ut suprà. 3. Verus & liber consensus profitentis absque metu gravi. 4. Debitus sexus: non valet, si vir aut hermophroditus, in quo prævalet sexus virilis, profiteatur apud moniales, & è contra. 5. Acceptatio ex parte Religionis. 6. Ut nulla adsit conditio Religionis substantiæ repugnans, neque ullum subsit impedimentum dirimens.

Coroll. 2. Effectus professionis præcipui: 1. Omnia omninò vota in ipsam professionem commutat, saltem si id intendat profitens. 2. Dissolvit matrimonium ratum, & sponsalia, etiam jurata. *Trid. Sess. 24. can. 6.* 3. Tollit irregularitatem, quæ ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos sacros ordines, non ad Prælaturam. 4. Parit obligationem mutuam inter Religionem, & Religiosum. 5. Extrahit filium à patria potestate. 6. Bona novitii, si profiteatur, nulla de eis facta dispositione, cedunt mona-

nasterio; hæredibus, si moriatur ab intestato. Less. c. 41. d. 10.

Coroll. 3. Credens professionem suam esse nullam, contra illam reclamare potest intra quinquennium à die professionis, non post; imò nec ante habitu dimisso. *Trid. Sess.* 25. c. 19. El ipso tamen quinquennio juvari potest restitutione in integrum, scilicet in jus agendi, quod erat amissum. Hæc fieri potest Minoribus tum ratione minoris ætatis, tum ratione impotentiæ reclamandi, sive provenerit ex metu, sive ex ignorantia; Majoribus autem solum ratione impotentiæ reclamandi. Sanchez. *Quid, si non ampliùs audiatur?* certò sciens professionem esse invalidam, poterit fugere, modò fiat sinè scandalo. Less. *d.* 7. *n.* 65. Sanchez, Navarr.

Coroll. 4. Peccat M. 1. Reclamans contra suam professionem, quam scit esse validam, vel ratificavit: *quia hæc nequit declarari nulla.* 2. Qui professionem suam sciens esse nullam, vel aufugit ante reclamationem: nam justè inhibet Tridentinum & censetur apostata; vel manet sine reclamatione & ratificatione: nam graviter decipit ordinem, accipiens ea, quæ non debet.

Coroll. 5. Ad ratificandam professionem requiritur ex parte ratificantis cognitio nullitatis, & novus consensus; quomodo quis revalidare potest, quod non scit esse invalidum? non tamen novus requiritur novitiatus, neque novus consensus ex parte Religionis, ratificationem acceptante Papa. *c. significatum. de Regular.*

Obe-

Obedientia

Quid sit?

Eſt vinculum ſpirituale, obligans Religioſum ad obediendum Prælato ſuo in omnibus & ſingulis, quæ ad regulam & regularem obſervantiam pertinent.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Religioſus obedire tenetur Superiori præcipienti juxta Regulam ſeu Statuta. Unde Frater Minor tenetur obedire in omnibus, quæ non ſunt contraria animæ ſuæ & regulæ; nam ita præcipit *Reg. c. 10.* Non ideo liberum eſt Superiori mandare, quæ lubet; debent enim præcepta eſſe rationabilia & ex cauſa juſta. Herinx. *d. 5. n. 63.*

Coroll. 2. Religioſus non tenetur obedire Superiori 1. Præcipienti contra regulam vel animam. 2. Præcipienti ſupra regulam, v. gr. longa jejunia, abſtinentias &c. poteſt tamen ejusmodi imponere in juſtam pœnam vel ob publicam neceſſitatem. 3. Præcipienti præter regulam, v. gr. jejunia, labores, & quæ ad regularem obſervantiam impertinentia. 4. Præcipienti infra regulam, v. gr. laxitates, niſi juſta ſubſit cauſa. S. Bernard. *l. 1. de præcepto. col. 4. Prælatus vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine neceſſitate.*

Coroll. 3. Obedientia Religioſa obligat ſub M. ſi materia ſit gravis vel ex ſe, vel ex circumſtantiis, & Superior præcipiat in virtute S. Obedien-

tiæ. Quod si hâc præcipiendi formâ non utatur, non videtur velle obligare sub P. M. Less. *c. 41. num. 74.*

Paupertas

Quid sit?

Est votum solemne, quo Religiosus abdicat à se proprietatem & usum juris bonorum temporalium quorumcunque.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Religiosus ex voto paupertatis 1. Non potest habere aliquid tanquam proprium; adeóque invalidè sine facultate Superioris donat, vendit, emit &c. 2. Non potest habere rei usum, licet dominium maneat apud datorem, nisi de licentia Prælati vel expressa, vel tacita, vel præsumpta: prima est optima, secunda sufficit in iis, quæ Superior sciens liberè non improbat; tertia sufficit, si præsumi possit, quod Superior rogatus non solum licentiam daret, sed etiam velit eam in illis circumstantiis non peti: tunc enim licentia re ipsâ adest, aliàs non. 3. Vitare debet rerum superfluitatem, curiositatem & pretiositatem. *Qualis alioquin paupertas?* Less. *cit. num. 78.*

Coroll. 2. Ut rerum usus Religioso sit licitus, debet illis uti 1. Tanquam non suis, aliàs proprietarius est. 2. Cum vera & rationabili licentia. 3. Moderatè juxta modos suæ Religionis. March. *tr. 2. tit. 1. q. 4.*

Coroll. 3.

Coroll. 3. Peculium Religioſo eſt licitum ſub his conditionibus 1. Ut Regula non inhibeat. 2. Incorporatum ſit Monaſterio, quoad dominium & Religioſus ſimplicem habeat uſum. 3. Ut habeatur ex licentia Superioris. 4. Sit moderatum. 5. Ut expendatur in uſus licitos & neceſſarios.

Caſtitas

Quid ſit?

Eſt votum ſolemne, vi cujus Religioſo illicita eſt omnis delectatio venerea in- & extra conjugium.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Ex voto caſtitatis tenetur Religioſus abſtinere 1. A conjugio; illud attentans invalidè contrahit. 2. Ab omnibus, quæ ſunt contra virtutem caſtitatis.

Coroll. 2. Religioſus peccans contra votum paupertatis committit ſacrilegium contra votum, & furtum contra juſtitiam, ſi res monaſterii auferat, alienet &c. vel ſi res ab alio dominium abdicante acceptas, & conſequenter tranſeuntes in dominium monaſterii ſibi appropriet. Si verò donans rei dominium ſibi reſervet nolens obvenire Monaſterio, tunc Religioſus eam ſine licentia accipiendo ad ſimplicem uſum, ſolùm committit ſacrilegium proprietatis. Peccans contra votum caſtitatis, peccat contra caſtitatem & contra votum peccato ſacrilegii carnalis. Leſſ. *c. 41. n. 80.*

Clausura

Quid sit?

Sunt certa Regularium loca, nimirum claustrum, dormitorium, hortus, refectorium & aliæ officinæ interiores, quæ ingredi quibusdam non licet. Sacristia, Chorus, Capella juncta Ecclesiæ, si detur accessus sine transitu per monasterium, non pertinent ad clausuram. Henno *tract. 3. quæst. 10.*

Quæ pœnæ violantium clausuram?

Mulieres non exemptæ, nec aliunde excusatæ, ingredientes clausuram Regularium incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & ipsi Religiosi introducentes pœnam privationis officiorum & inhabilitatis ad illa, ac etiam suspensionis à Divinis. Eandem pœnam incurrit quælibet persona cujuslibet sexûs, statûs aut conditionis non exemptæ ingrediens clausuram Monialium sinè licentia Superioris legitimi. *Pius V. Cura Pastoralis.* Ab excommunicatione & suspensione à Divinis absolvere possunt Confessarii Mendicantium virtute privilegiorum; alias verò pœnas, nempe privationis officiorum & inhabilitatis ad illa (quæ non incurruntur ante sententiam Judicis, criminis declaratoriam) tollere possunt mendicantium Prælati: *quia non reservata.* Excusantur ab excommunicatione sæpe mulieres ratione bonæ fidei vel ignorantiæ, etiam vincibilis: *quia requiritur præsumptio & scientia.*

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ingredi licet clausuram Regularium 1. Imperatricibus, Reginis, earum filiabus & neptibus; item fundatricibus: *quia exemptæ.* 2. Dum in claustro celebrantur missæ, aut divina officia. 3. In processione. 4. In magno populi & pœnitentium confluxu.

Coroll. 2. Clausuræ violatæ sunt rei 1. Prælatus & janitor fœminas (modò attigerint usum rationis) ingredi permittentes aut ingressas non educentes: *quia ad illos pertinet cura clausuræ.* 2. Alii Religiosi introducentes. 3. Ingressas diutiùs detinentes confabulationibus &c. *Quia sunt causa, clausuram diutiùs violari.* Præter peccatum tamen non incurrunt pœnas Ecclesiasticas; hæ enim sunt contra introducentes, non verò detinentes.

Coroll. 3. Moniales obligatæ sunt ad clausuram, ita ut his non liceat egredi, nec aliis ingredi. *Trid. Sess. 25. c. 5.* Saltem in actu primo, sic ut à Superioribus possit, debeatque cessante impedimento introduci.

Coroll. 4. Ingredi licet clausuram monialium 1. Personis exemptis, de quibus suprà. 2. Habentibus licentiam à Superiore. 3. Visitatoribus ad actum visitationis. 4. Confessariis ad infirmas. 5. Opificibus, Medicis, Chirurgis, & omnibus; quos & quando postulat necessitas sive spiritualis, sive temporalis.

Tranſitus & Ejectio.

An liceat tranſire de ordine ad ordinem?

Religioſis de jure communi tranſire licet ad ordinem ſtrictiorem; de facto tamen in omni ferè Religione ob ſpecialia cujúsque privilegia requiritur licentia Papæ. Donatus *tom. 1. quæſt. 22.*

Quis & à quibus poſſit ejici?

Nullus legitimè profeſſus impoſterum à Religionibus poteſt ejici, niſi ſit verè incorrigibilis, & priùs unius anni ſpatio in jejunio & pœnitentiâ probetur in carceribus. *Conſtit. 28. Urbani VIII.* Ejectio fieri debet ab ipſo Generali de aſſenſu 6. Patrum &c. *Conſtit. cit.*

Quæ pœnæ Apoſtatorum, & quæ Superiorum circa illos obligatio?

Fugitivi & Apoſtatæ ipſo facto ſunt excommunicati. Pelliz. Donat. Superiores tenentur eos revocare, & vel ſponte vel coactè venientes recipere. *c. fin. de Regular.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ejecti tenentur 1. Ad tria vota, & univerſaliter ad omnia, quæ ſub peccato obligant, & extra ordinem ab eis ſervari poſſunt. Pelliz. Donat. Reiff. 2. Ad emendationem; quâ factâ ſunt recipiendi, niſi ex receptione ſcandalum vel aliud malum Religioni timeatur. *Comm. ex c. fin. de Regular.*

Coroll. 2.

Coroll. 2. Fugitivi & Apostatæ tenentur 1. Omnibus ordinis sui obligationibus. 2. Sine morâ redire, de his Reiffenst. *l. 3. tit. 31.*



TRACTATUS IX.
De Actibus humanis in communi.

CAPUT I.
De libero Arbitrio.

Quid sit liberum Arbitrium?

Liberum arbitrium est facultas activa, seu ipsa voluntas cum indifferentiâ contradictionis vel contrarietatis; id est, quatenus positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, & non agere, vel ex contrariis utrumlibet. *Commun. DD.*

An detur?

Datur & convenit homini in statu naturæ lapsæ, etiam in iis, quæ sunt virtutis & vitii. *Trid. Sess. 6. can. 5.* Movetur ab appetitu sensitivo, à Deo, ab Angelis, astris & objecto; non tamen necessitatur: aliàs non peccaret.

Quid actus humanus & quotuplex?

Actus humanus est, qui procedit liberè & deliberatè ab homine, ut hic liber & rationalis est.

eſt. Unde ad actum humanum & moralem requiritur ex parte intellectûs cognitio bonitatis vel malitiæ, ex parte voluntatis libertas indifferentiæ, ut ſupra. Dividitur 1. In elicitum & imperatum: Primus elicitur ab ipsâ voluntate ſinè prævio illius imperio; Secundus ex voluntatis imperio elicitur vel ab ipsâ voluntate, vel & potiſſimùm ab aliis potentiis. 2. In internum, qui ſunt actus voluntatis eliciti; & externum, qui ſunt actus potentiarum externarum, qui & liberi mediatè, ſeu participativè. 3. In moraliter bonum, moraliter malum & indifferentem, de quibus *c. 3.* Moraliter bonus, alius eſt merè naturalis, qui ſolis naturæ viribus elicitur; alius ſupernaturalis, & vitæ æternæ meritorius, qui procedit ex ſpeciali gratiæ concurſu.

Coroll. Non eſt actus humanus, qui elicitur ſinè uſu rationis, ut à puero, amente, ebrio; vel abſque advertentia ad honeſtatem aut turpitudinem, ut actus primò primi; vel ſinè libertate indifferentiæ, de hoc patet *ex propoſitione. 3. Janſenii damnata.*

CAPUT II.
De Voluntario.

Quid ſit voluntarium?

VOluntarium eſt, quod procedit à voluntate ex præviâ cognitione. Hinc quod fit ex metu, concupiſcentiâ, vel ignorantiâ conſequente, eſt ſimpliciter voluntarium.

Quod

Quod enim fit ex metu sive ab in- sive extrinseco, vel ex concupiscentia, voluntas vult directè sivè in se; quod fit ex ignorantiâ consequente seu vincibili, voluntas vult indirectè sivè in causâ: volens enim causam, v. gr. ignorantiam, vult, quod ex causâ sequitur. Quod verò fit ex ignorantiâ antecedente, vel concomitante aut ab extrinseco per violentiam, est simpliciter involuntarium. *Quia de facto non est à voluntate, quatenus ignoratum est vel violentum.* Est autem ignorantia antecedens, quæ præcedit omnem suspicionem mali, unde dicitur invincibilis; consequens est, quæ sequitur eam, & potest vinci; hæc quandòque est affectata; non affectata est vel crassa vel levis, prout minor vel major ad eam tollendam adhibetur cura. Ignorantia concomitans est, quæ nec movet ad actum, nec removet, sed concomitanter se habet; tali laborat, qui ignorans esse Jejunium comedit carnes, quas tamen comederet, si jejunium esse sciret.

An voluntas possit violentari?

Voluntas non potest pati violentiam quoad actus à se elicitos. Aliàs vellet & non vellet, potest quoad cessationem ab actu, sed à solo Deo: *quia potest suspendere concursum*; item quoad actus aliarum potentiarum: *Quia ab extrinseco ad actum moveri possunt, & removeri, contra nitente voluntate.*

Quotu-

Quotuplex Voluntarium?

Voluntarium est à voluntate directè vel indirectè, elicitivè vel imperativè, necessariò vel liberè, positivè vel privativè: *Quia voluntas potest aliquid velle in se vel in causa, elicere actum vel imperare, necessariò tendere in objectum vel liberè, ponere actum, vel omittere.*

An dabilis omissio pura?

Omissio libera potest esse (sed vix unquam est) pura, etiam peccaminosa, sine actu voluntatis eam causante, vel occasionante. *Quia voluntatem, dum exercet libertatem contradictionis, nihil necessitat ad ullum actum;* ergo sinè omni potest omittere; Si autem omittere sit prohibitum, peccat; ergo dabilis est omissio pura, libera, peccaminosa.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Metus regulariter non excusat à culpa, tamen minuit. Metus mortis vel gravis mali excusat 1. A lege naturali quoad actus aliquâ ratione cohonestabiles, ut est occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ; actus verò ita intrinsecè mali, ut nullâ sint ratione cohonestabiles, v. gr. blasphemia, negatio fidei, perjurium, fornicatio, &c. sunt peccata, nullo excusante metu. 2. A lege divinâ positivâ, v. gr. de observandis votis, festis, &c. excipe leges respicientes bonum commune totius Ecclesiæ, cujusmodi sunt de valore Sacramentorum, de Sigil-

Sigillo Confeſſ. 3. A lege purè humana: *quia hæc cum tanto onere non ligat.*

Coroll. 2. Ignorantia (ſi neque affectata ſit, neque craſſa) & violentia excuſant à culpa: non peccat 1. Comedens carnes in die jejunii ex illius ignorantiâ. *Quid ſi tamen comederet, ſi jejunium ſciret?* adhuc non peccat, niſi actu ita ſit reſolutus, quod velit comedere, ſive jejunium ſit, ſive non. 2. Puella oppreſſa; modò non conſentiat, impediátque quantum poteſt, & debet; cum periculo vitæ impedire non tenetur, quamdiu abeſt periculum conſensûs.

Coroll. 3. Qui vult ebrietatem, prævidens rixas; Somnum, prævidens omiſſionem Horarum; Veſperi turpes delectationes, prævidens pollutionem nocturnam; illi rixæ, omiſſio Horarum, pollutio ſunt peccata, & quidem eo ipſo, quo vult cauſam: *quia in hac ſunt indirectè voluntaria.* At verò motus carnales Confeſſario obvenientes ex peccatorum venereorum auditione, Theologo ex eorum lectione, Chyrurgo ex medicatione &c. Non ſunt peccata, ſecluſo conſenſu, ejúſque periculo: *Quia effectus pravus eſt indirectè voluntarius & peccatum tantùm illi, qui vult cauſam, quam poteſt & debet non velle.* Licitè ergo agis: Si actio tua ſit ex ſe honeſta, effectum autem pravum non intendas, te habens permiſſivè, & impedire non tenearis. Sporer.

CAPUT

CAPUT III.

De Speciebus Moralitatis.

In quo consistat moralitas? quid & quotuplex actus moralis?

MOralitas consistit in libertate morali, quæ ex parte intellectûs importat cognitionem bonitatis vel malitiæ, ex parte voluntatis indifferentiam ad agendum; proinde actus moralis est, qui liberè fit & deliberatè. Si fiat conformiter ad rectam rationem dictantem quod honestum, est bonus; Si difformiter, malus; Si neutraliter, est indifferens in individuo; & hic rectæ rationi est conformis negativè & bonus aptitudinaliter, de quo S. Hier. *Epist. ad Aug. 11.* Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens, ambulare ... hoc nec bonum nec malum est, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec non habebis.

Unde sumatur bonitas & malitia? an convenire possint eidem actui? an distincta externo?

Bonitas & malitia desumuntur ex objecto, circumstantiis & fine extrinseco; Sunt essentiales actui in esse moris, non in esse naturæ: nam idem physicè actus potest esse bonus & malus successivè, quamvis non simul.

Actus externus habet bonitatem vel malitiam, quam non habet internus: Scot. 2. d. 42. q. 4.

Et-

Etenim externus eſt liber participativè ; diſtinctum ipſi correſpondet præmium accidentale, v. gr. Martyrio palma, virginitati aureola &c. eſtque exprimendus in confeſſione.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non omnes actiones humanæ ſunt neceſſariò referendæ ad finem ultimum : nullibi id ſcriptum ; nec ratio dictat, niſi tantùm de conſilio, quod & nos.

Coroll. 2. Peccat, qui mentitur, tametſi ad avertendum malum. Item qui furatur ſivè daturus pauperi in eleemoſynam, ſivè meretrici ad fornicandum : *quia actus eſt ſimpliciter malus, ſivè bonus referatur in finem malum, ſivè malus in finem bonum; hic tamen minus, quàm iſte.* Bonum ex integra cauſa ; malum ex quolibet defectu.

Coroll. 3. Actus, aliàs indifferens, v. gr. comeſtio, fit bonus, ſi referatur in bonum finem ; fit malus, ſi in malum. Actus bonus ſi referatur in bonum finem, aut malus in malum : hic fit malus novâ malitiâ, iſte bonus novâ bonitate, utérque bonitate vel malitiâ ejusdem ſpeciei, cujus eſt finis, v. gr. furtum, ad dandum meretrici fornicationis causâ, præter malitiam furti, quæ ex objecto, habet malitiam fornicationis, quæ ex fine. Actus fit diverſarum virtutum, ſi eliciatur ex earum motivis; bonitas tamen ex objecto eſt prima & ſpecifico - ſubſtantialis: patet in voto non bibendi vinum ex motivo ſobrietatis, caſtitatis & pœnitentiæ.

CAPUT IV.

De Circumſtantiis.

Quid Circumſtantia & quotuplex?

CIrcumſtantia eſt accidens morale, actum humanum in eſſe ſpecifico conſtitutum afficiens, v. gr. occulta rei alienæ ablatio conſtituit actum in eſſe ſpecifico furti; quod autem quis auferat calicem, eſt circumſtantia illius, quatenus furtum eſt; nam ſi conſideretur ut ſacrilegium, circumſtantia illa actum conſtituit in nova ſpecie & eſt eſſentialis. Circumſtantiæ aliæ ſunt formales, quæ ſe tenent ex parte actûs, v. gr. major vel minor intenſio, major libertas & deliberatio; aliæ ſunt objectivæ, quæ ſe tenent ex parte objecti, v. gr. objecti qualitas, quantitas, ubi &c. Hæ ſunt vel ſolùm aggravantes, quæ bonitatem vel malitiam augent intra eandem ſpeciem virtutis vel vitii; aut ſunt mutantes ſpeciem quæ transferunt actum ad aliam ſpeciem, v. gr. circumſtantia perſonæ conjugatæ facit copulam ſoluti cum illa, non eſſe fornicationem, ſed adulterium.

An circumſtantiæ actui humano addant bonitatem vel malitiam? quot ſint?

Addunt: *quia ſunt vel laudabiles vel vituperabiles.* Formales & aggravantes addunt bonitatem vel malitiam in eadem ſpecie virtutis vel vitii, mutantes verò ſpeciem in diverſa: *quia hæ, non illæ, faciunt actum eſſe juxta vel contra diverſam virtutem.*

Nume-

Numerantur septem hoc versu: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1. *Quis* significat personæ operantis conditionem & qualitates: mutat speciem in peccatis carnalibus, si persona sit conjugata, cognata carnaliter vel spiritualiter, ligata voto castitatis &c. Item in peccatis contra charitatem: Si non avertens damnum vel scandalum sit obligatus ex justitia, seu vi officii. Insuper ad Confessarium pertinet attendere: an pœnitens sit consuetudinarius vel occasionarius, ideóque neganda sit, vel differenda absolutio.

2. *Quid* significat 1. Objecti quantitatem: an parùm vel multùm noceat proximo, sive in fama, sive in corpore, sive in bonis fortunæ. 2. Qualitatem: an res ablata sit sacra; an persona percussa sit Pater aut Mater, Sacerdos aut Religiosus. 3. Effectum secundarium: an ex homicidio sequatur damnificatio, ex adulterio suppositio prolis illegitimæ, &c.

3. *Ubi* notat locum: furto, homicidio, fornicationi, pollutioni adfert malitiam sacrilegii; si fiant in loco sacro.

4. *Quibus auxiliis* significat media ad operandum, item adjutores. Addit malitiam specie distinctam, si media sint specialiter mala: ut si usus sis ope dœmonis ad furandum, superstitione ad sanandum &c.

5. *Cur* denotat finem extrinsecum operantis: Sæpè mutat speciem, ut si dederis pecuniam Testi ad dicendum falsum testimonium, meretrici ad fornicandum &c.

6. *Quomodo* denotat modum operationis. Mutat ſpeciem, ubi modus operationis differt ſpecie ab ipſa operatione: ut ſi violenter deflores virginem, & eſt ſtuprum; Si rapias alienum, & eſt rapina; Si fraude contrahas, & eſt injuſtitia.

7. *Quando* ſignificat tempus. Mutat ſpeciem, ſi actus pro tali tempore ſit prohibitus: Ut ſi labores in feſto, celebres poſt meridiem &c. *Commun. TT.*

TRACTATUS X.
De Conſcientia.
CAPUT I.
De Conſcientia recta & erronea.
Quid Conſcientia? quid recta & erronea?

CONſcientia eſt dictamen practicum intellectûs de re ut hic & nunc licita vel illicita, benè aut malè facta. Si dictet licitum aut illicitum, quod tale eſt à parte rei, eſt phyſicè recta; Si minùs, eſt phyſicè erronea. Si dictet aliquid prudenter & certò, eſt practicè recta; Sivè etiam ſit phyſicè recta, ſivè non. Conſcientia erronea, alia eſt vincibilis, quando intellectus errorem cognoſcere potuit; alia invincibilis, quando non potuit.

An voluntas teneatur ſequi Conſcientiam & quam?

Conſcientia practicè recta eſt regula proxima actionum humanarum, eámque (dum eſt præcipiens vel prohibens) tenetur voluntas ſequi. *Omnes.* Quia voluntas eſt potentia cæca; ergò ſequi tenetur intellectum prudenter & certò dictantem, hoc vel illud eſſe præceptum aut prohibitum.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Illicitum eſt 1. Agere contra conſcientiam, ſive recta ſit ſive erronea: quia quod non eſt ex fide ſeu perſuaſione quod liceat, peccatum eſt. *Rom. 14.* 2. Sequi conſcientiam vincibiliter errantem: *quia error culpabilis.*

Coroll. 2. Si conſcientia dictet aliquid eſſe peccatum, non cogitando, an grave an leve; contra eam operans peccat graviter juxta Regin. Leviter juxta Gob. Huic conſentiendum: Si res apprehendatur ut levis; illi verò, ſi ut gravis, aut operans velit peccatum, ſive ſit M. ſive V. Quod ſi nullo modo quis adverteret ad gravitatem vel levitatem, hæc aut illa judicanda eſſet ex ipſa materia. Marchant.

Coroll. 3. Legitimè excuſatus, conſcientiâ dictante omiſſionem eſſe peccatum, non peccat: Si opus implere non poſſit abſolutè; peccat, ſi poſſit. Ideo incarceratus omittendo ſacrum non peccat, etſi ſe peccare putet; peccat autem

febricitans, si idem putet: quia omissio huic libera, non illi. Dicast. *de Juram. num. 234.*

Coroll. 4. In casu perplexitatis, consciętiâ dictante ex duobus, in quorum alterutrum oportet incidere, utrúmque esse æqualiter malum, homo non peccat, quidquid elegerit ex utróque. At conscientiâ dictante unum esse majus malum, eligendum est minus.

Coroll. 5. Quod est ex conscientiâ inculpabiliter erronea, non est peccatum; imò (ut censet Sporer contra Marchant) moraliter bonum, puta formaliter. *Quid si cognito errore quis de tali opere, v. gr. perjurio delectetur?* Peccat: si delectetur de illo materialiter sumpto, prout in se malum; non peccat, si delectetur de illo formaliter sumpto, quatenus factum sinè peccato. *Comm.*

Coroll. 6. Pœnitentem, qui laborat conscientiâ erroneâ, Confessarius tenetur instruere, si pœnitens interroget aut dubitet; vel si putet esse peccatum, quod non est; aut non esse necessaria ad salutem, quæ omninò sunt. Per accidens non tenetur instruere, si pœnitens ex conscientiâ invincibiliter errante committat peccatum, quod creditur non emendaturus. Caveat igitur conjugem monere de nullitate matrimonii, nisi prius obtenta sit dispensatio, & speretur fructus. vide Sporer *de Conscient. num. 28.* Quid si error noceat bono publico, v. gr. invalidè ordinatus ministret sacramenta, monendus est, etsi peccaturus sit formaliter, ne patiatur innocens.

CAPUT

CAPUT II.

De Conſcientiâ probabili & certâ.

An liceat ſequi opinionem probabilem?

AD licitè operandum requiritur conſcientia certa, ſaltem practicè, nimirum ut operans prudenter & certò judicet, ſe licitè operari: aliàs exponit ſe periculo peccati. Conſcientia autem practicè certa formari poteſt ex probabili, non quidem immediatè ſed mediatè, hoc ſimilíve judicio reflexo: Poſſum facere absque peccato formali, quod verè eſt probabile licere; atqui probabile eſt, quod liceat, v. gr. pingere in feſto; ergo hìc & nunc poſſum &c. Facta ſaltem virtualiter ejusmodi reſolutione, licet ſequi opinionem minùs probabilem, etiam minùs tutam relictâ probabiliori, & tutiori. Eſt contra multos communiſſima DD. apud la Croix *Tom. 1. num. 269.* Ratio: Sententia probabilior & tutior poteſt eſſe falſa; ergo non teneris eam ſequi; probabilis poteſt eſſe vera, nititur authoritate & ratione; ergo potes eam ſequi, fundando in ea dictamen practicum, prudens & moraliter certum.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Illicitum eſt 1. Operari ex judicio tantùm probabili, cum formidine practica de oppoſito. *Quia operans ſe exponit periculo peccandi.* Poſt factum autem ſe reſolvere aut revolvere AA. An commiſſum ſit peccatum; eſt medi-

cinam ſperare poſt mortem, inquit Herinx. 2. Sequi opinionem dubiè, tenuiter vel extrinſecè tantùm probabilem. Carden. *num. 262.* 3. Eodem tempore uſurpare utrámque opinionem probabilem in præjudicium tertii; ut ſi velles hæreditatem adire ex Sententiâ: *quod teſtamentum non ſolemne valeat pro foro conſcientiæ;* & tamen ex Sententiâ: *quod non valeat*, *nolles ſolvere legata.* Haunold. 4. Opinionem ſemel electam mutare, cum certâ violatione alicujus legis: ut ſi die Sabbathi velis comedere carnes, quia in uno horologio audita eſt 12. Noctis; & ſimul celebrare in Dominica: quia necdum audita in altero. Gob. *Tr. 206.*

Coroll. 2. Licitum eſt ſequi ſententiam probabilem alienam, relictâ ſuâ probabiliore. *Quid ſi operans alienam judicet falſam?* Non poteſt eam ſequi, ſtante hoc judicio. Schild. *Tr. 2. num. 25.* Confeſſarius debet abſolvere pœnitentem de cætero diſpoſitum, qui tenet ſententiam verè probabilem ſuæ probabiliori contrariam. Laym. Stotz. Subditus tenetur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, etſi ſubdito probabiliùs videatur illicitum. Sanch. *in Decal. l. 6. c. 3.* Conſultus poteſt dare conſilium juxta Sententiam verè probabilem ſuæ contrariam. Quod ſi conſulens de obligatione reſtituendi juxta unam ſententiam obligetur, juxta aliam non, conſultus peccat contra juſtitiam: Si conſulenti ex ſua ſententia abſolutè reſpondeat, pſum obligari, & non indicet ſententiam oppoſitam.

ſiam. Platelius *p. 101.* Licitè aliquis ſequitur opinionem, quam vel legit in probato Authore, vel audivit à viro prudenti; quamvis ſciat alios tenere oppoſitum, nec poſſit ſolvere rationes in contrarium. Sporer *num. 41.*

Coroll. 3. Non licet ſequi ſententiam minùs probabilem, minùsque tutam, ubi agitur de valore actûs, aut timetur damnum proximi. Hinc 1. Miniſter Sacramenti illicitè ſequitur probabilem de valore Sacramenti. *ex propoſit. 1. Damnata ab Innocent. XI.* Licitè tamen in caſu neceſſitatis, ſed ſub conditione. Medicus tenetur adhibere remedia tutiora & probabiliora, his deficientibus, licita ſunt probabilia & dubia; imò periculoſa, ſi deſperatum foret de vitâ infirmi. 3. Judex in cauſa civili tenetur decidere pro parte probabiliore. *ex propoſit. 2. Damnata ab Innocent. XI.* In caſu paris utrimque probabilitatis, res inter litigantes eſt dividenda. Thom. Sanch. *ex commun.* contra Ledes. Advocatus tamen poteſt defendere partem minùs probabilem, ùt ſupra *fol. 98.*

CAPUT III.

De Conſcientia dubia & ſcrupuloſa.

An liceat operari cum Conſcientia practicê dubia? quæ illa?

NUnquam licet operari cum conſcientia practicè dubia, qualis eſt: an hic & nunc liceat operari. Licet cum ſpeculativè dubia (qualis

lis eſt: an hoc vel illud ſecundùm ſe licitum) formando practicè certam; quæ prudens eſt judicium: quod hic & nunc, non obſtante dubio ſpeculativo, operari liceat.

Quid Conſcientia propriè ſcrupuloſa?

Eſt inanis & anxia ſuſpicio peccati, ubi nihil eſt. Si enim intellectus firmiter judicet, aliquid eſſe vel non eſſe peccatum, eſt conſcientia certa, eáque recta vel erronea; Si opinetur, eſt probabilis; Si dubitet, eſt dubia; Si habito judicio, non eſſe peccatum, tamen ex nullo vel inani motivo anxiè formidet, eſſe peccatum, eſt ſcrupuloſa.

An liceat agere contra Conſcientiam ſcrupuloſam?

Licet: *quia talis agit contra inanem formidinem, ſequendo judicium firmum vel ſuum vel Confeſſarii.* Tutiſſimum tamen eſt, talem conſcientiam deponere, innitendo firmo prudentum judicio.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Dubius peccat 1. Si operetur in dubio practico; peccatum autem eſt M. vel V. & ejusdem ſpeciei, quale & cujus ſpeciei eſt illud, de quo dubitatur. 2. Si eligens partem minùs tutam ſe quidem reſolvat, ſed obiter. 3. Si non, aut minùs, quàm debet, inquirat de rei veritate ad Dubium ſpeculativum vincendum. *Quid ſi invincibile?* Formanda eſt conſcientia practicè certa. *Quid ſi non poſſit?* Tutior pars eſt eligenda.

Coroll. 2.

Coroll. 2. Ad deponendum dubium practicum, manente speculativo, Tituli sunt: Praxis communis timoratorum, consilium viri prudentis & potissimum justa possessio, juxta *Regul. Juris 6.* In pari causa melior est conditio possidentis. *At pro quo stat possessio extra materiam Justitiæ?* Accipe *seqq. Regulas:* 1. In dubio juris de legis existentiâ, promulgatione, vero sensu, vel transgressione fundante legem, homo manet in possessione libertatis suæ. Hinc dubitans invincibiliter: an sit jejunium, festum &c. an fecerit votum, juramentum &c. ad nihil horum tenetur. Dubitans an irregularitatem (nisi sit ex homicidio dubio *c. ad audient. de homicidio*) censuram vel pœnam incurrerit, non censetur incurrisse. 2. In dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis: *quia est lex certa, libertas dubia.* Hinc dubitans: an votum impleverit, validè voverit, an hic & nunc excusetur à lege &c. manet obligatus, nemine contradicente. Certus de debito & dubius de solutione, tenetur solvere, nisi etiam creditor dubitet; tunc enim juxta Sanch. obligatur adhuc ad integram solutionem, juxta Tanner. ad nullam, juxta Laym. ad partem & probabiliùs, apud Sporer *num. 85.* 3. In dubio, an tempus obligationis inchoaverit, homo est in possessione suæ libertatis; in dubio autem, an tempus obligationis sit finitum, lex manet in possessione obligationis. Hinc dubius de auditâ 12. Noctis die Jovis potest comedere carnes,

non

non die Sabbathi. Dubius, an compleverit annum 21. ætatis, tenetur abſtinere à ſuſcipiendis Ss. Ordinibus, non verò jejunare. 4. In dubio de quantitate obligationis contractæ conſcientia formanda eſt *ex Reg. 15. in 6.* Odia reſtringi & favores convenit ampliari. Hinc dubius, an vovendo religionem intenderit ſtrictiorem, ingredi poteſt minùs ſtrictam, Sporer.

Coroll. 3. Confeſſarius ſcrupuloſi notet ſequentia: 1. Attendat, an ſit verè ſcrupuloſus. *Sed quando eſt?* Si inaniter dubitet, ſæpè interroget; timeat, ubi timoratis non eſt timor; reſolutione acceptâ, non aut vix acquieſcat; confeſſiones anxiè repetat &c. 2. Sit patiens, blandus, quandóque auſterus. 3. Reſponſionibus rationem non addat, niſi ſit manifeſta; minùs cum ſcrupuloſo diſputet. 4. Judicium formet ex ipſâ natura rei, non ſcrupuloſi narratione. 5. Non permittat iterare confeſſionem eorundem peccatorum; necunquam det abſolutionem, ſi pœnitens meros adferat ſcrupulos, ſed à ſe ad celebrandum vel communicandum repellat. 6. Doceat de remedia contra ſcrupulos, quæ ſunt: ut per occupationes ſcrupulis occludat aditum; eundem ſervet confeſſarium; non judicet eſſe peccatum, niſi certò ſciat; dubium & opinionem peccati contemnat velùt ſcrupulum, inſiſtens per omnem modum reſolutioni confeſſarii, aliàs peccaturus ex conſcientiâ erroneâ. de his Roſella.

TRACTATUS XI.
De Legibus.
CAPUT I.
De Lege in communi.

Quid lex? quomodo obliget? quotuplex?

LEx est constans & recta agendorum vel omittendorum regula. Ut obliget actualiter, requiritur promulgatio, non acceptatio. *Quia legislator non vult legem obligare sinè promulgatione, potest velle sinè acceptatione.* Lex dividitur in *naturalem*, quæ indita à natura, & *positivam*, quæ posita à Legislatore. Positiva in *divinam* & *humanam*: hæc est immediatè ab homine, illa à Deo, quæ si idem præcipiat ac naturalis, dicitur *divina naturalis*; aliàs simpliciter, *positiva*, estque tum vetus tum nova; humana in *Ecclesiasticam* & *civilem*, utraque in affirmativam & negativam; de omnibus infrà.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Lex positiva formaliter consistit in actu voluntatis, quò Legislator vult obligare. Scot. *1. d. 44. n. 3.* De ratione ejus est: ut sit justa, de se stabilis, à potestate legitima, in bonum communitatis, eámque obliget. *Comm.*

Coroll. 2. Lex non obligat: Si non promulgata, si moraliter impossibilis, vel dubia, vel certò injusta. Etenim si lex sit dubia, possessio est

eſt pro libertate ſubditorum, ſi probabiliter injuſta, præſumptio eſt pro juſtitia legis. Andr. à M. D. & alii *commun.*

CAPUT II.

De Lege æterna & naturali.

Quid Lex æterna & naturalis?

LEx æterna eſt regula practica neceſſariæ & æternæ veritatis, v. gr. Deus eſt colendus; cuíque tribuendum, quod ſuum &c. ut in Deo eſt ſcilicet ſubjectivè, dicitur Divina naturalis; eſtque actus divinæ voluntatis, quo legem æternam à creaturis vult ſervari. Ut in nobis ſcilicet objectivè, dicitur naturalis, eſtque præfata regula practica, in rebus ipſis fundata, per dictamen rationis nota, obligans independenter ab omni præcepto poſitivo.

Quos obliget Lex naturalis? An diſpenſabilis?

Lex naturalis indeſinenter quidem omnes obligat creaturas; de abſoluta tamen potentia ſua Deus diſpenſat in quibusdam præceptis naturalibus, v. gr. ſecundæ tabulæ Decalogi, excepto octavo; creatura in nullo. Scot. *3. d. 37. n. 3.* Hinc S. Bern. *de Diſp. & Præcept. c. 3.* Non occides, non mœchaberis, non furtum facies & reliqua illius tabulæ ſcita, quæ etſi nullam humanam diſpenſationem admittant, Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, ſolvit.

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Lex naturalis versatur 1. Circa principia universalia practica, v. gr. Declina à malo & fac bonum. Deus est colendus, nulli facienda injuria &c. Et horum à nullo prætendi potest ignorantia. 2. Circa illa, quæ ex præfatis principiis evidenter deducuntur, v. gr. non est mentiendum, occidendum, furandum &c. Et horum accedente circumstantiâ apparenter bonâ, ignorantia dari potest in rudibus, v. gr. putantibus licitum mentiri ob necessitatem, furari ad dandum pauperi. 3. Circa illa, quæ principiis naturalibus sunt consona non ita clarè, v. gr. quod illicitum sit lucrum ex mutuo, illicita pollutio etsi ad vitæ conservationem unicè necessaria &c. Et horum ignorantia dari potest in Emunctioribus, ut ipsi fatentur.

Coroll. 2. Odium Dei, idololatria, blasphemia, negatio fidei, perjurium, mendacium, in nullis circumstantiis sunt licita; non ita est de homicidio etiam innocentis, fornicatione, & furto quæ licent ex dispensatione divina, quam habuit Abraham ad immolandum filium, Osëe ad faciendum filios fornicationis, Israëlitæ ad surripienda vasa Ægyptiorum.

Coroll. 3. Quod est de jure naturæ positivè & propriè, quatenus natura illud præcipit, aut vetat, semper obligat & ubique, nulla subsistente Epikeiâ. Quod verò de jure naturæ negativè & impropriè, quatenus lex naturæ id non præcipit, nec inducit contrarium, potest mutari: Sic matrimo-

monium clandestinum, quod negativè validum de jure naturæ, est positivè invalidum de jure positivo; communitas rerum permissa jure naturali, est sublata jure gentium. Est autem jus gentium, quod ex consensu populorum constitutum, illis omnibus aut ferè omnibus est commune.

CAPUT III.

De Lege divina, veteri & nova.

Lex vetus quæ, à quo, ad quos, quamdiu?

LEx vetus seu Mosaica (continens præcepta moralia, Cæremonialia, & judicialia) data est à Deo per Moysen in monte Sinai; obligavit solum populum Judæorum, & quidem ex genere suo sub culpa M. est à Christo abrogata; exspiravit autem non in morte ejus, sed post à promulgatione legis novæ facta Jerosolymis in die Pentecostes; quâ factâ legalium observatio fuit inutilis, non statim mortifera, ut modo est. S. Bonav. *4. d. 3. q. 2.*

Lex nova quæ & qualis?

Lex nova seu Evangelica (continens præcepta Sacramentalia, fidei & moralia) hodiè obligat omnes homines, & obligabit usque ad consummationem sæculi. *Trid. Seff. 6. can. 21.* Dispensabilis est per solum Deum. D. Thom. apud Merzg. Scot. *4. d. 25. q. 3.* Cadere potest in eam Epikeïa, declarando, legem in re admodum difficili, modò non sit essentialiter mala, non obli-

obligare: quia Deus non censetur obligare ad moraliter impossibile. Marchant.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Gentiles obligati fuerunt ad præcepta moralia quatenus juris naturalis; ea servando, & contra Originale applicando remedium legis naturæ, potuerunt salvari extra Synagogam; potuerunt etiam se aggregare populo Judæorum recipiendo circumcisionem, quâ receptâ dicebantur Proselythi, & debitores erant universæ legis faciendæ. *Galat. 5.*

Coroll. 2. In lege merè divinâ nequit dispensare potestas humana, nequidem Pontificia. *Commun.* contra Sanchez. Quia inferior non dispensat validè in lege Superioris, nisi ab eo concedatur; Deus autem nullibi concessit; *nam ad quid?* Dans legem, infinitâ suâ scientiâ penetravit omnes casus particulares, adeóque vel vult legis obligationem se extendere ad talem casum, vel non vult? Si vult, non valet dispensatio: Si non vult, ad quid dispensatio? *Sed Summus Pontifex dispensat in voto, in matrimonio rato?* ℞. Lex divina implendi votum supponit actum voluntatis humanæ voventis, hæc autem subjacet Summo Pontifici tanquam Supremo Pastori, quo justa ex causa aliter ordinante cessat obligatio legis. Marchant. *Tom. 2. tr. 1. q. 3.*

CAPUT IV.

De obligatione Legis humanæ.

An Lex humana obliget in Conscientia?

DAtur potestas legislativa humana, etiam pro foro conscientiæ, tum Ecclesiastica, tum civilis. *Rom. 13.* Subditi estote . . etiam propter conscientiam. *Et versu 2.* Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Quos actus & qualiter præcipiat Lex humana? quos obliget?

Lex humana præcipit actum honestum, non tamen ut exerceatur ex motivo honestatis, vel ex scientia præcepti, aut voluntate illud implendi. Herinx *ex commun.* Actus purè internos nequit ulla lex humana directè præcipere aut prohibere quoad vim coactivam. *Omnes.* Probabiliùs tamen id potest Ecclesiastica, quoad vim directivam. Medina, Rosella, aliique apud Henr. Leges obligant juxta mentem Legislatoris & capacitatem materiæ suos respectivè subditos: Ecclesiasticæ solos Baptizatos, Legislatorem solùm quoad vim directivam, Subditos etiam quoad coactivam. Hi enim cogi possunt in foro fori, non Legislator; non Baptizati autem sunt extra Ecclesiam, ejúsque jurisdictionem. *Commun. TT.*

 COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Subditi tenentur lege; etsi Legislator sit discolus, hæreticus, vel infidelis. *ex 1. Petri 2.* Etsi mortuus: quia lex stabilis, secus est de præcepto. Hæretici tenentur legibus Ecclesiasticis: *quia per Baptismum subduntur Ecclesiæ.* Non tenentur iis infantes, & perpetuò amentes; his licitè dantur carnes in quadrag. non licitè inducuntur ad actum à natura prohibitum, v. gr. pollutionem.

Coroll. 2. Clerici tenentur indirectè & quoad vim directivam legibus Reipubl. solùm iis: quæ pro bono publico sunt & Clericis & Laicis communes, v. gr. præscribentes pretia rebus, modum ædificiis, formam contractibus. Religiosi exempti regulariter non tenentur ad ordinationes Synod. Episcopor. Roderiq. *Tr. 2. q. 16.* Ad festa, interdicta & quasdam correctiones tenentur *ex Trid. Sess. 25. c. 12.*

Coroll. 3. Non tenetur peregrinus legibus sui Territorii, *ex c. 1. de constit. in 6.* etiam exiens ex proposito se eximendi. Sanch. Quia utitur suo jure. Existentes tamen in terris infidelium tenentur ad Quadragesimam: *Quia obligat Catholicos ubique.* Tenetur peregrinus legibus Territorii, in quo est: Gonet, Her. & alii contra varios, qui volunt peregrinantes teneri legibus proprii Territorii: *Quia leges immediatè afficiunt Territorium*, adeoque existentes in eo, si legis sint capaces, & illi servandæ moram proportionatam trahant.

Coroll. 4. Vagi tenentur legibus locorum, per quæ transeunt, aliàs essent exleges. Alicubi figentes Domicilium, aut habentes quasi domicilium, ut studiosi, famuli, opifices peregrinantes tenentur legibus talis loci, ibíque sortiuntur forum.

Coroll. 5. Lex humana in materia gravi ordinariè obligat graviter; leviter, si ita velit Legislator. In materia undequaque levi non obligat graviter, etsi velit Legislator: *quia talis obligationis est incapax.* Planè non obligat, quando ex ejus observatione imminet periculum mortis vel gravis damni; excipe: nisi violatio legis cedat in scandalum vel contemptum Religionis; aut vita subditi meritò exponatur pro bono Reipubl. Sic exponuntur milites in bello, Medici & Sacerdotes tempore pestis. Metzg. *pag. 323.*

Coroll. 6. Subditus tenetur tollere aut non ponere, quæ vel ex natura rei vel proximè moraliter legis executionem impediunt; non verò omnia impedientia. Primum, non secundum, teste praxi, vult Legislator. Hinc, licet ex causa honesta venari, itinerari, laborare, etsi inde servari nequeat jejunium; potest aliquis ex motivo rationabili die Veneris aut Sabbathi summo manè discedere, etsi in Dominica non sit habiturus sacrum. *DD. commun.*

Coroll. 7. Lex affirmativa non impletur, nisi per actum humanum; unde recitans Horas in ebrietate non satisfacit. Secus est de lege negati-

gativa; unde servat jejunium, qui dormit de die in diem: *Quia affirmativa præcipit actum humanum*, non verò negativa similem omissionem.

Coroll. 8. Legi v. gr. de audiendo sacro satisfacit: 1. Qui audit ex fine malo: modò sit vera & moralis auditio sacri. 2. Qui audit ignorans, esse festum. 3. Qui audit, sed non intendit satisfacere. 4. Qui audit, & positivè non vult satisfacere; peccat tamen actu interno. Quodsi nolit satisfacere per hoc sacrum, auditurus summum, non tenetur illud audire; modò desistat ab animo non implendi legem per prius sacrum. Non sic omninò est de voto: Qui vovit Rosarium, recitans illud voti immemor satisfacit; recitans verò cum animo vel tunc, vel planè non implendi votum, non implet, sed denuò recitare tenetur; sicut qui alteri debet 10. Flor. dans 10. gratìs, non solvit debitum. Sporer *num. 45. & seq.* 5. Satisfacit, qui sub sacro legit Horas, implet pœnitentiam, Sicque pluribus actibus eodem tempore pluribus satisfacit præceptis; imò unico actu pluribus satisfacere potest obligationibus, si cadant supra eandem materiam: Sic plura habens beneficia satisfacit unâ lectione Horarum, habens votum jejunandi in Quadrag. satisfacit uno jejunio. Sporer *citat.*

Coroll. 9. Lex præcipiens orationem, indirectè præcipit attentionem, etiam internam; præcipiens contractum, juramentum &c. præcipit indirectè intentionem contrahendi, juran-

randi &c. Et sic de aliis actibus internis, qui externo annexi, & sine quibus externus nequit subsistere.

Coroll. 10. Lex merè pœnalis non obligat sub peccato, nisi indirectè scilicet ad pœnam acceptandam: Si latæ sit sententiæ, pœna ordinariè incurritur ipso facto. Invincibilis ignorantia legis excusat à pœna, secus vincibilis. Ignorantia solius pœnæ non excusat à pœna, nisi sit Censura Ecclesiastica, ut infra. Nulla ignorantia impedit effectum legis irritantis; quæ, si simul sit prohibens, obligat in conscientia. *DD. commun.*

CAPUT V.

De mutatione Legis.

An Lex humana mutari possit & cessare?

POtest 1. *Cessatione finis*: Si cesset adæquatus & universaliter, *Omnes.* Non verò si solùm respectu alicujus in particulari: contra Dian. Ratio est? *quia cessante legis fine adæquate & universaliter, cessat ratio obligandi; non cessat, cessante fine particulari, vel respectu alicujus in particulari.* 2. *Interpretatione*, explicando sensum legis; quod ad talem casum se non extendat. Et *Epikēia*, explicando mentem Legislatoris, quod in tali casu nolit obligare. Interpretari possunt Legislator, consuetudo, & viri docti. 3. *Consuetudine*: quæ potest legem interpretari; Si hoc vel illo modo communiter servetur; veterem abrogare,

gare, si planè non ampliùs servetur; novam instituere, si inducatur à majori parte communitatis, & cum voluntate se obligandi, accedente saltem tacito Principis consensu. 4. *Ab* - vel *derogatione*; Si eam totaliter vel partialiter tollat Legislator. 5. *Dispensatione*: Si persona quædam, etiam ficta, v. gr. monasterium, sodalitas &c. ab habente potestatem vel ordinariam vel delegatam eximatur; aliàs obligata. *Commun. DD.* Potestas ordinaria dispensandi competit illis, qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo, ut sunt Papa, Episcopi, Vicarii generales, Prælati Regulares.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccant 1. Legens librum hæreticum, etsi respectu illius non sit periculum perversionis. 2. Legem interpretantes, aut Epikeîa utentes, non ut oportet. 3. Insistentes consuetudini, quæ semper corruptela, contra legem divinam. 4. Introducentes consuetudinem contra legem humanam, sed non peccant bonâ fide eam prosequentes. 5. Legislator suam aut inferioris legem abrogans sine justa causa.

Coroll. 2. Dispensatio est illicita: 1. Si dispensans aliquid acceptet, nisi per modum mulctæ ad pios usus, aut pro labore extrinseco. 2. Si Legislator, aut ejus Superior dispenset sine justa causa; est tamen valida.

Coroll. 3. Invalida est dispensatio 1. Si inferior dispenset in lege Superioris; non habitâ ad hoc facultate, aut habitâ dispenset sinè justa causa, saltem putatâ. Inferior habens jurisdictionem in foro externo vel Privilegium, dispensat in lege Pontificis circa levia, circa frequenter occurrentia, & quando periculum est in mora vel difficilis ad Pontificem accessus. Si causa certò excuset, superfluit dispensatio. 2. Si obtenta sit ex causa falsa, quæ bona fide allegata. 3. Si sit sub- vel obreptitia; ut si petens tacuerit verum, quo cognito Superior non dispensâsset; vel expresserit falsum, quod fuit dispensandi causa finalis. *ex c. fin. de Filiis Presb. in 6.* Valet tamen, si ex pluribus causis in Rescripto positis verificetur finalis. De modo recurrendi ad Pœnitentiariam Romanam. Vide la Croix *l. 1. num. 796.* Reiffenstuel post *lib. 4. Decret.*

Coroll. 4. Non cessat dispensatio per mortem dispensantis, nisi ad hanc fuerit restricta; cessat tamen cessante causâ dispensationis temporaneâ, v. gr. cessante infirmitate cessat dispensatio comedendi carnes, omittendi Horas &c.

CAPUT VI.
De Privilegiis.

Quidditas: Privilegium est lex privata contra vel præter jus aliquid concedens. *c. Abbate. de V. S.* Lex est: quia ligat, non privilegiatum ad privilegio utendum, sed alios indirectè

ad non obsistendum. Privata est: *quia beneficium concedit & particulare v. gr. exemptionem fori, & particularibus v. gr. Clericis, ut sunt pars communitatis.*

Divisio: Dividitur 1. In reale & personale: Primum conceditur intuitu rei, loci vel officii; Secundum personæ individuæ ut tali. Personale exspirat cum personâ; reale transit ad omnes, apud quos officium vel res privilegiata. 2. In gratiosum & remuneratorium. 3. In perpetuum & temporale. 4. In scriptum & vivæ vocis oraculum. 5. In commune, quod conceditur pluribus, v. gr. Privilegium fori Clericis; & in privatum, quod uni.

Communicatio: Ordines mendicantes inter se & cum non mendicantibus plenissimam habent communicationem privilegiorum concessorum & concedendorum etiam Societati JEsu cum clausulâ communicationem prohibente. Reiffenst. *l. 5. f. 470.* ex variis *SS. Pont. Constit.* Signanter Clemens VII. Ordini nostro communicavit, & Clemens VIII. Bullâ: Ratio Pastoralis. Pro eodem innovavit & confirmavit omnia privilegia quibusvis Ordinibus mendicantibus & non mendicantibus quomodolibet concessa, non obstantibus quibusvis clausulis. Hæc communicatio currit de Prælatis ad Prælatos, de Fratribus ad Fratres &c. ut quod concessum Generali, aliisque Superioribus, & Fratribus unius Ordinis, concessum sit iisdem alterius. *ex Constit. Julii II.* apud Reiffenst. *citat.* Privilegium tamen concessum uni Religioso privato non communica-

nicatur aliis; idem est de indultis & indulgentiis uni loco concessis ob rationem specialem, vel in honorem alicujus Sancti. Metzg. *de Privileg. num. 13.*

Revocatio: In Concilio Trid. expressè revocata sunt omnia & sola Regularium privilegia, quæ sunt contraria alicui *ex Decretis Sess. 25. de Regular.* vel etiam alicui priorum Sessionum decreto cum clausulâ posito. *commun. DD.* Reliqua verò, quæ contraria alicui decreto sine clausulâ derogatoriâ; ne tacitè sunt revocata. Reiffenst. *citat. num. 139.* contra Donat. Peyrin. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa usque ad Urban. VIII. ab eodem *constit. Alias felicis recordat.* Pro utroque foro sunt revocata; exceptis iis, quæ per Officiales & Ministros, quibus competit, sunt authentisata, & videri possunt in nostro compendio *Privil. auth.* Hieron. à Sorbo signata *lit. maj. O.* Unde vivæ vocis oracula post Urbanum VIII. concessa & concedenda manserunt intacta; valent pro foro interno, si constet, quod fuerint concessa; valent etiam pro foro externo, si habeatur testimonium ad probandum in foro externo sufficiens. Reiffenst. *citat. num. 163.*

Cessatio: Privilegium cessat 1. Si quis mutet statum vel amittat officium, cui privilegium est annexum; nam pereunte re perit, eâ reparatâ reviviscit reale. 2. Cessante conditione sub quâ, exspirante tempore ad quod, vel actu peracto, ad quem est concessum. 3. Cessante to-

taliter causâ finali motivâ. 4. Per renunciationem privilegiati, si in privati favorem privilegium sit concessum; non verò per mortem privilegiantis vel ejus amotionem ab officio, nisi sit ad hanc vel illam limitatum. 5. Per abusum privilegiati; ordinariè tamen non ipso facto. 6. Privilegia onerosa, seu concessa cum onere aliorum, amittuntur per non usum aut usum contrarium; & hoc vel viâ præscriptionis, vel tacitæ renunciationis. Privilegia, quæ meræ gratiæ, sivè sint affirmativa, v. gr. indulgentiæ, sivè negativa, v. gr. non jejunandi, non amittuntur per non usum. Reiffenst. *citat.* Metzg. *d.* 38.



TRACTATUS XII.

De Peccatis.

CAPUT I.

De Peccatis in genere.

Q*Uidditas Peccati*: Est dictum, factum vel concupitum contra legem æternam. *S. Aug. l.* 22. contra Faust. *c.* 27. Ubi peccata omissionis comprehenduntur reductivè; peccata verò contra legem Ecclesiasticam sunt contra legem Dei æternam mediatè, quatenùs ab ea omnis Lex.

Divisio: Dividitur in actuale & habituale; originale & personale; proprium & alienum; in

pec-

peccata cordis, oris, operis; commiſſionis & omiſſionis; ex paſſione, ignorantia & malitia: de quibus alibi.

Cauſa peccati: Eſt ſola voluntas creata, Deo permittente, & incitantibus mundo, carne, diabolo. Effectus ſunt corruptio naturæ, quâ hebetatur intellectus, induratur voluntas &c. reatus pœnæ, & variæ quandoque obligationes.

Diſtinctio peccatorum; Specifica ab intrinſeco ſumitur ex diverſis ſpecie rectitudinibus, quarum ſunt privationes; ab extrinſeco ſumitur ex legibus formaliter diverſis, quarum ſunt tranſgreſſiones. Diſtinctio & multiplicatio numerica accidit, quando idem phyſicè actus privat pluribus numero rectitudinibus, aut idem ſpecie actus moraliter interrumpitur & renovatur.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Sunt peccata ſpecie diſtincta 1. Furtum, fornicatio, mendacium, & ſimilia, quæ & quia opponuntur diverſis ſpecie virtutibus. 2. Sacrilegium, Superſtitio, Simonia, Perjurium &c. quia opponuntur eidem quidem virtuti Religionis, ſub diverſa tamen ratione formali. Idem eſt de homicidio, adulterio, detractione, furto, rapina & aliis peccatis contra juſtitiam.

Coroll. 2. Non ſunt peccata ſpecie diſtincta, quæ contra præcepta diverſa materialiter tantùm utpote data ſub eodem motivo. Hinc non committit plura peccata: 1. Qui negligit ſacrum

ſacrum die Feſto incidente in Dominicam, qui non jejunat Vigilia concurrente cum feria 4. tempor. 3. Franciſcanus non jejunans feriâ ſextâ in Quadrag. quia præcepta Regulæ ſuæ non obligant ut vota. AA. Ordinis contra Vaſq Gonet. 4. Qui omittit Horas, obligatus ratione Ordinis & Beneficii.

Coroll. 3. Unico actu plura committit peccata, qui plures odio habet, pluribus detrahit, dat ſcandalum &c. Si actus tendat in plura moraliter objecta; Secus ſi tendat in ea per modum unius, ut habent connexionem: Sic unum peccatum eſt, uno actu detrahere monaſterio, omittere omnes Horas, nolle ſervare jejunium Quadrageſimale; eſt tamen pluribus æquivalens.

Coroll. 4. Actiones phyſicè plures ſunt unum numero peccatum: 1. Si una cenſeantur actio in genere moris. Hinc unum committit peccatum, qui plura eidem dat verbera, plures effutit maledictiones, pluries eidem apud eundem detrahit &c. 2. Si referantur ad conſummationem ejusdem peccati. Hinc qui ad fornicandum impudica habet verba, oſcula, tactus, unum committit peccatum fornicationis. Qui verò ſucceſſivè fornicatur, aut ſe polluit bis, ter &c. tot committit peccata: *quia qualibet fornicatio aut pollutio eſt opus conſummatum & una non ordinatur ad aliam.*

Coroll. 5. Ob interruptionem moralem peccat toties, quoties: qui priorem voluntatem: v. gr. fornicandi retractat, eamque reſumit;

qui voluntariè cessat à delectatione morosa, odio &c. atque redit in idipsum. E contra ob interruptionem solùm physicam unum committit peccatum: qui comedens carnes in jejunio parum surgit, postea continuaturus, qui conficit iter aliquot dierum ad furandum; qui cessat ab odio involuntariè, utpote per distractionem, vel somnum & postea resumit: *quia actus moraliter unus*.

CAPUT II.

De Actuali & Habituali.

PEccatum actuale, quod est vel com- vel omissionis, est actio vel omissio de præsenti, voluntaria contra legem. Formaliter consistit in privatione rectitudinis à lege intentæ. Scot. *2. d. 37. q. 1.* Unde Aug. *tract. 1. in Joan.* Peccatum nihil est. Greg. Nis. Vitium est improbitas in boni privatione suam habens formam. Peccatum habituale est eadem actio vel omissio, ut moraliter perseverans, donec remittatur. Dupasq. ex Scot. *4. d. 50. q. 6.* Quia sicut homo à peccato physicè existente dicitur peccator actualiter, ita ab eodem moraliter perseverante dicitur peccator habitualiter.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Omissio præcepti est peccaminosa in se, si voluntaria sit in se; peccaminosa

nosa in sola causa, si in causa voluntaria. Hinc propinans venenum fit reus homicidii eo instanti, quo propinat, non quo sequitur mors; pœnas tamen fori externi non incurrit, nisi morte secutâ. Voluntariè infirmato imputantur omnes prævisæ præceptorum omissiones. Se committens somno cum periculo omittendi Horas, si adhuc recitet, non peccat in effectu omissionis, tamen in affectu.

Coroll. 2. Peccatum habituale non consistit formaliter in privatione gratiæ: *quia non omne peccatum, puta non veniale, nec mortale necessitate absolutâ causat eam.* Neque consistit in obligatione passiva seu condignitate ad pœnam: 1. *Quia hæc non est peccatum moraliter perseverans*, sed in eo fundatur ut effectus; estque reatus pœnæ, non culpæ; nam reatus pœnæ, etiam ut respicit culpam ex qua, non est formaliter reatus culpæ; peccatum autem habituale non importat solum reatum pœnæ, ut voluit Mich. Bajus, & damnavit Pius V. Sed culpam. Peccatum habituale M. totum remittitur per pœnitentiam; non semper tota obligatio ad pœnam: quia sæpè, ut definit *Trid. Sess. 6. Can. 30.* remanet reatus pœnæ temporalis. Nota: *Remanet*, ergò ante fuit; Sed is non fuit reatus culpæ, aliàs hic maneret, sícque Mortale transiret in Veniale, quod dixerit nemo.

CAPUT

CAPUT III.
De Mortali & Veniali.

Quid Peccatum Mortale? quid Veniale?

PEccata sunt inæqualia: quædam de se sunt mortalia, quædam venialia. *De Fide.* Mortale est transgressio præcepti graviter obligantis; Veniale est transgressio vel minùs voluntaria præcepti graviter obligantis, vel perfectè voluntaria præcepti leviter obligantis. Henno.

Quinam sint effectus Peccatorum?

Mortale infert mortem animæ & reatum pœnæ æternæ. *De Fide.* Non tamen in ratione offensæ est simpliciter & intrinsecè infinitæ malitiæ. Scot. contra Thomist. Quia Deus magis offenditur per unum peccatum mortale, v. gr. blasphemiam, quàm per aliud, v. gr. furtum. Veniale non solvit amicitiam cum Deo, nec pœnam causat æternam, sed tantùm temporalem. *De Fide.* Etiam in damnatis, contra Thomist. quia pœnam æternam non meretur. Esse potest cum solo originali, contra eosdem: quia adultus ante baptismum & contritionem peccare potest priùs venialiter, quàm mortaliter.

An veniale fieri possit mortale?

Potest per accidens, sic ut aliàs veniale fiat mortale ratione finis, scandali, conscientiæ erroneæ &c. Non tamen venialia præcisè ut multiplicata, ascendere possunt ad mortale. *commun.*

Quia

Quia multiplicare peccatum veniale, non est peccatum mortale: mille mendacia jocosa manent mille peccata venialia; Si verò venialia moralem habeant connexionem ratione materiæ concrescentis, vel ratione damni causati, tandem efficiunt mortale, ùt infra.

Quid requiratur ad mortale?

Ad mortale committendum requiritur ex parte intellectûs perfecta advertentia gravis malitiæ, ex parte voluntatis perfectus consensus, ex parte objecti gravitas materiæ. *Omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccata cæteris paribus sunt graviora, quæ intrinsecè mala; sic peccatum gravius est fornicatio, quàm comestio carnis prohibita. Inter intrinsecè mala sunt graviora, quæ contra Deum, ut blasphemia, hæresis, perjurium &c. Deinde quæ nobiliori opponuntur virtuti. Inter peccata contra hominem sunt graviora, quæ meliori privant bono, sic gravius est homicidium, quàm detractio, furtum &c. Inter peccata contra legem positivam sunt graviora, quæ adversantur præcepto majoris momenti.

Coroll. 2. Peccatum dignoscitur esse mortale 1. Si contra Decalogum, vel Præcepta Ecclesiæ in materia gravi. 2. Si contra proximum, graviter lædat charitatem vel justitiam in bonis animæ, corporis, famæ aut fortunæ. 3. Si contra seipsum cum gravi corporis vel animæ nocu-

mento. 4. Si impoſita ſit pœna gravis, v. gr. gehennæ, mortis, maledictionis, cenſuræ. 5. Si ita communiter ſentiant T. T. & timorati.

Coroll. 3. Peccatum aliàs veniale fit per accidens mortale. 1. Ratione affectûs nimii; ut ſi ludens malis omittere Horas, quàm luſum. 2. Ratione ſcandali, conſcientiæ erroneæ vel gravis detrimenti, ut ſi jocosè proferas verba turpia cum ſcandalo, vel putes ea eſſe P. M. vel inde ſequantur rixæ, odia &c. 3. Ratione periculi, ut ſi leviter excedas in potu, prævidens fornicationem, omiſſionem Horarum &c. 4. Ratione contemptûs formalis, ut ſi ſtatutum violes ex illius ut ſtatuti, vel præcipientis ut præcipientis contemptu. 5. Ratione finis, ut ſi leviter mentiaris ad carnalem copulam extorquendam. Ubi nota, mendacium non eſſe P. M. diſtinctum à copula, quam proinde ſufficit confiteri, & ſic de aliis.

Coroll. 4. Peccata V. diſparata multiplicando non peccant mortaliter: 1. Opifex per annum in feſtis unâ horâ laborans, per Quadrageſimam quotidie ſumens modicum extra refectionem, quotidie parum omittens in horis; imò ſic laborare, ſumere, omittere intendens. *At Cajus vult omittere omnia Venialia, quæ occurrunt, & ſola vitare M.?* Excuſant à M. Granado, Tambur. non verò Sanch. Laym. eo quod ſe exponat periculo P. M. Horum ſententia cum Baſſæo *n. 8.* eſt tenenda de Religioſo, nolente ſervare ſtatuta, vel præcepta Superioris, niſi obli-

gent

gent ſub M. 2. Qui vovit quotidie orare tria Pater & Ave, & toto anno omittit, vel vovit quotidie bazium in eleemoſynam & dat medium: modò eleemoſyna (idem eſt de oratione) cujuslibet diei ſit eidem affixa; & non omnes per modum unius intentæ. 3. Qui ex voto tenetur ad Roſarium, Miſſam, jejunium, eleemoſynam &c. & ex ſingulis omittit modicum. 4. Qui plures inducit, ut modicè frangant jejunium, modicè laborent in feſto &c.

Coroll. 5. Peccata V. inter ſe ratione materiæ concreſcentis, vel effectûs connexa multiplicando peccat mortaliter: qui ſæpe in officio ejusdem diei parum voluntariè diſtractus, vel in die jejunii ſæpe parum comedit, vel in feſto per modica intervalla laborat, vel plura committit furta minuta, vel menſuras & pondera modicè falſificat, vino miſcet aquam &c. quando pervenit ad materiam notabilem. *Sed Cajus in furtis minutis ſæpiſſimè repetitis judicavit ſemper, ſe peccare venialiter?* ℞. Non peccavit mortaliter auferendo, poſtea tamen advertens materiam ablatam eſſe notabilem (niſi ſtatim proponat reſtituere) peccat M. injuſtè detinendo. Sanch. *Moral. c. 21.*

Coroll. 6. Peccatum ex genere ſuo M. fit V. 1. Ex conſcientia erronea, ut ſi putes perjurium in re levi eſſe V. 2. Ex cauſa excuſante à tanto, non toto: ut ſi feceris ex ignorantia, neceſſitate, metu, non omnino excuſantibus. 3. Ex imperfectione actûs: ut ſi non adfuerit

perfecta deliberatio, aut non plenus consensus. 4. Ex parvitate materiæ: ut si parum furatus. Sed

Quæres 1. Quæ sint signa deliberationis imperfectæ? ℞. Hæc sunt: 1. Si tenuiter & quasi semidormiens apprehendisti, aliquid esse malum. 2. Si verè semidormiens vel semiebrius fuisti. 3. Si vehementi passione, distractione turbatus fuisti. 4. Si post factum rem meliùs considerans judices, te omnino non fecisse; Si ita cognovisses, si plene tibi præsens, si mente serenâ fuisses.

Q. 2. Quæ sint signa consensûs imperfecti vel nullius? ℞. Hæc sunt: 1. Si facilè potuisti peccatum exequi, & non es executus. 2. Si advertens cogitationes pravas vel motus, statim sentis dolorem, aversionem &c. 3. Si sæpe soleas protestari contra tale peccatum. 4. Si timoratæ sis conscientiæ & non soleas consentire in ejusmodi peccatum.

Q. 3. Quid de consensu conditionato? ℞. Sufficit ad peccatum M. si conditio non præscindat omnem malitiam, secus si præscindat. Hinc peccat M. dicens: vellem furari, si non esset patibulum; fornicari, si non essem conjugatus; apostatare, si scirem quorsum. Qui dicit: *Si non essem Religiosus, fornicarer;* non committit sacrilegium, peccat tamen desiderio fornicationis. Qui de ipsa fornicatione delectans dicit: fornicarer, si esset licitum: peccat, non desiderio, sed delectatione; secus, si delectans de comestione carnis secundùm se in die jejunii dicat: comederem,

derem, si liceret: *quia comestio carnis secundùm se est licita, non fornicatio.* 2. Non peccat dicens: Si non essem Sacerdos, inirem matrimonium; Si non esset præceptum, omitterem sacrum: *quia præscinditur malitia.*

Q. 4. In quibus non detur parvitas materiæ excusans à M.? ℞. In omnibus, in quibus reperitur gravis malitia, sive materia parva sit sive magna. Hinc non datur 1. In peccatis contra virtutes Theolog. fidem, spem, charitatem. 2. In superstitionibus. 3. In blasphemia formali. 4. In perjurio assertorio. 5. In sacrilegio carnali & plerisque realibus, v. gr. in Simonia saltem juris divini, in irritatione Sacramentorum, in fractione Sigilli Sacri, in jejunio naturali ante Eucharistiam. 6. In homicidio, & vix non in mutilatione. 7. In peccatis carnalibus, etiam delectatione venerea per aspectus, tactus, oscula &c. directè intentâ. 8. In tempore requisito ad Sacros Ordines, ad sponsalia & matrimonium, ad professionem, ad jejunium &c. quia hoc à jure taxatum consistit in indivisibili. Sporer *num. 30.*

Coroll. 7. In reliquis datur parvitas materiæ. Est autem quantitas magna & parva prudenter æstimanda ex tribus: ex ipsa re secundùm se spectatâ, ex comparatione ad totum, ex fine præcepti. Sic omittere unam Horam Canonicam, in festo laborare tribus vel quatuor horis, à 100. florenis ex voto ad pias causas debitis subtrahere 10. censetur secundùm se notabile

& M. Econtra in festo unâ horâ, ut sentit Suar. vel duabus, ut Diana, Tambur. laborare, omittere Sacrum usque ad offertorium exclusivè; in Missâ omittere Gloria vel Credo, ex Rosario 6. decadum, quod vovisti, omittere duas, ex 100. florenis, quos debes ex voto, non dare 3. vel 4. censetur modicum comparativè ad totum, vel finem præcepti & veniale. Sporer *citat.*

CAPUT IV.

De Delectatione morosa.

Quid sit, quotuplex, quale peccatum?

EST simplex complacentia de re mala, sinè desiderio eam opere implendi. Alia est rationalis, quæ in voluntate; alia sensibilis, quæ in corpore. Tam hæc, quàm illa, si voluntaria sit & absoluta, est peccatum pro ratione materiæ M. vel V. Mortale, si objectum delectationis sit mortaliter malum; Veniale, si malum venialiter, estque peccatum illius speciei, cujus est objectum.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Delectatio non est peccaminosa: 1. Si sit involuntaria; sic licitè se habet permissivè (Tu autem resiste) motus sentiens pravos, modò absit consensus, & illius periculum. 2. Sub conditione, quæ omnem aufert malitiam. 3. De opere malo materialiter, quòd factum sit sinè peccato, v. gr. de pollutione in somno.

4. De

4. De effectu bono secuto ex causa mala. 5. De objecto secundùm se non malo, ut est comestio carnis in die jejunii. 6. De copula licitè habitâ vel habendâ; si delectatio sit merè rationalis, seclusâ sensibili cum commotione Spirituum & partis venereæ. 7. De scientia mali vel modo, quo fit.

Coroll. 2. Delectatio est peccaminosa: 1. Si sit de opere malo formaliter, v. gr. voluntario homicidio, ebrietate, fornicatione &c. sivè secundùm de sumptis, sivè ut commissis vel committendis. 2. De opere malo materialiter, v. gr. pollutione in somno.

Coroll. 3. Delectatio de objecto malo est peccatum tale, quale est objectum, quod in confessione explicandum, v. gr. an delectatus sis de copula cum conjugata, consanguinea &c. ut tales sunt. Item explicanda est conditio delectantis: an Sacerdos, an ligatus voto, juxta aliquos, an conjux?

Coroll. 4. Desiderium absolutum rei malæ habet eandem specie malitiam, quam res ipsa desiderata, quæ proinde à confitente exprimenda. *At dicis:* desidero rem tàntùm materialiter malam, v. gr. fornicationem vel homicidium in ebrietate; Adhuc malè: quia objectum secundùm se malum. Affectu tamen simplici, qui non influit, desiderare licet, ut pollutio ob sanitatem naturaliter eveniat in somno, ut quid naturale. Sporer & *commun. DD.* contra Hen.

CAPUT V.
De Peccatis Capitalibus.

SUnt illa, quæ velut capita influunt in alia peccata, & numerô septem:

I. SUPERBIA.

Quid sit, quale peccatum, quæ filiæ ejus?

Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ super alios. Superbia erga Deum, excludens debitam hominis subjectionem, est peccatum M. sed erga hominem est V. nisi gravis intercurrat contemptus, aut detrimentum. Filiæ ejus sunt vana gloria & ambitio. Ad has pertinent jactantia, hypocrisis, præsumptio, pertinacia, inobedientia, contemptus aliorum, ingratitudo. Sunt peccata M. vel V. pro gravitate vel levitate materiæ, damni, finis &c.

II. AVARITIA.

Quid sit, quale peccatum, quæ filiæ ejus?

Est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opposita soli liberalitati est peccatum V. opposita charitati vel justitiæ in materia gravi est peccatum M. Filiæ ejus sunt neglectus divinorum, immisericordia erga pauperes, inquietudo, fraus, usura, corruptela per munera &c. Prodigalitas, huc pertinens, inclinat ad dandum ultra, quàm oportet, est ex se V.

III. LU-

III. LUXURIA.

Quid sit, quæ Species ejus?

Est inordinatus appetitus vel usus venereorum. Peccatum vix unquam V. septem sunt illius species: Fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus, sacrilegium, peccatum contra naturam, quibus additur impudicitia.

1. Fornicatio est congressus naturalis soluti cum soluta. Dicitur naturalis, ut excludatur Sodomia. Si sit continuata cum eadem persona, dicitur concubinatus. Concubinarius ordinariè non est absolvendus, nisi priùs dimiserit concubinam, nam vix unus ex mille aliter emendatur.

2. Adulterium est violatio thori alieni. Peccatum M. etiam consentiente marito, quandoque duplex: Si concubitus conjugis fiat cum conjuge non suo vel non suâ.

3. Stuprum est violenta virginis oppressio. Opprimitur per vim, metum gravem, preces importunas junctis minis, fraudem &c. Peccatum M. etiam contra justitiam.

4. Raptus est violenta fœminæ cujuscunque abductio in alium locum ad exercendam libidinem. Peccatum M. etiam contra justitiam. Ut rapta, aut stuprata non peccet, duo requiruntur: 1. Ut nullatenus consentiat. 2. Ut positivè resistat, quantum potest & debet. Oppressorem occidere non tenetur, neque clamare cum periculo vitæ suæ, modò absit periculum consensûs.

5. Inceſtus eſt peccatum luxuriæ cum perſona conſanguinea intra 4. gradum incluſivè, vel cum affine, etiam intra 4. gradum, ſi affinitas ſit ex copula licita; uſque ad ſecundum, ſi ex illicita, vel cum cognata ſpiritualiter, aut legaliter; ùt habetur *c. 12. de Matrimon.* vel cum perſona ſibi non deſponſabili ob impedimentum publ. honeſtatis. Lugo *ſect. 6.* Omnes inceſtus ſive inter conſanguineos ſive inter affines, & in quocunque gradu probabiliter ſunt ejusdem ſpeciei. D. Thom. *2. 2. q. 154.* apud Sporer. Inceſtum naturalem copulâ completâ committens cum conſanguinea uxoris in 1. vel 2. gradu, amittit jus petendi debitum, de quo *c. 10. de Matrimonio.*

6. Sacrilegium eſt peccatum luxuriæ à vel cum perſona Deo ſacrata ſive per Ordinem Sacrum, ſive per profeſſionem Religioſam, ſive votum ſimplex caſtitatis ſaltem reductivè. Illud committit 1. Perſona non ſacra venereè agens cum ſacra, vel ſacra cum non ſacra, aut ſecum ipſa. 2. Sacra cum ſacra, & eſt ſacrilegium duplex. 3. Sacerdos & ſimul Religioſus ſe polluens, & eſt ſacrilegium unum; nullum eſt, ſi id doceat Laicum, committit tamen peccatum ſcandali in materia contra caſtitatem. 4. Confeſſarius ſolicitans ad turpia in confeſſione vel occaſione ejusdem, & eſt ſacrilegium tum perſonale, tum reale. Peccans verò cum filia confeſſionis, omnino impertinenter ad confeſſionem, ſolùm committit ſacrilegium ex parte ſua,

non

non complicis. Sanch. Laym. 5. Se polluens, (etsi pollutio sit occulta) in loco sacro, & est sacrilegium locale, de quo & reali *c. 7. de Religione.*

7. Peccatum contra naturam est voluntaria seminis effusio extra vas debitum, vel intra, sed indebito modo. Ejus Species sunt: 1. *Pollutio:* quæ est voluntaria seminis effusio extra concubitum. Peccatum M. si quomodocunque procurata & directè intenta, sive voluptatis gratiâ, sive morbum, mortisve periculum evadendi causâ. Sanch. Less. Item si indirectè voluntaria in causa, quæ ex natura sua notabiliter influit in illam; ejusmodi causa sunt cogitationes impuræ, turpiloquia, tactus, aspectus &c. quæ & quando sunt peccata M. unde pollutio ex illis sequens est peccatum M. etsi non intenta, modo prævisa. Si causa tantùm sit peccatum V. in genere luxuriæ, vel M. in alio genere, v. gr. gulæ, pollutio secuta & prævisa, sed non intenta, & secluso periculo consensûs, est peccatum V. Laym. Diana. Nullum est, si causa licita, v. gr. equitatio, & pollutio non intenta, ùt supra. Se polluens cum imaginatione solutæ vel conjugatæ, committit simul fornicationem vel adulterium in affectu. 2. *Sodomia:* quæ est coitus inter homines ejusdem sexûs, v. gr. masculi cum masculo, & dicitur *perfecta*; vel inter masculum & fœminam, non servando debitum vas, & dicitur *imperfecta.* *Bestialitas:* quæ est commixtio hominis cum bruto, sive sagarum

cum

cum dœmone. 4. *Innaturalis concumbendi modus*, ſervato tamen debito ſexu & vaſe ; ut ſi vir ſuccumbat &c. inter conjuges eſt peccatum V. ceſſante periculo effundendi ſeminis. Sanchez.

8. *Impudicitia:* Eſt Species luxuriæ incompleta, non pertingens ad copulam aut ſeminationem; ut ſunt oſcula, turpiloquia, tactus & aſpectus impudici &c. Sunt peccata M. ſi fiant animo libidinoſo cum delectatione venerea aut illius periculo. Excuſantur à M. oſcula ob delectationem merè organicam vel amicitiam, tactus & aſpectus ex mera curioſitate, joco, levitate, ſinè commotione veneris, & affectu libidinoſo. De his Sporer *p. 4. c. 3.* Unde ordinariè peccat M. qui ſeipſum ſtudiosè & morosè contrectat in verendis, qui absque neceſſitate tangit alterum cujuscunque ſexûs in partibus ſecretioribus, aut genitalia pecorum grandiorum: *quia tactus illi libidinem quaſi naturaliter excitant* & ad pollutionem diſponunt. Agitans canem uſque ad emiſſionem ſeminis peccat mortaliter, in ſe excitando venerem, non verò prodigendo ſemen animalis: poſſumus enim animalia viventia occidere, ergò & impedire, ne naſcantur. Ancillas & nutrices inter veſtiendum ex curioſitate in pudendis tangentes puſiones, & impuberes ejusdem ſexûs inter balneandum ex joco tangentes ſe invicem, à mortali immunes cenſet Sporer *citat. num. 692.*

IV. IN-

IV. INVIDIA.

Quid invidia, quale peccatum?

Eſt triſtitia de bono alieno, quatenus invidentis excellentiæ eſt diminutivum. Peccatum ex genere ſuo M. potiſſimum in materia ſpirituali. Triſtitia de bono proximi, quatenus eo indignus, eſt indignatio, & in ſe non mala. Triſtitia mercatoris vel opificis, quod vicinus vendat, non ipſe, eſt æmulatio, ordinariè peccatum V. Filiæ invidiæ ſunt odium, ſuſurratio, detractio, afflictio ipſiúsmet invidi &c.

V. GULA.

Quid & quale peccatum?

Eſt exceſſus in cibo & potu. Peccatum ex genere ſuo V. *quia exceſſus in re aliàs indifferente.* Fit autem M. ratione enormis exceſsûs vel nocumenti.

Quid ebrietas? quibus imputetur?

Ebrietas eſt voluntarius exceſſus in potu uſque ad privationem usûs rationis vel gravem perturbationem. Hujus peccati M. ſunt rei: 1. Eam expreſsè volens, niſi velit ex præſcripto Medici, quando uſtio vel ſectio eſt ſuſtinenda. Sporer *Tract. 1. num. 69.* Leſſ. 2. Interpretativè volens, utpote advertens ſe inebriari, & pergens in potu, vel non curans, an inebrietur, aut non. 3. Inducens alium, niſi ob graviſſimum impediendum malum, & ebrietas ſit ſolum ma-

teria-

terialis. 4. Caupones: qui faciunt potum inebriativum, aut ministrant iis, quos prævident inebriandos, si absque gravi incommodo possint negare.

VI. IRA.

Quid ira, quando peccatum?

Ira est commotio animi, vindictam aut quasi vindictam appetentis. Fit peccaminosa: 1. Ex parte modi irascendi, ut si nimium effervescas, éstque veniale. 2. Ex parte vindictæ, ut si appetas injustam, éstque ex genere suo mortale. Filiæ ejus sunt indignatio, tumor mentis, clamor, rixa, contumelia, blasphemia.

VII. ACEDIA.

Quid acedia, quale peccatum?

Est tædium seu tristitia de bonis divinis, quatenus ad nos pertinent & à nobis laboriosè sunt obtinenda, v. gr. si quis doleat, quod cœlum sit, & arcta ad illud via, non curans ea, quæ sunt salutis. Peccatum ex genere suo M. *quia vilipendit æternam beatitudinem.* Veniale est, si quis tristis, quod Religiosus sit, quod jejunium &c. & tamen faciat ea, quæ sunt obligationis suæ. Operari bonum cum & contra teporem est meritorium. Filiæ ejus sunt malitia, qua odio habentur bona spiritualia, rancor, pusillaminitas, desperatio, torpor, evagatio mentis ad illicita. D. Greg. *31. Moral. c. 17.*

CAPUT VI.

De Peccato Originali.

An detur Peccatum Originale ?

ADam primus homo præceptum non comedendi de ligno vetito. *Genes.* 2. habuit pro se & suis posteris ; virtute enim decreti divini in voluntate Adami, ut capitis moralis, constitutæ erant voluntates posterorum in ordine ad actum, à quo dependebat justitia aut injustitia originalis. Unde in Adamo peccante omnes ejus peccaverunt posteri. *Rom.* 5. ipsóque conceptionis instanti (nisi specialiter præserventur) contrahunt peccatum, quod dicitur originale, & dari fides docet contra Pelag.

Quid Peccatum originale ?

Formaliter est ipsum Adæ peccatum, ut ab omnibus in Adamo commissum, & moraliter in illis perseverans. Cavellus, Poncius, Herinx, Dupasq. &c. *cum RR.* Ratio : Peccatum originale in parvulis ab utero matris veram habet rationem peccati. *Trid. Sess.* 6. Sed quodnam illud : Non aliud, quàm ipsum Adæ peccatum, ut moraliter nostrum & in nobis, donec remittatur, perseverans.

Pœnalitates & pœna Peccati originalis ?

Pœnalitates peccati originalis in hac vita sunt ignorantia, concupiscentia, afflictiones, morbi,

morbi, mortalitas &c. quæ resultant ex subtractione donorum statûs innocentiæ. Pœna ejus in altera vita est pœna damni, non sensûs. *Commun. TT.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Privatio gratiæ, ut debitæ haberi per obedientiam Adami, cum donis justitiæ originalis est pœna peccati originalis non ipsum; quod à PP. dicitur mors animæ, nuditas justitiæ originalis non formaliter, sed causaliter, quatenus ea causat. Scotus verò *1. d. 22.* dicens: *Peccatum originale non est nisi carentia Justitiæ debitæ:* non loquitur de privatione ullius doni habitualis, sed de privatione justitiæ & rectitudinis debitæ inesse actui Adæ, quem ille agebat physicè, posteri moraliter, & qui ut carens rectitudine debitâ dicitur *reatus culpæ personalis* respectu Adami, *originalis* respectu posterorum. Scholiastes in locum Scoti *citat.* Poncius *in Commentar.*

Coroll. 2. Peccatum Adæ, ut hic peccavit in persona propria, est physicè unum; ut peccavit in persona posterorum, & hi moraliter in illo, est moraliter multiplicatum in singulis ab Adamo per viam generationis naturalis descendentibus.

Coroll. 3. Macula originalis non fuit in B. V. Deipara, præservante eam Unigenito suo: Sic *potuit, decuit*, ut propugnavit Parisiis coram Legatis Apostolicis Scotus *Ord. Min.* qui inde

Doctor

Doctor Subtilis; & post Scotum (sententiam contrariam publicè defendi, & nostram impugnari prohibente Sede Apostolicâ, à qua etiam festum immatriculatæ Conceptionis de præcepto) tenet Orbis Christiano - Catholicus. *An saltem debitum habuit peccati originalis contrahendi?* ℞. Non habuit debitum proximum, quasi in Adam peccâsset, & consequenter in conceptione originale contrahere debuisset: *quia electa fuit Mater Christi ante prævisionem peccati originalis, ùt infra:* & postea Deo legem ponente Adamo etiam pro posteris, ab ea fuit excepta ex meritis filii sui prævisis; ùt patet ex Sixto IV. *in Extrav. cum præcelsa:* Omnes moriemini, quia in Adam peccavístis; tu verò ne timeas, ô Maria, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. ℞. 2. Habuit tamen remotum, quatenus ut filia Adæ in eo peccâsset, nisi, ut præfertur, fuisset excepta.

Coroll. 4. Parvuli cum originali decedentes privantur visione beatifica. *Joan. 3. Nisi quis renatus &c.* Probabiliter inde non afficiuntur tristitiâ: *quia voluntas eorum recta cum voluntate divina.* Nec patiuntur pœnam ignis. *Apoc. 18.* Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum; illi autem in deliciis non fuerunt, nec sensu peccaverunt.



TRACTATUS XIII.
De Censuris.
CAPUT I.
De Censura in communi.
Quid Censura? An detur?

CEnsura Ecclesiastica est pœna spiritualis ac medicinalis, privans usu quorundam bonorum spiritualium externorum ad correctionem culpæ externæ. *Commun.* Dicitur: *medicinalis*: quia non est vindicativa sceleris jam patrati, sed impeditiva patrandi, tendens ad correctionem delinquentis contumacis. Datur in Ecclesia potestas ferendi censuram. *Est de fide ex Concil. Const. Sess. 8.* Sumitur *ex Matth. 18. Si Ecclesiam non audiêrit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Quotuplex Censura?

Dividitur in Excommunicationem, Suspensionem & Interdictum; de quibus infra. In *latæ & ferendæ Sententiæ.* In eam, quæ *à Jure* scil. per Canones, & quæ *ab homine* scil. per Sententiam judiciariam.

Quis possit ferre Censuram? in quos? quando?

Censuram ferre potest, qui in foro Ecclesiastico habet jurisdictionem non impeditam, sive ordinariam, sive delegatam; Sed non potest nisi

nisi in baptizatos & subditos; neque potest nisi propter peccatum M. externum completum, suppositâ contumaciâ peccatoris.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Censuram ferre non possunt: 1. Abbatissa, Laicus Religiosus non habens primam tonsuram, Parochus, Clericus conjugatus: *quia in foro externo Ecclesiastico non habent jurisdictionem.* Possunt, committente S. Pontifice de plenitudine potestatis. 2. Parochi in Parochianos, Episcopi in Regulares exemptos, nisi illis in specie sit concessum. 3. Superior in censura existens, nisi sit occulta.

Coroll. 2. Censura ferri non potest: 1. In mortuos, nisi solùm declarando eam, quam incurrerunt vivi. 2. In Judæos, aliósque infideles; potest in hæreticos, apostatas & schismaticos: *quia hi, non illi subsunt Ecclesiæ.* 3. In non subditos; unde & nemo incurrit censuram à se latam; potest tamen in peregrinos, qui ordinario loci, subditi pro tempore. Engel. *num. 35.* 4 Ab Episcopo in subditum, qui existit extra Dioecesim, per legem; potest per speciale præceptum: *quia hoc immediatè afficit subditum, lex diœcesim.* Ferri potest utroque modo nempe per legem & præceptum à Prælato in subditum Regularem ubicunque existentem. Layman. *c. 13.* *Quia jurisdictio Prælati non limitatur loco, immediatè afficiens Religiosum.*

Coroll. 3. A censura excusat: 1. Quidquid excusat à peccato M. 2. Legitima appellatio ante censuram absolutè latam. 3. Invincibilis ignorantiæ censuræ; eam enim ignorans, quamvis sciat se peccare, non censetur contumax. 4. Si effectus externus, v. gr. post lethalem vulnerationem mors, non sequatur; si sequatur, postquam vulnerans est absolutus à peccato adhuc incurritur. Lugo, Bosco: quia censura est pœna in foro fori seu Ecclesiastico, quæ incurri potest, si culpa in foro poli seu divino sit remissa.

Coroll. 4. Censura redditur invalida: 1. Ex defectu jurisdictionis in ferente. 2. Ex defectu substantialis ordinis judicialis in censura *ab homine*, ad quem pertinet trina monitio, rei citatio, causæ probatio. Si verò censura sit *à jure*, ipsum satis monet, ut transgrediens censeatur contumax. 3. Ex defectu justæ causæ: ut si crimen nec commissum, nec probatum; vel commissum, sed non probatum. *Quid sit crimen non sit commissum, & tamen juridicè probatum?* Censura non ligat in foro conscientiæ, servanda tamen est in foro externo. Reiffenst. Layman.

Coroll. 5. A Censuris nemini reservatis potest absolvere, qui potest à P. M. à reservatis potest: 1. Reservans etsi non Sacerdos, ejus Superior & Successor, etiam absentem & extra confessionale: *quia absolutio hæc non est Sacramentalis;* item ab una censura, manente alterâ: *quia per censuram non aufertur, nec per ejus absolutionem confertur*

statua

status gratiæ. 2. Delegatus, habet enim potestatem delegantis. 3. Quilibet Sacerdos in articulo mortis: quia in eo nulla est reservatio. *Trid. Sess. 14. c. 7.*

CAPUT II.

De Excommunicatione.

Quid Excommunicatio? quotuplex?

EXcommunicatio est censura privans Communione Ecclesiæ. Alia est minor: quæ tantùm privat receptione Sacramentorum & incurritur propter communicationem, etiam ex materia levem, cum excommunicato vitando. *c. nuper. de sent. excomm.* Alia major: quæ privat omni communione cum fidelibus; hac excommunicatus vel est toleratus, quem fideles vitare non tenentur; vel non toleratus: quem vitare tenentur, éstque *post Concilium Constant.* publicè denunciatus, vel notorius Clerici percussor.

COROLLARIA:

Coroll. 1. Excommunicatus excommunicatione minori recipiens Sacramentum peccat M. unde Sacramentum pœnitentiæ recipit invalidè, non alia. 2. Collatio Beneficii ei facta est irrita juxta Navarr. irritanda juxta Layman. Absolvi potest ab eo, qui potest à mortali.

Coroll. 2. Excommunicatus excommunicatione majori est privatus: 1. Communione Sacramentorum, sic ut Sacramentum nec recipere

poſſit licitè, nec miniſtrare, etſi ſit toleratus, niſi ex cauſa requiratur à fidelibus. 2. Communibus Eccleſiæ ſuffragiis; licet tamen pro eo orare privatim. 3. Uſu divinorum officiorum; ſic non poteſt intereſſe Horis Canonicis (eas tamen, ſi aliunde obligatus, recitare debet privatim ſine *Dominus vobiscum*) Proceſſionibus, Sacrificio &c. concioni tamen. 4. Uſu juriſdictionis ſpiritualis. Si toleratus ſit, acta ejus probabiliter ſunt valida, ſed mortaliter illicita. 5. Habilitate ad Beneficia Eccleſiaſtica, quorum collatio ipſo jure eſt nulla. 6. Sepulturâ Eccleſiaſticâ, etiam toleratus, de cujus excommunicatione publicè conſtat. 7. Communione politicâ cum fidelibus.

Coroll. 3. Communicatio cum excommunicato vitando fidelibus eſt illicita per ſe mortaliter in ſacris, venialiter in profanis juxta verſ. *os, orare, vale, communio, menſa negatur*: per *os* prohibentur colloquia, per *orare* communio in ſacris, per *vale* ſalutationes, etiam ſignis, vel geſtu factæ, per *communio* converſatio politica in actionibus, per *menſa* convictus, etſi excommunicatus ſit in eadem domo, collegio &c. Communicantes in profanis ab omni culpa excuſant quinque cauſæ: *Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.* Hoc eſt 1. Utilitas. 2. Lex matrimonii, ſic uxor licitè communicat cum marito. 3. Subjectio; ſic communicant filii cum patre, avo, Religioſi cum Prælato, ſervi cum Domino. 4. Ignorantia juris aut facti. 5. Neceſſitas, ſcil. animæ, corporis, famæ aut fortunæ.

Coroll. 4.

Coroll. 4. Percussor Clerici non est vitandus, si percussio non sit notoria, utpote non facta coram multis; aut non certò P. M. utpote aliquo juris suffragio excusabilis. *Excommunicatio Canonis. c. si quis. 17. q. 4.* hæc est;

Si quis scilicet cujuscunque sexûs, statûs, aut dignitatis personâ.

Suadente diabolo: Ita ut percussio sit P. M. in ratione sacrilegii.

In Clericum: Scilicet primâ saltem tonsurâ initiatum, modò deferat habitum, serviátque alicui Ecclesiæ; etsi conjugatus, modo non bigamus; imò degradatus, modò non realiter.

Vel Monachum: Scil. Religiosum, etiam Laicum, Novitium, utriusque sexûs; item Tertiarios, si gestent habitum & vivant in communitate; item Tertiarios in habitu monachali servientes monasterio sub obedientia Superioris. Idem de Tertiariis extra septa monasterii habitantibus affirmat Reiffenst. si ferant habitum, servent Regulam approbatam & vivant sub obedientia Prælati, prout Tertiarios Ordinis S. Francisci Guardianis & Superioribus localibus subjecit Benedictus XIII. de vagis igitur Eremitis negatur.

Manus violentas injecerit: Scil. quavis actione mortaliter injuriosâ in personam, sive per se, sive per alium efficaciter mandando, consulendo; imò non impediendo, si teneatur ex officio vel justitia.

Anathematis vinculo subjaceat : Scil. ipso facto excommunicatus ùt supra. Absolvi potest Religiosus à suo Prælato, Prælatus à Confessario ad hoc electo. La Croix *num.321*. Sæcularis (in foro tantùm interno) à Confessario Mendicantium extra Italiam. Herinx. Nequeunt intra Italiam propter reservationem Clementis VIII.

Coroll. 5. Excusatur à præfata excommunicatione percutiens Clericum : 1. Causâ correctionis justæ. 2. Cum moderamine inculpatæ tutelæ. 3. Repertum in flagranti delicto cum matre, uxore, filia, sorore. 4. Si putet esse Laicum : *quia non est sacrilegium formale* ; Vel percutiens Laicum, putet esse Clericum : *quia non est percussio Clerici.*

CAPUT III.

De Suspensione, Interdicto &c.

Quid Suspensio & Interdictum ?

SUspensio est censura Ecclesiastica, quâ Minister Ecclesiæ ad tempus prohibetur vel ab omni officio & beneficio, éstque suspensio totalis; vel ab aliquo actu exercendo, éstque partialis. Interdictum est censura, quâ prohibetur usus : 1. Certorum Sacramentorum (puta extremæ Unct. Ordinis & Eucharistiæ extra articulum mortis) & suscipiendorum & ministrandorum ; 2. Divinorum officiorum juxta limitationem *c. alma Mater. de sentent. ex commun. in 6to.* apud Reiffenst. Quod concedit in Monasteriis singulis

gulis diebus celebrari Missas, & Divinum Officium, sicut priùs, januis tamen clausis & campanis non pulsatis, nisi in Festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis; idémque pro festo Corporis Christi, & pro Religiosis in eorum festis specialibus concesserunt Pontificis teste Sannig *l. 5. Decret. tit. 39. c. 5.* intelligendo de interdicto locali generali. 3. Sepultura Ecclesiastica. Si interdictum directè feratur in locum, quatenus prohibentur in eo fieri Divina, dicitur *locale*, & quidem locale generale, si comprehendat plura loca; Si in personam (sive Clericus sit, sive Laicus) quatenus arcetur à præfatis, dicitur *personale*; Si in locum & personas simul, dicitur *mixtum.*

Quid Depositio, Degradatio, Infamia?

Non sunt censuræ, sed pœnæ Ecclesiasticæ vindicativæ: *Depositio* est, quâ Clericus per verba in perpetuum privatur omni officio & beneficio Clericali. *Degradatio* est, quâ realiter spoliatur omni officio, beneficio, & insuper privilegio clericali tum fori, tum canonis. *Infamia* est privatio bonæ famæ; alia est juris, alia facti.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Suspensio ab officio per se non includit suspensionem à beneficio, & è contra; nec suspensio ab ordine suspensionem à jurisdictione, & è contra. Engel. *76.* Si tamen

ſuſpenſio imponatur indefinitè, cenſetur eſſe totalis. Herinx. Layman.

Coroll. 2. Omnes & ſoli Clerici, præter Papam ſunt capaces ſuſpenſionis. Exercens actum, à quo eſt ſuſpenſus, peccat M. & ſi actus ille ſit Ordinis, ipſo facto incurrit irregularitatem. Reiffenſt. *num.* 87.

Coroll. 3. Interdicti effectus eſt triplex, ùt ſupra. Unum interdictum non infert aliud: Si interdicta Eccleſia, non ideò interdictus eſt populus; niſi qui interdicto dederunt cauſam; Si populus eſt interdictus: interdicti ſunt etiam innocentes, non verò Eccleſia.

Coroll. 4. Violantes interdictum peccant mortaliter. Si Clerici ſint, ſimul incurrunt ſuſpenſionem, & exercentes actum Ordinis irregularitatem; Si Religioſi ſint, excommunicationem. Poſt *Concil. Conſtant.* nemo tenetur ſervare interdictum locale, niſi ſit denunciatum; nec ullus tenetur vitare perſonaliter interdictum, niſi ſimiliter ſit denunciatus.

CAPUT IV.
De Irregularitate.
Quid ſit? A quo? In quem?

IRregularitas eſt impedimentum canonicum, impediens ſuſceptionem Ordinum (etiam 1. tonſuræ) ſuſceptorúmque adminiſtrationem. Infligitur à ſolo jure Pontificio. Illius capaces ſunt & Laici & Clerici. Irregularis ordinatur

validè,

validè, ſed mortaliter illicitè; éſtque inhabilis ad beneficium. *ex commun.*

Quotuplex?

Irregularitas alia eſt ex delicto ſcil. M. externo, alia ex defectu. Ex delicto ſunt quinque: 1. Ex reiteratione Baptiſmi. 2. Ex indebita ſuſceptione vel uſu ordinis; eam incurrit, qui miniſtrat in Ordine ſacro, quem non habet, vel exiſtens in cenſura; qui Ordines ſuſcipit furtivè, vel in excommunicatione majori, vel ab Epiſcopo excommunicato. Qui verò ordinatur ante legitimam ætatem, extra tempora, ſinè dimiſſorialibus, vel per ſaltum, non fit irregularis, ſed ipſo jure eſt ſuſpenſus. 3. Ex hæreſi. 4. Ex infamia, ſi crimen facto vel jure publicum. 5. Ex injuſto homicidio vel mutilatione; eam incurrunt etiam efficaciter cooperantes juſſione, conſilio, auxilio &c.

Irregularitates ex defectu ſunt octo ſcil. ex defectu 1. Animi. 2. Corporis. 3. Natalium. 4. Ætatis ad Ordines requiſitæ. 5. Libertatis. 6. Famæ. 7. Sacramenti, ſeu ex bigamia. 8. Lenitatis, ſeu ex juſto homicidio vel mutilatione licita. Hinc irregulares ſunt ex 1. Defectu lunatici, illiterati, neophyti. Ex 2. Cœcus, mutilus, abſtemius, affectus paralyſi, leprâ &c. Ex 3. Illegitimi. Ex 4. Qui infra annum 21. Ex 5. Milites, conjugati. Ex 6. Infames. Ex 7. Bigamus verè, qui contraxit

traxit matrimonium cum duabus & consumma-
vit; vel interpretativè, qui duxit viduam non
virginem, vel ab alio corruptam, vel cogno-
vit uxorem suam post adulterium ab ea com-
missum, vel relictâ uxore suâ carnaliter cog-
nitâ attentavit contrahere cum alia, eamque
affectu maritali cognovit; vel similitudinariè,
qui post professionem Religiosam, aut suscep-
to Ordine Sacro attentat contrahere matrimo-
nium & consummat. Ex 8. Cooperantes ad
sententiam sanguinis & executionem, effectu
secuto, milites occidentes in bello offensivo,
occidens bannitum. Non sunt irregulares:
inculpatè occidens invasorem vitæ; Princeps
causam sanguinis committens alteri; accusa-
tor factâ protestatione, quod non intendat
mortem; Confessarius dicens reo, ut juri-
dicè interrogatus fateatur veritatem, suppo-
sitâ sententiâ: quod teneatur; Clericus ad-
hortans in bello justo, non verò ipse pugnans.
Ex variis *Can.* apud Reiffenst. *tr. 13.*

Quomodo tollatur?

Irregularitas tollitur vel per dispensationem
Pontificis; vel cessante causâ, si sit ex defectu.
Episcopi ex *Trid. Sess. 24. c. 6.* Prælati verò Re-
gulares ex concessione Sixti IV. dispensare pos-
sunt in quibusdam, de quibus Herinx, Reif-
fenst. *citat.*

TRACTATUS XIV.
De Virtutibus Theologicis.

Quid Virtus & quotuplex?

VIrtus est habitus, qui facit habentem & opus ejus bonum. Dividitur ratione principii in naturales, acquisitas & infusas: Insunt enim aliquæ à natura, aliquæ acquiruntur, aliquæ infunduntur; ratione subjecti in intellectuales, quæ in intellectu; & morales, quæ in voluntate; ratione objecti in Theologicas, quæ circa Deum; & morales, quæ circa mores.

Quid Virtus Theologica, quotuplex?

Theologica est habitus supernaturalis, à Deo infusus, elevans animam, ut immediatè tendat in Deum tanquam objectum. Sunt tres scilicet fides, spes, charitas; major horum charitas, deinde spes. Charitas amittitur per quodlibet P. M. Fides per infidelitatem, Spes per desperationem. Charitas manet in patria, non fides, neque spes. ex *communi*.

CAPUT I.
De Fide Theologica.

Quid sit? quodnam objectum ejus?

FIdes Theologica est habitus supernaturalis, inclinans ad assentiendum omnibus revelatis pro-

propter authoritatem Dei revelantis. Objectum *materiale* ſunt res omnes revelatæ; *Formale quo* eſt veritas Dei in revelando, & in hanc reſolvitur ultima ratio credendi: *quia credimus propter veritatem Dei revelantis*; & quod credimus, ſunt res revelatæ.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Fides Theologica infuſa (manente acquiſitâ) non eſt in hæretico: *quia amittitur per peccatum infidelitatis, vel hæreſis.* In peccatore fideli eſt informis: *quia eſt ſinè gratia ſanctificante.*

Coroll. 2. Revelatio eſt mera objecti credibilis applicatio: *quia ſolùm proponit, quid credendum*; ſufficit clara & obſcura, mediata & immediata, publica & privata: *quia quælibet ſufficienter proponit objectum fidei.*

Coroll. 3. Articuli fidei ſunt, quidquid Deus credendum revelavit. 1. Sunt neceſſariò veri: aliàs fidei divinæ poſſet ſubeſſe falſitas. 2. Multiplicabiles per novas revelationes. 3. Neceſſariò obſcuri: nam ſi vides, non eſt fides. Aug. *tr. 68. in Joan.* 4. Evidenter tamen credibiles evidentiâ morali, propter evidentia credibilitatis motiva, quæ ſunt Religionis noſtræ antiquitas & ſtabilitas, Doctrinæ puritas, Perſonarum ſanctitas, miracula, ultio cœleſtis in perſecutores &c. 5. Omnes credendi; ſi credibiliter proponantur. 6. Præcipui continentur in quatuor Symbolis: Apoſtolico, Niceno, Conſtantinop. & S. Athanaſii.

CAPUT

CAPUT II.
De Fidei Articulis.

Quæ sit Regula Fidei?

REgula fidei (proponens quid credendum, quid non) inanimata est verbum Dei, tum scriptum, tum traditum; animata est Ecclesia cum capite *ex Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi &c.*

Quid sit Ecclesia? qualis? an visibilis? indefectibilis &c.?

Vera Christi Ecclesia (quæ Romano-Catholica) est cœtus fidelium sub uno capite Christo in cœlis, & ejus Vicario Pontifice Romano in terris. Extra eam nemo salvatur, *de Fide.* Est una, Sancta, Catholica & Apostolica. *Symbol. Constantinop.* Est visibilis: quomodo aliàs ad eam fieret conversio gentium? indefectibilis: *quia portæ inferi non prævalebunt;* & infallibilis: *quia firmamentum veritatis. 1. Timoth. 2.*

An Papa caput Ecclesiæ? An & quando infallibilis?

Caput Ecclesiæ visibile est Romanus Pontifex: *quia Successor S. Petri*, qui Primatum Ecclesiæ accepit à Christo, *Joan. 21. Pasce oves meas*, & Romæ moriens immobiliter reliquit. Pontifex definiens ex Cathedra est infallibilis in materia fidei & morum, etiam sinè Concilio Generali, hoc verò non nisi cum Pontifice: quia promissiones

ſiones de infallibilitate *Matth.16. Tu es Petrus &c. Luc. 22. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.* factæ ſunt in Petro Succeſſoribus & toti Eccleſiæ cum capite.

An de fide, Papam electum eſſe verum Pontificem?

Hæc propoſitio: *Clemens XII. eſt verus Pontifex*, non eſt fidei: *quia nullibi evidenter revelata.* Item juxta Adverſarios probabiliter non eſt fidei; ergo poteſt eſſe falſa, ergo nequit eſſe fidei. Eſt tamen moraliter certa.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. In Eccleſia militante ſunt prædeſtinati & reprobi, contra Calvinum; juſti & peccatores, contra Pelag. Non verò ſunt de corpore Eccleſiæ: 1. Catechumeni: *quia non baptizati.* 2. Hæretici: *quia non profitentur fidem.* 3. Schiſmatici: *quia reſpuunt Caput.* 4. Excommunicati: *quia privantur communione.*

Coroll. 2. Papa cum vel ſinè Concilio non condit novos fidei articulos, ſed implicitè in Scriptura vel Traditionibus contentos proponit, controverſos decidit, & quid credendum definit.

Coroll. 3. Papa definiens eſt infallibilis in quæſtionibus facti juri annexis, ſcil. ubi ex negatione facti ſequitur negatio juris ſeu propoſitionis revelatæ; Sic propoſitiones Janſenii ſunt damnatæ, ut excerptæ ex Janſenii libro & in

ſenſu ab Authore intento; & *in Concil. Conſtantienſ.* exigitur fides hujus artic. *Joannes Hus eſt hæreticus & ejus libri ſunt perverſi.* 2. In Canonizatione Sanctorum: aliàs tota Eccleſia poſſet induci in errorem.

Coroll. 4. Papa eſt infallibilis ſinè acceptatione Eccleſiæ: *quia poteſtas ejus immediatè à Deo,* unde & ſupra Concilium; oppoſitum damnavit Alexand. VIII. & *Synodus Synueſſana* in cauſa Marcellini pronunciavit: *Prima ſedes à nemine judicatur.* Nihilominus poteſtatem ſuam poteſt amittere: 1. Renunciatione voluntariâ. 2. Perpetuâ amentiâ. 3. Hæreſi formali.

CAPUT III.
De Actu Fidei.

Quid Actus fidei? An neceſſarius?

ACtus fidei eſt aſſenſus firmus articuli vel articulorum fidei propter authoritatem Dei revelantis. *Omnes.* Adultis eſt neceſſarius ad ſalutem: *Qui non crediderit condemnabitur. Marc. 16.*

Quæ ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medii? & quæ neceſſitate præcepti?

Neceſſitate medii credi debent *implicitè* omnia revelata, *explicitè*: 1. Deus ut unus, ut exiſtens, ut remunerator, ex *Hæbr. 11.* 2. In lege Evang. myſterium Incarnationis & Trinitat. *ex Joan. 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum,*

rum, & quem misisti Jesum Christum. Necessitate præcepti sciri debent & explicitè credi Oratio Dominica, Symbolum Apostol. Præcepta Dei & Ecclesiæ, Sacramenta necessaria. *Commun. DD.*

An teneamur fidem exteriùs confiteri? An liceat negare?

Datur præceptum affirmativum, fidem exteriùs confitendi. *Rom. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, salvus eris.* Datur etiam præceptum negativum, non negandi, *Matth. 10. Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Primum obligat, si honor Dei aut salus proximi fidem confiteri exigat; Secundum obligat ad & pro semper: *quia fidem negare, nunquam licet.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Actum fidei præcedunt 1. Notitia mysteriorum & motivorum. 2. Judicium credentitatis propter revelationem Divinam. 3. Spiritus Sancti adjutorium & in fidelibus habitus fidei. 4. Pia affectio voluntatis. 5. Sequitur actus fidei.

Coroll. 2. Actus fidei est 1. Certitudine tum adhæsionis, tum infallibilitatis certior scientiâ naturali ob motivum certius, quod est veracitas Dei, ídque immediatum; unde quà talis non est discursivus. 2. Obscurus, stante etiam evidentiâ revelationis: *quia objectum revelatum manet obscurum.* 3. Supernaturalis quoad modum; ut

ut enim ſit, ſicut oportet, procedere debet à gratia. *Trid. Seſſ. 6. c. 3.* 4. Liber & meritorius.

Coroll. 3. Ad actum fidei tenentur 1. Pueri rationis uſum adepti. 2. Infideles convicti per motiva credibilitatis. 3. Fideles aliquoties in vita, *ex propoſit. 17. damn. ab Innocent. XI.* 4. Exiſtens in tentatione contra fidem aliter non vincendâ, vel in articulo aut periculo mortis.

Coroll. 4. Contra præceptum exteriùs confitendi fidem, peccat non confitens: Si inde honor Deo debitus vel utilitas proximo impendenda ſubtrahatur ſive privativè, ſive contrariè. Extra hos caſûs

Coroll. 5. Non peccat fidem ſolùm occultans: 1. Tacendo, vel interrogationem eludendo; niſi interrogetur à poteſtate publica, *ex propoſ. 18. damn. ab Innocent. XI.* 2. Fugiendo; niſi ſit Paſtor: bonus dat animam ſuam pro ovibus ſuis. 3. Portando infidelium vel hæreticorum veſtem, modò non ſit in ſignum falſæ Religionis. 4. Si Clericus ſit, portando veſtem Laicorum. 5. Apud hæreticos comedendo carnes; neque eſt contra præceptum Eccleſiæ, ſi fiat ad gravia vitanda incommoda. Reiffenſt. *d. 2. q. 4.*

Coroll. 6. Contra præceptum fidem non exteriùs negandi peccat 1. Negans ſe Chriſtianum, Catholicum; Secus, ſi neget ſe monachum: *quia negans ſe monachum non negat fidem, ſed Statum Religioſum.* 2. Accedens fictè ad cœnam hæreticorum: *quia profitetur eorum fidem;* Secus eſt de adeunte eorum conciones, comi-

tante funus. 3. Portans vestem vel aliud signum; Si hoc vel illa falsam denotet Religionem.

CAPUT IV.
De Infidelitate.

Quid sit? Quotuplex? Quale peccatum?

INfidelitas est defectus vel error contra fidem. Species ejus sunt Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Infidelitas quælibet, si culpabilis, est P. M. & Hæresis (quæ error pertinax contra fidem in Christiano) varias etiam annexas habet pœnas Ecclesiasticas, signanter excommunicationem & reservationem.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccant contra fidem 1. Scienter persistens in infidelitate aut hæresi. 2. Apostata à fide. 3. Deliberatè dubitans sine causa. 4. Sectam suam judicans probabiliorem, & non ulteriùs inquirens. 5. Exponens se periculo hæresis. 6. Metu mortis negans fidem solùm exteriùs; non tamen est hæreticus. 7. Legens aut retinens aut imprimens libros hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes, v. gr. Sacram Scripturam exponendo Postillis, concionibus &c. etsi manifestam hæresim non contineant. Sporer *tr. 2. c. 3. num. 41.* Item legens libros prohibitos in indice; hic incurrit excommunicationem non reservatam, iste excommunicationem Bullæ Cœnæ. Hanc evadunt

dunt 1. Legentes libros Catholicorum, hæresim continentes: *quia non sunt libri hæretici.* 2. Legentes concionem hæreticam Hæretici, & quidquid non venit nomine libri. Sanch. Layman & alii apud Sporer *citat. num. 39.* contra Suarez. 3. Legentes modicum. 4. Legentem audientes. 5. Censuram ignorantes. Peccant tamen omnes ratione periculi in fide, si cui se exponant; item incurrunt excommunicationem Bullæ, quatenus est contra fautores Hæreticorum, si eis faveant, defendendo, approbando, laudando &c.

Coroll. 2. Hæreticus est formalis, qui assentitur errori contra fidem pertinaciter; quatenus in eo persistit, postquàm veritas Catholica sufficienter sibi proposita & agnita. Hinc solùm est materialis: 1. Qui errat contra fidem, paratus judicio Ecclesiæ, ubi cognoverit, sese submittere. 2. Qui de fide Catholica nihil scivit, aut de sua non dubitavit. 3. Qui dubitans, proponit inquirere. 4. Qui conversionem propositam ex respectu humano vel incuriâ distulit; peccavit tamen contra præceptum affirmativum fidei.

Coroll. 3. Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim, requiritur 1. Hæresis formalis. 2. Externa, quæ sit P. M. externum; nimirum ut sit manifestata (etsi nullo præsente) animo eam asserendi seu profitendi. Reiffenst. *d.* 4. *q* 3. quia tunc est peccatum mortale externum hæresis, & propter hoc solum lata est excommunicatio.

CAPUT V.
De Spe Theologica.

Quid spes? Quodnam objectum ejus?

VIrtus est divinitùs infusa, quâ desideramus infinitum nobis bonum ex Dei gratia & nostris meritis. Objectum *materiale* primarium est Deus possidendus visione & fruitione: non enim sperare possumus Deum sinè possessione, nec possessionem sinè Deo; *Formale* est bonitas Dei respectiva, sive Deus ut bonus nobis: sic enim pertinet ad amorem concupiscentiæ, qui actus Spei.

An Spes sit certa?

Spes est certa ex parte Dei, incerta ex parte nostra: *quia Deus est fidelis in promissis suis, homo autem inconstans in bono, & non certus de perseverantia.*

Quando obliget Præceptum Spei?

Præceptum Spei negativum, ut non desperemus, obligat pro semper: *quia nunquam desperare licet.* Affirmativum, ut eliciamus actum spei, obligat directè aliquoties in vita (cui obligationi satisfit per actus spei in exercitio aliarum virtutum concurrentes) in illius principio & fine: *quia homo tunc in Deum tanquam in finem suum per actum Spei tendere tenetur.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad spem requiritur 1. Ex parte objecti, ut sit absens, obtentu difficile, probabiliter

liter futurum. Hinc ſpes non eſt in Beatis, nec in damnatis; Eſt in animabus purgatorii & quibusdam viatoribus. 2. Ex parte actûs erectio animi adverſus difficultates, innixa auxiliis & promiſſionibus Divinis.

Coroll. 2. Peccata ſpei oppoſita ſunt 1. Per defectum *deſperatio.* Quid ſi damnatio alicui eſſet abſolutè revelata? Deſperare poſſet, ceſſando à proſecutione beatitudinis propter certam ejus non futuritionem; non verò beatitudinem contemnere, Deum odiſſe, aut aliter peccare, aliàs aucturus damnationem. 2. Per exceſſum *præſumptio;* ut ſi quis cum Pelagio præſumat beatitudinem conſequi viribus naturæ, aut cum modernis Hæreticis ſolâ fide ſinè bonis operibus. Deſperatio & præſumptio de ſe ſunt P. M. & quandoque annexum habent peccatum hæreſis: ut ſi quis deſperet, judicans Deum immiſericordem, injuſtum &c. præſumat ùt ſupra.

CAPUT VI.
De Charitate Theologica.

Quid Charitas? Quodnam objectum ejus?

Virtus eſt divinitùs infuſa, quâ diligimus Deum propter ſe, proximum propter Deum. Objectum ejus *materiale*, nimirum quod diligitur, eſt Deus, nos ipſi, & proximus; Deus tamen primarium. *Formale*, nimirum propter quod, eſt bonitas Dei abſoluta, quâ bonus in ſe, & amabilis amore amicitiæ: *quia hæc ſola movet ad actum charitatis.*

Quando & qualiter obliget Præceptum Charitatis?

Præceptum charitatis *negativum*, ut non agamus contra charitatem, obligat pro semper; *Affirmativum*, ut eliciamus actum charitatis, obligat directè sæpius in vita & quidem ad diligendum Deum super omnia, non solùm appretiativè, amorem Dei omnibus præferendo; Sed probabiliter etiam intensivè, Deum vehementiùs præ omnibus amando. Scot. *3. d. 27.* Deus sic potest diligi, ergò debet; aliàs non diligitur ex totis viribus, ut præcipitur *Deuteronom. 6.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Charitas habitualis 1. In substantia est supernaturalis: sic differt à charitate naturali & habitu acquisito, etsi per actus supernaturales. 2. Augetur per gradus, sicut gratia sanctificans: *quia eadem est cum illa*; unde & eadem est in via & in patria; alia tamen specie est charitas actualis viæ, & alia patriæ, ob diversum essentialiter modum tendendi.

Coroll. 2. Præceptum charitatis in Deum obligat 1. Circa initium usûs rationis. 2. Circa finem vitæ. 3. Sæpius in vita, *ex proposit. 5. 6. 7. damnatis ab Innocent. XI.* 4. In tentatione aliter non vincendâ. 5. Quando elicienda contritio.

Coroll. 3. Præceptum negativum charitatis in proximum obligat pro semper: sic nunquam licet proximo malum velle per odium, aut bonum nolle per invidiam; positivum obligat in casi-

casibus necessitatis tam corporalis, quàm spiritualis; quando concurrunt necessitas proximi, facultas succurrendi, indemnitas succurrentis & spes fructûs.

Coroll. 4. Peccatores & inimici ex charitate sunt diligendi, non ut tales, sed ut proximi nostri scil. ut homines nobiscum capaces beatitudinis. *Matth.* 5. non actu solùm ex. sed etiam interno, *ex proposit.* 10. 11. *damnatis ab Innocent.* XI. Q. *Ad quid teneor inimico?* Teneris 1. Offensam remittere. *Matth.* 5. 18. debitam tamen petere licet satisfactionem, & in peccatoribus odisse peccatum, atque optare, ut ad emendationem puniatur. 2. Exhibere communia charitatis signa, quæ exhibes aliis ejusdem conditionis hominibus, non verò specialia. Hinc inimicum excludere non licet à communibus eleemosynis, resalutatione, mercium venditione &c. nisi ad tempus in justam punitionem vel correctionem. E contra inimico exhibere beneficia vel opera misericordiæ, quæ sunt cibare, potare, vestire &c. consilii est, non præcepti extra casum necessitatis & scandali. Layman. *tr.* 3. *c.* 4.

CAPUT VII.
De Ordine Charitatis.
Quis Ordo Charitatis?

SErvandus est iste: ut Deus præferatur omnibus, anima propria alienæ, aliena corpori proprio, & hoc corpori alieno. *Commun. TT.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccat M. 1. Qui creaturam præponit Deo, v. gr. Deum amat propter bona temporalia tanquam causam motivam, aliàs non amaturus; vel optat semper manere in hac vita, delicias ejus præferens beatitudini. 2. Pater amore filiorum exercens injustitias; non tamen committit peccatum speciale contra charitatem; *quia hujus obligatio est generalis imbibita in omnibus præceptis.* 3. Pro anima proximi non exponens periculo vitam corporalem. 4. Vitam propriam exponens pro aliena; licet per accidens ad salvandam vitam Principis, similísve Personæ, à qua pendet salus Reipublicæ.

Coroll. 2. Inter proximos præferendus est, qui conjunctior; inter indigentes indigentior, de quibus Sporer *c. 5. num. 135.*

CAPUT VIII.

De Actibus Charitatis.

Qui sint Actus Charitatis?

PRæcipui sunt 1. *Dilectio:* quâ Deo vel proximo propter Deum, benè volumus affectu interno vel complacentiæ, de ejus bono habito gaudendo; vel desiderii, bonum nondum habitum optando, & dicitur *amor affectivus;* vel benefacimus, & dicitur *amor effectivus;* uterque est vel *concupiscentiæ*, ut si Deum ames, quia bonus tibi, vel *amicitiæ*, ut si Deum ames, quia bonus in se. 2. *Eleemosyna:* quæ opus misericordiæ,

quo

quo alterius indigentiam sublevamus propter Deum. Est in præcepto *Luc. 21.* prout necessitas indigentis & facultas dantis. 3. *Correctio Fraterna*: quæ monitio charitativa ad peccatum proximi impediendum vel emendandum. Est in præcepto *Matth. 18.* ex genere suo mortali.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Danda est eleemosyna sub M. in extrema pauperis necessitate ex superfluis vitæ, in gravi ex necessariis ad decentiam ſtatûs, in communi quandoque ex superfluis vitæ & statui; puta, si alius non adsit, qui indigenti debeat & possit ac velit succurrere: *quia vita proximi, & gravis ejus necessitas præfatis præferri debent.*

Coroll. 2. Uxor de bonis familiæ, filii de bonis parentum, famuli de bonis Dominorum, Religiosi de bonis Monasterii, quorum non habent administrationem, non possunt dare eleemosynas, nisi qualis & quantæ dantur ab aliis ejusdem conditionis; pro quibus vel expressam vel rationabiliter præsumptam habent licentiam.

Coroll. 3. Præceptum correctionis fraternæ solùm obligat, concurrentibus conditionibus, quæ sunt: 1. Certitudo de peccato proximi mortali committendo, vel commisso non emendato. 2. Spes emendationis, aliàs non secuturæ. 3. Opportunitas secundùm circumstantias personæ, temporis, loci &c.

Coroll. 4.

Coroll. 4. Non tenentur ad correctionem fraternam: 1. Dubius de peccato proximi. 2. Non ſperans fructum. 3. Qui non poteſt ſinè gravi ſuo incommodo; niſi ſit ſuperior.

Coroll. 5. Peccat privatus, corrigens publicè peccatum occultum, vel immediatè denuncians ſuperiori; niſi peccatum ſit perniciosſum Reipubl. & ſecreta monitio, vel etiam teſtium adhibitio videatur non profutura.

CAPUT IX.

De Vitiis Charitati oppoſitis.

Quæ Vitia opponantur Charitati?

OPponuntur odium, diſcordia, contentio, ſchiſma, ſcandalum, duellum & bellum.

Quid ſint?

1. *Odium* eſt averſio ab aliquo. Aliud eſt *abominationis*: quo alium quis averſatur, ut ſibi eſt contrarius; aliud *inimicitiæ*: quo alium averſatur ſecundùm ſe, eique malè vult. Odium Dei peccatum eſt graviſſimum; Levius eſt, tamen mortale, odium proximi quoad perſonam, quo proximo quis verè malum vult, quod & quatenus ei malum. 2. *Diſcordia* eſt diſſenſio animorum in iis, quæ velle debemus. 3. *Contentio* eſt impugnatio veritatis acribus verbis. 4. *Schiſma* eſt illicita diviſio ab unitate Eccleſiæ vel Pontifice. Rarò eſt

eſt purum, ſæpius conjunctum cum hæreſi. 5. *Scandalum* eſt dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem peccandi. *Activum* eſt ex genere ſuo P. M. *Paſſivum* eſt ipſum peccatum ſcandalizati. 6. *Duellum* eſt certamen duorum ex condicto initum, deſignato tempore & loco, cum periculo occiſionis. Prohibitum omni jure. 7. *Bellum injuſtum* eſt conflictus illicitus multorum contra multos extraneos. *Commun. DD.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non eſt reus odii in proximum 1. Odio habens in ipſo vitium; Sic Deo odio ſunt impius & impietas ejus. 2. Optans ei malum v. gr. morbum, mortem &c. quatenus ipſi in bonum. 3. Furi optans furcam, hoſti injuſto ſtragem &c. ex affectu Juſtitiæ, honoris Dei, vel boni communis. 4. Affectu conſequenti & conditionato gaudens de morte patris propter hæreditatem, Prælati propter accipiendam Prælaturam, v. gr. ſi Deus vellet mori Patrem, tibi placeret &c. Sporer non licet affectu ſimplici antecedente & abſoluto, v. gr. utinam moreretur Pater, ut ſuccederem &c. *ex propoſitione 13. damnata ab Innocent. XI.*

Coroll. 2. Scandalum committit 1. Directè intendens peccatum alterius, éſtque diabolicum. Excuſatur, qui paratum ad peccatum gravius inducit ad minus. Sanch. *de Matrim. d. 11. num. 15.* 2. Indirectè inducens, faciendo aliquid,

ex quo prævidet vel prævidere debet peccatum alterius, etsi fortè non sequatur. 3. Paterfamilias ponens pecuniam ad probandos domesticos. Hen. contra Sporer *num. 65.* vel tacens ad scandalosa in ædibus suis. 4. Custodes vinearum, sylvarum &c. Se abscondentes præcisè ut deprehensi mulctentur: *quia intendendo mulctam, intendunt peccatum, quod nunquam licet.* Sporer *num. 68.*

Coroll. 3. Scandalizans præter peccatum scandali, committit peccatum illius speciei, ad quod alterum inducit, idque exprimere debet in confessione, sicut & numerum personarum, quibus scandalum dedit, imò earum qualitatem, si inde mutetur species peccati, ad quod induxit. Sic solicitator puellæ peccat peccato fornicationis propriæ, alienæ, & scandali.

Coroll. 4. Prævidens scandalum merè passivum, licitè illud permittit: 1. Si aliquid indifferens, ex quo putat alterum scandalizandum, faciat ob justam causam necessitatis vel utilitatis. 2. Si ob similem causam petat ab alio, quod is sinè peccato præstare potest, licet cum peccato sit præstiturus. 3. Si opus, quod alteri est occasio peccati, non possit omitti sinè peccato.

Coroll. 5. Quicunque alium induxit in peccatum vel errorem noxium, obligatur procurare ejus emendationem, & quidem ex justitia, si induxit per vim vel fraudem, aliàs solùm

solùm ex charitate. Less. Layman. aliisque *citat.* Sporer.

Coroll. 6. Excommunicationem contra duellantes incurrunt: 1. Ipsi pugnantes. Excipe, nisi acceptatio vel oblatio duelli sit absolutè necessaria ad defensionem famæ vel bonorum fortunæ, & hæc ad vitam ipsam. Reiffenst. *l. 5. Decret. tit. 14. num. 31.* 2. Permittentes, excepto casu ad finiendum bellum. 3. Patrini. 4. Adjutores. 5. Spectatores ex industria.

Coroll. 7. Conditiones belli justi sunt: 1. Authoritas legitima scil. Principis, Superiorem non recognoscentis. 2. Causa justa. 3. Intentio recta. 4. Debitus modus in bellando. Mast. *d. 10. num. 107.*

Coroll. 8. Peccant in bello: 1. Regi suo infideles. 2. Militi subtrahentes stipendia. 3. Militum suppositītiorum stipendia sibi arrogantes. 4. Totum onus militum divertentes in unum aut alterum pagum, aliis ad contributiones pecuniarias adactis. 5. Hospites suos vexantes, indebita extorquentes. 6. Desertores, qui præter peccatum injustitiæ violant juramentum. 7. Quidquid demum in bellis vel nocendi cupiditate vel immani crudelitate, vel scandalosa impietate, vel effræni libidine committitur, peccatum est mortale juxta rationem materiæ. March. *tr. 6. tit. 2. 3. 4.*

TRACTATUS XV.
De Gratia, Justificatione & Merito.
CAPUT I.
De Gratia.
Quid sit?

EST donum Dei supernaturale (*quia non à Deo ut authore naturæ*) creaturæ rationali ex meritis Christi gratìs concessum in ordine ad vitam æternam. Dupasq. Equidem augmentum gratiæ cadit sub meritum, sed fundatum in gratia.

Quotuplex sit?

Dividitur 1. In habitualem & actualem: *Habitualis* est qualitas permanenter inhærens animæ, eamque formaliter sanctificans. Infunditur à Deo, augetur per opera meritoria, amittitur per quodlibet P. M. non distinguitur realiter à charitate habituali. Scotus *l. d. 17. q. 2.* Ad quid habitus illi multiplicarentur? Charitas habitualis ex ordinatione divina præstat, quod gratia habitualis, & juxta *Trid. Sess. 6. c. 7.* fides per charitatem operatur. Quæ illa charitas? Utique gratia sanctificans, sinè qua fidelium opera sunt mortua. Idem igitur habitus in ordine ad diversos effectus, dicitur modò charitas, modò gratia. *Actualis* est auxilium divinum,

num, quo tranſeunter homo ad bonum movetur vel adjuvatur. Ejusmodi ſunt piæ inſpirationes, cogitationes, motiones &c. quas juxta Aug. *Deus operatur in nobis ſinè nobis.* 2.) Actualis ſubdividitur per ordinem ad conſenſum liberi arbitrii in prævenientem ſeu excitantem, & in concomitantem ſeu cooperantem; de his Aug. *Deus, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Præveniens in merè ſufficientem, quæ non ſortitur effectum defectu cooperationis, & in efficacem, quæ effectum ſortitur, accedente hominis cooperatione.

An quilibet habeat Gratiam, eáque neceſſitet?

Cuilibet homini datur gratia ſaltem remotè ſufficiens ad beatitudinem: nam *1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Non neceſſitat: nam damnata eſt hæc propoſitio Janſenii: *Interiori gratiæ . . . nunquam reſiſtitur.*

An & ad quid Gratia neceſſaria?

Neceſſaria eſt cuilibet ad quodlibet opus, ut ſit meritorium vitæ æternæ. Cath. contra Pelag. Poteſt quidem homo, etiam injuſtus, facere opus moraliter bonum, ùt patet *ex propoſit. 2. damnata à Clement. XI.* non tamen, ut oportet ad ſalutem. *ex Trid. Seſſ. 6. c. 3. 2.* Juſtus non poteſt ad tempus notabile ſinè ſpeciali privilegio vitare omnia venialia collectivè.

Trident. Sess. 6. can. 23. Neque perseverare in Sanctitate usque ad mortem sinè speciali auxilio Dei. *Trident. citat. can. 22.*

CAPUT II.
De Justificatione.

Quid sit?

JUstificatio impii est translatio hominis à statu peccati ad statum gratiæ. *Commun.* In ea peccata verè delentur ac remittuntur. *De Fide in Trid. Sess. 5. can. 5* Unum mortale de potentia ordinaria non potest remitti sinè alio: *quia remittendo infunditur gratia cum peccato incompatibilis.* Potest de absoluta: *quia unum debitum remitti potest sinè alio;* non tamen fieret Justificatio.

Quæ sit forma Justificationis.

Forma Justificationis est Justificato intrinseca & inhærens. *De Fide contra Luther.* Eáque gratia sanctificans; hæc tamen peccatum non expellit physicè ex natura sua, sed moraliter ex ordinatione divina. Scot. *2. d. 23. num. 7.* Hinc de potentia absoluta gratia materialiter sumpta stare potest cum peccato, & Justificatio fieri per solam condonationem extrinsecam absque infusione gratiæ. D. Bonav. Alens. Suarez.

Quæ

Quæ requiratur dispositio?

Dispositio ad Justificationem hæc est: in adulto requiritur 1. *Fides. Rom. 3. Arbitramur hominem justificari per fidem.* Lutherus addidit: *solam.* Cúmque à Catholico quodam argueretur quasi falsarius, ita respondit: *Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, & dicit Papistam & asinum rem esse unam; Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas; nolumus Papistarum Scholares esse sed Judices. Lutherus ita vult, & ait se Doctorem super omnes Doctores totius Papatûs. Tom. 4. Operum German. Lutheri*, quæ excusa Wittenbergæ 1551. *fol. 475.* contra hunc *in Trid. Sess. 6. can. 9.* non sufficit sola fides. Requiritur 2. *Spes. Rom. 8. Spe salvi facti sumus.* 3. *Dilectio. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte.* 4. *Pœnitentia. Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis &c.* Sufficiunt tamen actus fidei & spei antea eliciti & moraliter perseverantes, attritio cum Sacramento, vel contritio charitate formata extra Sacramentum. Dispositione hac positâ homo solùm moraliter est certus de sua Justificatione. *Eccles. 9. Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*

Quæ sint Causæ Justificationis?

Causa dispositiva sunt actus nostri, ut supra. Meritoria est Christus. Efficiens est solus Deus. Formalis est gratia infusa. Finalis est honor Dei, gloria Christi & beatitudo hominis. *Tit. 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos per Jesum Christum, ut justificati gratia ipsius heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

CAPUT III.
De Merito.
Quid sit?

MEritum Theologicum est opus bonum, cui præmium debetur supernaturale per modum retributionis.

Quotuplex?

Aliud est de condigno, aliud de congruo: primo debetur præmium ex quadam quasi Justitia & fidelitate: *quia promissum, ideoque confertur infallibiliter.* Secundo debetur tantùm ex decentia.

An detur?

Potest homo mereri apud Deum. *Matth.5. Merces vestra copiosa est in cœlis.*

Quas postulet conditiones?


Ad meritum de condigno requiritur 1. Ex parte operis, ut sit moraliter bonum præmio proportionaliter æquivalens ex acceptatione divina, & procedat ex gratiæ auxilio (*aliàs non esset supernaturale*) & referatur ad Deum. 2. Ex parte operantis status viæ & gratiæ. 3. Ex parte Dei præmiantis promissio de dando tali præmio. Aug. *in Psal. 83. Debitorem Deus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.*

Quid cadat sub meritum?

Quod cadit sub meritum de condigno est, augmentum gratiæ & gloriæ. *Trid. Sess. 6. can. 32.*

Non

Non verò gratia prima actualis : *quia principium meriti.* Nec prima habitualis : *quia justificamur gratis. Rom. 3.* Nec Justificatio post lapsum : *aliàs peccator posset mereri de condigno.* Nec perseverantia finalis in gratia : *quia nullibi promissa.* Hæc tamen omnia cadunt sub meritum de congruo, exceptâ gratiâ primâ actuali, quam nemo sibi potest mereri : *aliàs mereretur sinè gratia ;* potest alteri, & eâ mediante Justificationem, obtinendo illi gratiam, qua sese ad Justificationem disponat.



TRACTATUS XVI.
Ex Libro III. Sententiarum de Incarnatione.

CAPUT I.
De Essentia, & Existentia Incarnationis.

Quid Incarnatio ?

INcarnatio est assumptio naturæ humanæ à verbo in unitatem Personæ divinæ. Illius possibilitas nequit positivè cognosci lumine purè naturali : *Quia nullum datur medium naturaliter cognoscibile, quod tanquam causa vel effectus ducere possit in ejus cognitionem.*

An peracta?

Incarnatio est peracta in JEsu Nazareno, qui fuit Messias, natus ex Maria Virgine, verus Deus & verus homo. *De Fide contra Judæos.* Conveniens fuit Deo & homini: *quia Deus per eam glorificatur, homo justificatur.* In ordine ad reparationem generis humani convenientius fuit naturam humanam assumi, quàm Angelicam: *quia Christus in carne exemplum dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Joan. 13.* Item homines redimi, quam Angelos: *quia hi peccârunt voluntate propriâ, isti alienâ &c.*

Quomodo fuerit necessaria?

Incarnatio non fuit simpliciter necessaria, etiam post lapsum Adæ: *quia sicut Angelos lapsos Deus reliquit sine remedio, sic potuisset & homines, vel peccata remittere gratis;* Supposito autem decreto de lapsu hominis reparando per viam satisfactionis condignæ, ita satisfacere de potentia Dei absoluta potuisset pura creatura. Scotus *3. d. 2. C. n. 3.* Quia potuisset Deus alicui homini conferre plenitudinem gratiæ Christi, illum constituere caput hominum in ordine gratiæ, ejus merita acceptare in satisfactionem pro peccatis. *Conf.* Purus homo potuit omnes inficere, cur non purus homo potuisset redimere?

CAPUT

CAPUT II.

De Causis Incarnationis.

Quæ Causa efficiens Incarnationis.

EFficiens est tota Ss. Trinitas, nam opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. *At Filius in Symbolo dicitur incarnatus de Spiritu Sancto?* R. Per appropriationem.

Quæ Causa illius meritoria?

Causa meritoria Incarnationis quoad substantiam de facto nulla datur: 1. Incarnationem non meruit humanitas Christi; nec per merita illam tempore præcedentia: *quia nullo eam instanti præcessit*; nec per priora ordine naturæ: *quia connaturaliter priùs est naturam subsistere, quàm operari*; Potuisset tamen de potentia absoluta: *quia actiones non sunt essentialiter posteriores subsistentiâ.* 2. Incarnationem non meruit, nec potuit Christus per opera illam subsequentia: *quia hæc necessariò præsupponunt illam, hæc existentia illam existentem, hæc prævisa illam prævisam; insuper incarnatio est principium meriti, adeoque nequit cadere sub meritum.* 3. Incarnationem non meruerunt Ss. Patres: *quia Christus est primogenitus omnis creaturæ*; meruerunt tamen de congruo Incarnationis executionem, orantes illud *Isai.16 Emitte agnum Domine Dominatorem terræ &c.* & B. Virgo maternitatem, ut in tempore collatam; secundùm quod canit Ecclesia: *Quem meruisti portare &c.*

Quodnam motivum Incarnationis ?

Causa finalis seu motivum Incarnationis non fuit solum remedium peccati. *Quid amplius ?* Excellentia hujus mysterii, nostra Justificatio, Dei Glorificatio. *An ergò præciso Adæ peccato Christus venisset ?* Imò, etiam vi præsentis decreti, sed non in carne passibili. *Unde constat ?* Ex S. Script. juxta hanc Christus est finis omnium creaturarum, nam *Coloss. 1. In ipso condita sunt universa.* Et *1. Corinth. 3. Omnia vestra sunt, vos Christi, Christus autem Dei.* Item in ordine intentionis Christus est factus ante omnes creaturas; nam *Coloss. 1.* dicitur *Primogenitus omnis Creaturæ ;* & Præcursor ejus testatur *Joan. 1. Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Ergo Christus priùs est volitus à Deo, quàm ulla creatura, vel peccati permissio, ejúsque remedium, adeoque hoc præciso venisset.

CAPUT III.

De Unione Hypostatica.

An vera Unio inter humanitatem & Verbum ? Quid illa ?

UNio humanitatis ad Verbum est vera & physica. *De Fide contra Nestor.* Consistit formaliter in Relatione: *quia totum ipsius esse, est referre humanitatem Christi ad Verbum ;* eáque est extrinsecùs adveniens : *quia potest esse Verbum & hæc humanitas, & tamen non unita Verbo ;* Subjectata in humanitate,

tate, non in Verbo; *quia immutabile;* & terminata immediatè ad ſolam Perſonalitatem Verbi: *quia hoc ſolum eſt caro factum.*

Qualis ſit Unio illa?

Unio hæc dicitur Hypoſtatica: *quia eſt ad Perſonam Verbi ſeu Hypoſtaſim;* dicitur ſubſtantialis: *quia nectit Subſtantias;* eſt ſupernaturalis: *quia omnem ſuperat naturæ ordinem & exigentiam;* eſt maxima unionum in ratione tum unionis: *quia indiſſolubilis, unítque infinitè diſtantia;* tum operis: *quia terminus ejus totalis eſt Chriſtus Dominus, qui excedit, quidquid non eſt Deus;* tum doni: *quia per eam natura aſſumpta perfectiùs participat eſſe Divinum, quàm per gratiam & gloriam.*

CAPUT IV.

De Perſona aſſumente & natura aſſumpta.

Quid ſit aſſumere naturam?

ASſumere naturam, eſt ejusdem terminare unionem: *quia ſic ſufficienter eſt Perſonæ aſſumenti unita, quamvis unio in ea non ſit ſubjectata;* ut patet de unione materiali in corpore ad animam ſpiritualem.

An una Perſona Divina poſſit aſſumere plures Naturas, & plures unam?

Una Perſona Divina poteſt plures aſſumere Naturas: *quia habet realiter virtutem aſſumendi infini-*

tam & naturæ habent compatibilitatem in unitate Personæ. Non tamen plures Personæ possunt assumere eandem numero naturam: *quia natura illa haberet suum esse personale totaliter & adæquatè ab unaquaque Personarum; item ab unaquaque redderetur incommunicabilis alteri supposito, & non redderetur; quod utrumque implicat.* Unde ait S. Anselm. *l. 2.* Cur Deus homo. *c. 9.* *Plures Personæ nequε t unum, eundémque hominem assumere in unitatem Personæ.*

An Verbum potuerit assumere naturam Angelicam, vel aliam?

Potuit à Verbo assumi natura Angelica, potuit & quælibet alia; *quia Subsistentia Divina continet vim terminativam cujuslibet subsistentiæ creatæ & quælibet natura creata habet terminabilitatem obedientialem cujuslibet subsistentiæ.* Ergo Verbum posset dici lapis: Posset per communicationem idiomatum, quod non est indecens positivè.

An Verbum assumpserit verum corpus, veram animam, sanguinem &c.

Verbum caro factum assumpsit verum corpus & veram animam. *De Fide contra Eutych.* Item immediatè & hypostaticè assumpsit sanguinem: *quia pertinet ad corporis integritatem*, & Clem. VI. ait *in Extrav. de Pœnitent. & Remiss.* *Modicam sanguinis guttam pro redemptione totius generis humani sufficere propter unionem ad Verbum.*

An

An Sanguis effusus manserit Verbo unitus?

Sanguis effusus in resurrectione resumendus mansit Verbo unitus, sicut caro & anima in triduo mortis; resumptus est totus moraliter: *quia Christus resurrexit homo perfectus*; non totus physicè: *quia asservatur aliquis Mantuæ, approbatus à Leone III. aliquis Venetiis; aliquo rubescit Lancea Romæ, Spina Parisiis, Syndon Taurini &c.* At quomodo S. Damasc. dicit: *Quod Verbum assumpsit nunquam dimisit?* Dicit de partibus ad corporis integritatem necessariis, non de quibuscunque. Scot. *3. d. 6. q. 62.*

CAPUT V.

De Composito Theandrico.

Quid & quis Compositum Theandricum?

COmpositum Theandricum est Deus-homo, hoc Christus est, qui mediante unione hypostatica compositus (quamvis non compositione rigorosa) immediatè ex natura humana & Personalitate Verbi, mediatè ex natura humana & Divina. *Synod. VI. gen. act. 11.*

Quæ naturæ in Christo & quot Personæ?

In Christo proinde sunt duæ Naturæ integræ, Divina & humana. *De Fide contra Eutych.* Sed una tantùm Persona, eáque Verbi. *De Fide contra*

tra Nestor. Non tamen Christus est duo, nec masculinè, nec neutraliter. *De Fide.* Non masculinè: Sic. S. Athan. in Symbolo: *Licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus;* puta ob unitatem suppositi. Nec neutraliter: sic Concil. Constant. damnans errorem Joannis Hus, qui erat: *Christus est dua naturæ.* In obliquo tamen dici potest habens duo, scil. Divinitatem & humanitatem.

Quomodo Christus Dei Filius naturalis & Servus?

Christus ut homo (*ut* sumendo specificativè) est Filius naturalis Dei Patris, ratione suppositi, humanitatem suppositantis; unde Angelus ad Mariam *Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Est & servus Dei, ratione humanitatis præcisè. Unde S. Chrysost. *serm. 7. Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma Servi perfectus est Servus.*

An detur in Christo & quid sit Communicatio Idiomatum?

Datur in Christo Communicatio Idiomatum, sive naturæ Divinæ & humanæ, eárumque proprietatum in concreto de se invicem prædicatio, fundata in dictarum naturarum adunatione in eodem supposito. *De Fide.* Sic de filio Dei dicitur in Symbolo Apost. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus &c.* Bene dicimus: album est dulce: *quia est unum subje-*

subjectum, nempe lac, habens albedinem & dulcedinem; ergo etiam bene: Homo est Deus, & Deus est homo: *quia est unum suppositum, quod significatur in recto, habens naturam Divinam & humanam*; hinc illius in Symb. *Et homo factus est*: Sensus est: Suppositum habens Divinitatem, factum est habens humanitatem.

CAPUT VI.

De Scientia Christi.

An in Christo duo intellectus, isque duo intelligentes?

IN Christo sunt duo intellectus. *De Fide contra Monoth.* Ut Deus, habet intellectum Divinum, ut homo humanum; est tamen unus intelligens, ob unitatem suppositi. *In Christo ad Coloss. 2. sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.*

Quæ Scientiæ in Christo?

Præter scientiam increatam, quam habet ut Deus, fuit in eo ut homine scientia triplex: 1. *Beata*, quâ ab instanti conceptionis clariùs præ omnibus Sanctis vidit Deum, sicuti est extensivè, omniaque in eo objecta tum actualia, tum possibilia, non quidem actualiter, sed quasi habitualiter: quatenus Verbum erat paratum humanitati ostendere successivè, quæ hæc utpote finita non potuit cognoscere simul. S. Bonav. Hanc scientiam exigebat unio hyposta-

tica,

tica, at non indiſpenſabiliter, quæ enim abſoluta connexio inter unam & alteram? 2. *Infuſa*, quâ res naturales & ſupernaturales, quarum ſcientia ipſum decebat, cognovit extra Verbum in ſe per Species: nam in Chriſto *ad Coloſſ. 1.* condita ſunt univerſa, adeoque competebant eorum Species. 3. *Acquiſita* ſeu experimentalis, quâ objecta per ſcientiam infuſam cognita abſtractivè, in ſe ipſis præſentia cognovit intuitivè, ea tangendo, videndo &c. de hac teſte Ambroſ. dicitur *Luc. 2. Jeſus proficiebat ætate & ſapientia.*

CAPUT VII.
De Libertate Chriſti.

An & quomodo voluntas Chriſti fuerit libera?

HUmana Chriſti voluntas fuit libera, non tantum à coactione, ſed etiam à neceſſitate. *De Fide.* In Chriſto fuit libertas, quæ neceſſaria ad merendum; hæc autem *definiente Innocent. X. contra Janſen.* eſt libertas à neceſſitate ſeu indifferentiæ.

An libera in materia præcepti?

Hanc libertatem habuit ad actus inæqualis perfectionis (*quia non neceſſitatus ad optimum ſaltem materialiter*) imò in materia præcepta: *quia Patris ſui præcepta ſervavit, Joan. 15. & ea ſervando verè meruit.* At liberè implevit præcepta, ergo potuit non

non implere; & quomodo fuit impeccabilis? ℞. 1. Petere potuit & obtinere dispensationem, sícque non implere sine peccato. Lugo, Wading. ℞. 2. Liberè implevit non libertate proximâ & ab extrinseco, sed remotâ & intrinsecâ indifferentiâ voluntatis; nam ob affluentiam gratiarum & negationem concursûs ad malum non habuit libertatem extrinsecam, proximam & moralem, quæ necessaria ad peccandum; ob indifferentiam tamen intrinsecam & physicam voluntatis, quæ, quantum ex se, poterat implere præceptum & non implere, habuit libertatem indifferentiæ intrinsecam & physicam; quæ tametsi non in nobis, tamen in Christo ex dispensatione erat sufficiens ad merendum; cum enim ex dispensatione viator fuerit & comprehensor, ut comprehensor impeccabilis, ut viator capax meriti, relicta est illi libertas sufficiens ad merendum, quæ dispensativè præfata. Mastrius ex Scoto *3. d. 12. A. n. 2.*

CAPUT VIII.
De Sanctitate Christi.

Quotuplex Christi Sanctitas?

UNa est substantialis, quæ à Persona Verbi; altera est accidentalis, quæ à gratia habituali. De utraque S. Bernard. *Homil. 4. Sup. Miss. Singulariter sanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs Sanctificationem, & per Verbi Assumptionem.*

Per

Per quid humanitas Christi fuerit formaliter sanctificata?

Humanitas tamen Christi non fuit formaliter & immediatè sanctificata per unionem hypostaticam: *quia hæc non est forma sanctificans, non habens formaliter nisi unire;* nec per Deitatem: *quia hæc unita humanitati non constituit ipsam formaliter æternam, immensam &c. ergo nec formaliter sanctam, quod si ita, esset infinitè sancta.* Sed sanctificata est per gratiam habitualem: hæc fuit in Christo *Joan. 1.* Quidni ergo sanctificavit?

Quanta fuerit Gratia Christi?

Gratia Christi habitualis fuit summa negativè: *quia nulla illi æqualis;* non positivè, & infinita: *quia creata; An ergo augeri potuisset?* Potuisse de potentia Dei absolutâ, mens est Mastrii, Becani, Gonet &c. Quia potentia productiva augmenti gratiæ in Deo, & potentia obedientialis illius receptiva in anima Christi, carent termino.

CAPUT IX.
De Impeccabilitate.

An fuerit in Christo peccatum, vel esse potuerit?

EX sanctitate Christi sequitur ejus impeccabilitas, non fuit in eo peccatum originale: *quia non fuit Filius Adæ;* nec actuale: *quia 1. Petri 2. peccatum non fecit;* nec ullum esse potuit: *quia cum-*

cum summa Gratia & Gloria, quæ in Christo, quodlibet est incompatibile.

Unde impeccabilitas Christi?

Impeccabilitas igitur Christi proximè & formaliter est ex plenitudine gratiæ & gloriæ, remotè & radicaliter ab unione hypostatica. Scot. *3. d. 2. q. 1.* Quid, si Verbum assumeret naturam sibi in naturalibus re ctam, cum proxima libertate indifferentiæ ad bonum & malum & cum decreto concurrendi ad utrumque? Posset peccare non obstante unione hypostatica; hæc enim non absolutâ necessitate sanctificat & beatificat; nec de se formaliter repugnat cum peccato, relinquens naturam in suis intrinsecis, adeoque in peccabilitate.

CAPUT X.
De Merito Christi.

An Christus verè meruerit, per quid, quando?

CHristus D. noster verè meruit, *de Fide*, per omnes actus suos liberos, & quidem à primo instanti vitæ intrinseco usque ad instans mortis extrinsecum; *nihil enim tunc ad merendum deerat.*

Quibus & quid meruerit?

Sibi 1. meruit gloriam corporis. *Luc. 24. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam*

 suam?

ſuam? Non animæ, quam ante habuit; ergo corporis. 2. Nominis ſui exaltationem & alia bona extrinſeca, quæ accipit poſt paſſionem. *Philip. 2. Humiliavit ſemet ipſum . . . propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Angelis meruit gratiam & gloriam: nam *Joan. 12.* ait: *Nemo* (ſcil. hominum & teſte Suaretz quoque Angelorum) *venit ad Patrem, niſi per me.* S. Bernard. *ſerm. 1. de Circumciſ. Idem & Angeli Salvator & hominis, ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Hominibus meruit Juſtificationem: nam *Luc. 19. Venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat.*

Merita Chriſti an & qualiter infinita?

Merita Chriſti ſunt infinita ſecundùm quid & extrinſecè: *quia excedunt omnium creaturarum merita, & propter dignitatem Perſonæ ſunt à Deo acceptata* (nam exauditus eſt pro reverentia ſua. *Hebr. 5.*) *in ſatisfactionem pro omnibus peccatis, adeòque extenſivè ſunt infinita.* Non verò infinita ſimpliciter & intrinſecè. Scot. *3. d. 19.* ubi ait: *Si infinitum, tunc non fuit meritum plùs ſecundùm velle creatum, quàm ſecundùm velle Verbi increatum;* at ſecundùm hoc non meruit: opera enim Chriſti meritoria fuerunt humana, non propriè Theandrica, non elicitivè à Suppoſito Divino, adeoque in ſe finita; ratione Suppoſiti tamen ſunt proportionaliter dignificata & in ſupremo ordine, ut nequeant ad illorum æqualitatem creſcere merita hominum & Angelorum.

CAPUT

CAPUT XI.
De Satisfactione.
An Christus sit mortuus pro omnibus?

CHristus verus Messias satisfecit pro peccatis & mortuus est pro salute omnium & singulorum hominum. *De Fide contra Calvin. Luther. Jansen.* nam *2. Corinth. 5. Pro omnibus mortuus est Christus. 1. Timoth. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* & *ibid.* ℣. *4. Qui omnes homines vult salvos fieri.* At non omnes salvi fiunt? Est ex culpa hominum; audi S. Ambros. *Non vult efficaciter omnes salvari, nisi ipsi velint cooperando.* Ad idem S. Aug. *Sanguis Christi volenti salus est, nolenti supplicium.*

Quomodo Satisfactio Christi fuerit condigna?

Satisfactio Christi fuit condigna in actu primo: *quia secundùm se sufficiens, imò superabundans;* & *Psal. 29. Copiosa apud eum redemptio.* Non tamen condigna in actu secundo sinè acceptatione Divina: Si enim Deus, ut potuit, satisfactionem Christi non acceptâsset, hic in actu secundo non satisfecisset.

An fuerit de toto rigore Justitiæ?

Satisfactio Christi non fuit de toto rigore Justitiæ: intercessit gratia offensi, dum opera Christi, quæ jam Dei erant & aliunde debita, in satisfactionem pro peccatis nostris acceptavit,

vit, qui satisfactionem exigere poterat ab ipso offendente, imò hac recusatâ pœnam promeritam. Lugo, Vasq. & *commun.* Scotist.

CAPUT XII.
De Virtutibus Christi.

An fuerint in Christo Virtutes Theologicæ?

FUit in Christo charitas, ipso teste *Joan. 14. Diligo Patrem.* Non verò fides, neque spes; *quia vidit Verbum, & in Verbo facta per Verbum*; fides autem *Hebr. 11. Est argumentum non apparentium*; & *Rom. 8. Spes, quæ videtur, non est spes.*

An morales?

Ex moralibus fuerunt in Christo plurimæ, eæque infusæ, excipe illas, quæ connotant imperfectionem, ut est Pœnitentia, quæ in subjecto supponit peccata commissa, vel committi possibilia.

An gratiæ gratìs datæ, dona Spiritûs Sancti, & passiones humanæ?

Præter virtutes fuerunt in Christo novem gratiæ gratìs datæ, quæ enumerantur *1. Corinth. 12. Sermo Sapientiæ, Sermo Scientiæ, Fides, Gratia Sanitatum, Operatio Virtutum, Prophetia, Discretio Spirituum, Genera Linguarum, Interpretatio Sermonum.* Item 7. dona Spiritûs Sancti; ita vaticinatus est *Isaias c. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Consilii & Fortitudinis,* Spiri-

Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Denique fuerunt in Christo 11. passiones humanæ, quæ sunt: *Amor & Odium, Desiderium & Fuga, Gaudium & Tristitia, Spes & Desperatio, Timor & Audacia atque Ira;* Sed fuerunt in eo ordinatissimæ, & sinè defectibus, quibus subjacent in nobis. *Commun. ex Leone Magno Epist. 25. ad Julianum c. 30.*

CAPUT XIII.
De Potentia Christi & Dignitate.

Quotuplex in Christo Potestas, quâ fecerit miracula?

DE se ait *Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra,* scil. quâ Filio Dei ratione generationis Divinæ potestas Divinitatis, quâ Filio hominis ratione unionis hypostaticæ potestas excellentiæ; illa physicè, hæc solùm moraliter (merendo, petendo) influxit in miracula. ita S. Bonav. unde Damasc. *l. 3. de Fide. c. 15. Humanæ actionis opus fuit, quod puellæ manum pertraxerit; Divinæ, quod eam ad vitam revocaverit.*

An & quomodo Christus Caput hominum & Angelorum, Sacerdos, Mediator, Redemptor, Rex, & Judex?

Christus ut homo est 1. Caput Ecclesiæ militantis & totius Triumphantis: *Ephes. 1. Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam,* addit Hieron. *Non solùm hominum, sed etiam Angelorum;* nam re-

ſpectu horum æquè ac illorum habet præeminentiam, unionem & influxum. 2. Sacerdos, imò Pontifex, *qui Hebr. 9. per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta &c.* ſe ipſum obtulit tum in cœna, tum in cruce, & adhuc quotidie per manus Sacerdotum in Altari. 3. Mediator: *1. Timoth. 2. Unus Mediator Dei & hominum Chriſtus JEſus.* Unus principaliter, qui ſe interpoſuit in reconciliationem hominis cum Deo. 4. Redemptor: Leo Papa *in Serm. de Nativitat. Sicut à reatu neminem liberum reperit, ſic liberandis omnibus venit.* 5. Rex, certò ſpiritualis, *Luc. 1.* probabiliter & temporalis quoad actum primum, titulo unionis hypoſtaticæ; ſic dicitur *Apocalypſ. 19. Rex Regum, Dominus Dominantium*; non quoad actum ſecundum ſeu exercitium: ſic dixit *Joan. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo.* 6. Judex: *Act. 10. Conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* de hoc *Tract. 3. cap. 4.*

CAPUT XIV.
De Adoratione Chriſti & Sanctorum.

Quæ Adoratio competat Chriſto Deo-homini, Cruci ejus, humanitati, & Virgini Deiparæ?

ADoratio triplex eſt, ſcil. Latriæ, Hiperduliæ, Duliæ: Prima eſt cultus ob alterius excellentiam ſupremam ſeu increatam; ſecunda ob excellentiam creatam ſupernaturalem extraor-

traordinariam; tertia ob ordinariam scilicet gratiæ & gloriæ. Christus Deus-homo est adorandus adoratione Latriæ. *Concil. Ephes. can. 4. Deitas & humanitas unum constituunt compositum Theandricum, adorabile una adoratione,* ut definit *Synod. V.* ergo & humanitas coadoratur, non quasi motivum adorationis, quod sola Deitas, sed terminus ejus; sicut enim totus homo, consequenter & corpus animæ unitum terminat cultum Duliæ; sic humanitas Christi, ut unita Verbo Divino, terminat adorationem Latriæ. Eâdem, sed respectivâ scil. transeunte ad Christum, adorantur ejus Crux, Reliquiæ & Nomen JEsu. Humanitas verò secundùm se spectata adorari potest solùm adoratione Hiperduliæ, similiter & Virgo Deipara: Hæc propter Maternitatem Divinam, illa propter unionem hypostaticam.


Quo cultu colantur Sancti, Reliquiæ & Imagines?

Sancti in cœlo piè coluntur cultu Duliæ & quidem absoluto, Reliquiæ & Imagines respectivo. *Trid. Sess. 24.* Quia in Sanctis est dignitas & excellentia intrinseca, in Reliquiis & Imaginibus extrinseca.

An liceat Sanctos invocare?

Bonum & utile est, Sanctos invocare. *Trid. citat.* Etenim intercessione sua juvare nos & possunt & volunt. S. Hieron. contra Vigilant. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore potue-

rint orare pro cæteris, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? At unde sciunt preces nostras? Audi S. Gregor. *2. dial. 33. In illa æterna felicitate omnes communi claritate Deum respiciunt; quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt.* Audi S. Bernard. *5. de Consid. c. 1. Beati vident Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* Hoc caro factum sit nobis Verbum oris, ut loquamur; Verbum cordis, ut diligamus; Verbum mentis, ut credamus, postea visuri.



TRACTATUS XVII.
Ex Libro IV. Sententiarum de Sacramentis.
CAPUT I.
De Quidditate & Numero.
Quid sit Sacramentum?

SAcramentum est signum sensibile gratiam Dei ex divina institutione efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Scotus 4. d. 1. Vel cum S. Aug. *Est invisibilis gratiæ signum visibile.* Ratio est: *quia per Sacramentum nihil aliud intelligitur, quàm signum sensibile seu ritus externus, à Deo institutus, ad conferendum efficaciter gratiam ex Meritis Christi.*

An fuerit Sacramentum in Lege naturæ & veteri?

In Lege naturæ & veteri fuit unicum, quod cum modernis univocum, nempe remedium contra peccatum originale; idque in lege naturæ fuit externa fidei protestatio in venturum Messiam; In lege veteri fuit Circumcisio pro masculis. Mastrius *d. 1. q. 1.* quia Deus volens omnes homines salvos fieri, nunquam parvulos reliquit sine remedio contra peccatum originale. Hoc autem remedium fuit verum Sacramentum: *quia contulit gratiam ex meritis Christi prævisis, independenter à dispositione suscipientis & ministrantis.*

Quot sint Sacramenta in Lege nova?

In Lege nova sunt septem, quæ enumerat *Concilium Florentin.* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. vide *Controvers. c. 4. controvers. 4.*

CAPUT II.
De Materia & Forma.

Ex quibus perficiantur Sacramenta?

SAcramenta tribus perficiuntur: Rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & Personâ Ministri cum intentione. *Concil. Florent. in Decret.*

Quid sint Materia & Forma?

Materia alia est remota, alia proxima: Remota est res, quæ applicatur, proxima est illius

applicatio, v. gr. in Baptiſmo materia remota eſt aqua, proxima eſt ablutio. Forma ſunt Verba Miniſtri. Res & verba in Sacramentis vocantur materia & forma per reſpectum ad materiam & formam phyſicam; ſicut enim hæc materiam indifferentem determinat ad tale compoſitum phyſicum; Sic verba Miniſtri cum intentione prolata determinant rem v. gr. ablutionem ad conſtituendum Sacramentum, velut compoſitum morale. Non tamen ad quodlibet Sacramentum requiruntur res & verba propriè, ut ſuo loco.

An materia & Forma conſtituant Sacramenta intrinſecè?

Sic conſtituunt conſiſtentia in uſu: *quia Sacramentum verè conſtituunt in eſſe tali, ſeu morali; ſicut materia & forma phyſica compoſitum in eſſe phyſico.* Sola Euchariſtia non componitur intrinſecè ex materia & forma: *quia his tranſeuntibus, ipſa permanet.*

An liceat materiam & formam mutare aut ſeparare?

Non licet: *quia materiâ & formâ ſubſtantialiter mutatis, aut moraliter non conjunctis, nullum efficitur Sacramentum.* T T. Omnes.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Mutus nullum poteſt miniſtrare Sacramentum, niſi matrimonium; *quia hoc utpote con-*

contractus, perfici potest signis; cætera perfici debent verbis strictè dictis.

Coroll. 2. Sacrilegium committit, qui materiam vel formam adhibet dubiam aut probabilem: *quia Sacramentum exponit periculo nullitatis.* Item qui super eandem materiam repetit formam; Secus, si præ anxietate unum vel alterum verbum. Excusatur uterque, si fiat in necessitate sub conditione. Bosco ex communi.

Coroll. 3. Valet Sacramentum, si mutatio materiæ aut formæ sit accidentalis, ut 1. Si in forma mutetur idioma vel ex toto vel ex parte. 2. Si verba mutentur in Synonima. 3. Si transponantur, aliqua addantur, aut subtrahantur, manente eodem substantialiter sensu. 4. Si forma parum interrumpatur, v. gr. per Sternutationem. 5. Si error committatur Grammaticalis. Ratio omnium: *quia manent quoad substantiam materia & forma.* Mutatio accidentalis peccatum est vel M. vel V. pro mutationis qualitate, substantialis verò est peccatum semper M. *quia invalidum reddit Sacramentum.*

Coroll. 4. Peccat M. qui Baptizans priùs abluit, postea pronunciat formam, vel è contra: *quia Baptismus dubius, imò invalidus* juxta Cajet. Navarr. applicantes hoc ipsum Sacramentis Confirmationis, Ordinis & extremæ Unctionis. In pœnitentia differri potest absolutio, sicut in aliis Judiciis; In matrimonio, sicut in contractibus, consensus unius tamdiu sequi potest consen-

ſenſum alterius, quamdiu hic moraliter permanere cenſetur.

CAPUT III.

De Sacramentorum Miniſtro.

Quis ſit Sacramentorum Miniſter?

SAcramentorum Miniſter regulariter eſt ſolus homo viator. D. Th. *p. 3. q. 64.* non quilibet omnium. *Trid. Seſſ. 7. can. 10.* & patet in Sacramento Euchariſtiæ & Pœnitentiæ.

Quid requiratur, ut validè & licitè miniſtret?

Ut validè miniſtret, requiritur in eo intentio ſaltem virtualis faciendi, quod facit Eccleſia, non verò fides. *Trid. citat. c. 11.* Intentio autem virtualis eſt actualis, phyſicè præterita, in Actibus ab ea procedentibus virtualiter permanens. Ut licitè miniſtret, requiritur ex parte Miniſtri conſecrati ſtatus gratiæ; ex parte ſubjecti dignitas, niſi indignitas ſit nota ex confeſſione, vel occulta, & Sacramentum petatur publicè. *Rituale Roman.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Invalidè adminiſtratur Sacramentum 1. A puero, amente, ebrio, etiamſi hic ante ebrietatem habuerit voluntatem adminiſtrandi: *quia adminiſtratio debet eſſe actus humanus, adeoque ab habente uſum rationis.* Validè tamen in ebrie-

ebrietate vel amentia recipit Baptismum, qui antea petiit *c. maj. de Bapt.* 2. A non ordinato, præterquàm Baptismus & Matrimonium. 3. Ab habente intentionis formaliter contrarias: ut si velit baptizare, non autem conficere Sacramentum, Bosco. 4. Si intentio sit retractata, vel per actiones impertinentes interrupta: tunc enim nec adest virtualis. 5. Si intentio non versetur circa determinatam personam vel materiam; Sufficit tamen, eam dirigi ad materiam vel personam præsentem, quæcunque sit in individuo; & sic validè absolvit, qui pœnitentem putat esse virum, cum sit fœmina; Petrum, cum sit Paulus. Becan. cum *commun*

Coroll. 2. Validè conficitur Sacramentum 1. A distracto: *quia cum distractione stat intentio virtualis.* 2. Sub conditione de præterito vel præsenti, conditione subsistente; solum matrimonium, etiam sub conditione de futuro: *quia consensus in hoc moraliter manet, donec ponatur conditio.* 3. A Baptizante, qui intendit facere, non quod Ecclesia facit Romana, sed quod Calvinistica, putans hanc esse veram: vult enim re ipsa, quod Romana. 4. Ab excommunicato, deposito vel degradato; excipe Sacramentum pœnitentiæ, nisi pœnitens sit in articulo mortis: *quia ad hoc Sacramentum requiritur potestas Jurisdictionis, quam amittunt*; ad alia sufficit potestas Ordinis, quam retinent.

Coroll. 3. Validè sed sacrilegè operantur, si existant in peccato M. 1. Episcopus confirmans

& or-

& ordinans. 2. Sacerdos baptizans, consecrans, absolvens & inungens. 3. Probabiliter Diaconus distribuens Eucharistiam vel solemniter baptizans, Sporer *n. 172.* Et quidem tot numero committunt sacrilegia, quot administrant Sacramenta, interruptis saltem moraliter ministeriis. *Commun. TT.* Indignè distribuens Eucharistiam unicum committit peccatum, quando una est moraliter distributio; idémque de ministro pœnitentiæ plures successivè absolvente sentit Sporer *num. 175.* contra varios. Sed

Quid facient præfati, ut dignè ministrent? ℞. Celebraturus obligatur ad Confessionem *ex Trid. Seſſ. 13. c. 7.* nisi desit copia confessarii, & necessitas postulet celebrare: tunc enim sufficit elicere contritionem cum proposito proximè confitendi. Aliud Sacramentum administraturus tenetur vel confiteri, quod consultius, vel perfectam elicere contritionem: *quia sic ponitur in statu gratiæ.*

Coroll. 4. Non operantur sacrilegè, quamvis sint in statu peccati: 1. Episcopus consecrans Templum, calicem &c. 2. Diaconus & Subd. ministrantes in ordinibus suis. 3. Laicus baptizans; oppositum tamen docent Vasq. & nonnulli. 4. Contrahens matrimonium, ut minister. 5. Parochus conjungens matrimonio. *Commun.* quia non conficit Sacramentum, sed contrahentes.

Coroll. 5. Cooperatur formaliter peccato, qui Eucharistiam dat peccatori occultè petenti, vel publi-

publicè petenti hoſtiam non conſecratam, tametſi ex conventione: *quia poteſt & debet negare;* Pœnitente tamen indiſpoſito, fingere oportet abſolutionem, dando benedictionem; ne indiſpoſitio ejus innoteſcat circumſtantibus. Sbogar. 2. Qui indigno adminiſtrat aliquod Sacramentum: eſt enim cauſa ſacrilegii, ſaltem externi; excipe contrahentem matrimonium cum exiſtente in peccato: *quia ad eum non pertinet, recognoſcere de gratia & diſpoſitione alterius contrahentis.*

CAPUT IV.

De Sacramentorum ſubjecto.

Quis poſſit ſuſcipere Sacramentum?

SOlus homo viator capax eſt Sacramenti ſuſcipiendi, non quilibet cujuslibet. Gob. *num.* 225. quia Sacramenta ſunt inſtituta pro hominibus, non tamen omnia pro quolibet, ut patet in non baptizato & fœmina.

Quid requiratur, ut validè & licitè ſuſcipiat?

Ut validè ſuſcipiat: requiritur in adulto rationis compote intentio ſaltem habitualis; quæ eſt intentio actualis actu & virtute præterita, ſed non revocata. Ut licitè ſuſcipiat: requiritur in ſuſcipiente Sacramentum vivorum ſtatus gratiæ, qui pro Euchariſtia obtinendus per Confeſſionem, *Trid. citat.* pro aliis per Confeſſionem vel contritionem. Layman.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Parvuli & perpetuò amentes validè recipiunt Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, & probabiliter Ordinem. *Cur non?* intentio non requiritur.

Coroll. 2. Invalidè Sacramentum recipit adultus: 1. Qui habet voluntatem non recipiendi. 2. Qui nullâ ratione unquam petivit. 3. Qui ſe habet tantùm negativè: quia non adeſt intentio.

Coroll. 3. Validè verò recipit: 1. Qui in Sacramentum conſentit ex metu, aliàs non conſenſurus. 2. Moribundus, qui Sacramenta non petiit, niſi implicitè, Chriſtianè vivendo. 3. Judæus morituriens baptizatur validè, tametſi priùs contradixerit; dummodò habeat attritionem & propoſitum ſervandi neceſſaria ad Beatitudinem, Gobat *Tr. 1. ſect. 6.* quia in omnibus illis ſufficiens adeſt intentio.

Coroll. 4. Illicitè Sacramentum ſuſcipit: 1. Qui cum obice, idque quoad Sacramenta vivorum eſt peccatum M. 2. Qui petit à Miniſtro indignè miniſtraturo; excipe caſum neceſſitatis & magnæ utilitatis; imò in neceſſitate extrema licitùm eſt ſaltem Baptiſmum, Abſolutionem, & probabiliter viaticum petere à Miniſtro, aliàs non tolerato. Navarr.

CAPUT

CAPUT V.

De Effectu Gratiæ.

Quid Gratia habitualis prima, & quid secunda?

QUid Gratia ſit, quid habitualis & actualis, vid. *ſupra Tractat. de Grat. c. 1.* Habitualis prima dicitur, quæ infunditur homini nullam gratiam ſanctificantem habenti; Secunda verò dicitur, quæ confertur homini in gratia jam exiſtenti.

Quæ dicantur & ſint Sacramenta mortuorum, & quæ vivorum?

Sacramenta mortuorum dicuntur, quæ ſuſcipi poſſunt à peccatore, utpote ſpiritualiter mortuo; & ſunt Baptiſmus & Pœnitentia. Vivorum dicuntur, quæ petunt ſuſcipi in ſtatu gratiæ; & ſunt Confirmatio, Euchariſtia, Extrema Unctio &c.

An & unde Sacramenta conferant gratiam?

Sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato, hoc eſt, vi inſtitutionis & meritorum Chriſti. *Trident. Seſſ. 7. can. 5.*

Quam conferant gratiam?

Baptiſmus & Pœnitentia conferunt per ſe gratiam habitualem primam, per accidens conferunt ſecundam; omnia æqualiter diſpoſitis æqualem, inæqualiter diſpoſitis inæqualem, om-

S nibus

nibus insuper suo tempore gratias actuales, nimirum auxilia divina ad finem, cuique Sacramento proprium vel obtinendum, vel conservandum: Sic Baptismus confert gratiam ad Christianè vivendum, Confirmatio ad resistendum tentationibus contra fidem, *ex communi.*

Coroll. Qui invincibiliter ignorans, se esse in peccato, vel erroneè putans se absolutum, cum attritione accedit ad Eucharistiam; aut cum contritione putata, quæ tamen attritio, ad aliud Sacramentum vivorum, accipit per accidens gratiam primam & justificatur. *DD. communiter.* quia talis, quantum potuit & nunc debuit, removit obicem; estque dispositus ad gratiam accipiendam. E contra Sacramenta mortuorum per accidens conferunt gratiam secundam, si nempe accedens acceperit gratiam primam per contritionem.

CAPUT VI.

De Sacramentorum Reviviscentia.

Quid sit Sacramentum reviviscere?

Est conferre effectum gratiæ, quem in actuali sui susceptione non contulit propter indispositionem suscipientis.

Quænam Sacramenta reviviscant?

Baptismus validè sine effectu susceptus, ad eum reviviscit sublato obice. S. Aug. *l. 1. de Bapt. c. 12.* Idem probabiliùs est de Confirmatione,

tione, Ordine, extrema Unctione & Matrimonio, S. Bonav. quia congruit bonitate Dei, ut si Sacramentum non iterabile sit receptum sine fructu, postea ablato obice homo percipiat fructum ejus, aliàs nunquam eum, qui tamen necessarius, percepturus.

Quando Sacramentum suscipiatur cum obice?

Suscipitur Sacramentum cum obice & quidem positivo, quando suscipiens scit, se ad effectum Sacramenti esse indispositum; cum negativo, quando putat se dispositum & non est.

Coroll. In peccato M. confirmatus, ordinatus &c. Si contritus fuerit vel absolutus, consequitur gratiam Confirmationis, Ordinis &c.

CAPUT VII.
De Charactere.

Quæ Sacramenta imprimant Characterem, quid sit, & efficiat?

BAptismus, Confirmatio & Ordo in anima imprimunt Characterem, hoc est, signum spirituale & indelebile; unde nequeunt iterari. *Trid. Sess. 7. can. 9.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ista Sacramenta etiam sacrilegè, sed validè suscepta, imprimunt Characterem; hujus enim non datur obex: *quia non est gratia san-*

ctificans, sed solùm signum Sacramenti suscepti cum peccato mortali compatibile.

Coroll. 2. Sacrilegium est, iterare Baptismum, Confirmationem vel Ordinem. In dubio tamen de Baptismi vel Sacerdotii valore, iterari debent sub conditione.

Coroll. 3. Sacerdos resuscitatus ad vitam mortalem non esset denuò ordinandus; Conjuges verò resuscitati, non essent conjuges sine novo matrimonio, Sporer *num. 64.* nam horum vinculum manet tantùm usque ad mortem, istius Character semper.



TRACTATUS XVIII. De Baptismo.

CAPUT I. De ejus Quidditate & Materia.

Quid Baptismus?

BAptismus est Sacramentum Regenerationis per aquam in verbo vitæ. *Catech. Rom.* Sic breviter exprimitur effectus ejus, materia & forma.

Quæ materia Baptismi?

Materia ejus remota est aqua vera & naturalis. *Trid. in Sess. 7. can. 2.* sumitur ex *Joan. 3.* Nisi quis

quis renatus fuerit ex aqua &c. Materia proxima est ablutio consistens formaliter in fluxu aquæ supra corpus baptizandi, facto à baptizante. Scot. *4. d. 3. q. 3.* quia materia proxima est applicatio remotæ; hæc autem in Baptismo est ablutio.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Valet Baptismus in aqua marina, pluviali, fontana, sive dulcis sive salsa. Item in aqua resoluta ex nive, glacie, grandine. Item in aqua adhærente fenestris: quia sunt aqua naturalis.

Coroll. 2. Non valet Baptismus: 1. In aqua artificiali, quæ ex floribus vel herbis distillatur. 2. In humoribus naturalibus, quales sunt sputa, sudores, lacrymæ, sanguis; item succi arborum. 3. In mixtis, ut vino, lacte, oleo. Becan. quia non sunt aqua naturalis.

Coroll. 3. Dubius est Baptismus in jusculo vel cerevisia tenui, lixivio, aqua resoluta ex sale; item juxta aliquos in aqua ex arboribus, & herbis, sive defluente sive distillata, quia sunt materia dubia. Hæc in necessitate debet adhiberi sub conditione, & taliter baptizatus habitâ materiâ certâ est sub conditione rebaptizandus.

Coroll. 4. Nullus est Baptismus: 1. Si aqua tantùm attingat vestes baptizandi. 2. Si quis unâ vel alterâ guttâ aspergatur, eáque sistat & non defluat: *quia non est lotio.* 3. Si unus proferat formam & alter abluat: *quia falsificatur forma.*

Coroll. 5. Dubius est Baptismus ob probabilem utrimque sententiam: 1. Si tantùm abluta sit pars minùs principalis, v. gr. manus vel pes; aut tantùm capilli sint tincti. 2. Si infans adhuc involutus sit secundinæ. 3. Si abluatur adhuc existens in utero, nondum natus. In praxi ablui debet caput trinâ aquæ Baptismalis affusione. *Agenda.*

CAPUT II.

De Forma Baptismi.

Quæ sit Forma Baptismi, & quæ verba essentialia, sive necessitate Sacramenti exprimenda?

FOrma apud Latinos est: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* apud Græcos: *Baptizetur talis Servus Christi in nomine Patris &c. Concil. Flor.* In utraque exprimi debent necessitate Sacramenti: 1. Persona baptizantis saltem implicitè: *quia ablutio fieri debet à pronunciante formam, ergo is aliquo modo exprimi.* 2. Persona baptizandi per Pronomen Te, vel æquivalens: *quia exprimi debet, quis baptizetur;* Sicut in Pœnitentia, quis absolvatur. 3. Actio baptizantis per verbum *Baptizo* vel Synonimum: patet *ex hac proposit. damnata ab Alexandro VIII.* Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *in nomine Patris . . .* omissis verbis: *Ego te baptizo.* 4. Unitas Divinæ Naturæ per voces: *in nomine.* 5. Trinitas Personarum sub propriis nominibus *Patris & Filii &*

Spiritûs Sancti; quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, adeoque præcipuum fidei objectum clarè in eo exprimendum.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Invalidus eſt Baptiſmus ſub his formis: 1. Chriſtus te baptizat. 2. Ego te baptizo in nominibus &c. 3. Ego te baptizo in nomine Chriſti Sub hac tamen ultima valuiſſe in principio Eccleſiæ cenſent *DD. noſtri Seraph. & Subtilis cum Angelico q. 66. a. 6.* imo an hodie valeat, indeciſum relinquit Sannig. *d. 2. q. 9.*

Coroll. 2. Dubius eſt Baptiſmus ſub his formis: 1. Te baptizo nomine Patris &c. 2. In nomine Genitoris &c. 3. In nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritûs Sancti. Valet Baptiſmus, ſi ter repetatur forma tota cum triplici affuſione; Sed ſecunda repetitio eſt iteratio Baptiſmi & ſacrilega.

CAPUT III.

De Miniſtro.

Quis baptizet validè? quis licitè?

VAlidè baptizat, adhibitis adhibendis, omnis homo ratione utens; licitè extra caſum neceſſitatis ſolus Sacerdos, habens Jurisdictionem, & ex commiſſione Diaconus; in caſu autem neceſſitatis omnis, qui poteſt validè, baptizat licitè; ſervandus tamen eſt ordo: ita ut cæteris paribus Clericus præcedat Laicum,

vir mulierem, fidelis infidelem. *Commun. ex Flor.* quod in Decreto *Unionis* de Armenis ita habet: in casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest. Ratio est: quia postulat maxima Baptismi necessitas.

Coroll. Illicitè baptizat, quamvis validè: 1. Parochus sine licentia infantem alterius Parochiæ. 2. Baptizans extra Ecclesiam, exceptis Regum & Principum liberis. Hen. *ex Concil. Vien.* 3. Pater extra necessitatem baptizans vel suscipiens prolem propriam. *c. dictum. 30. q. 1.* qui & privatur jure petendi debitum, ut docet Sanch. excusat Marchant. si interveniat ignorantia Juris aut facti. 4. Unus extra necessitatem baptizans simul plures, & plures simul baptizantes unum. Scot. *d. 6. q. 2.* 5. Laicus baptizans præsente Sacerdote, quamvis cedente, & probabiliter etiam præsente Diacono. In reliquis inversio ordinis non est mortalis, imò per accidens licita: ut si obstetrix præferatur Patri vel viro rudi, aliquando etiam docto, dum non decet hunc ad parientem ingredi.

CAPUT IV.
De Subjecto Baptismi.

Quodnam Subjectum Baptismi?

BAptismi subjectum est omnis homo viator, nondum baptizatus; patet ex verbis Chri-

ſti ad Apoſt. *Marci 16. Prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos &c.*

Quid in eo requiratur?

In adulto ad effectum Baptiſmi requiritur fides actualis, *Actorum 8.* Et ſi in peccato ſit perſonali M. actualis pœnitentia, ſaltem attritio, *ex Trid. Seſſ. 14. c. 1.* Unde adultus, qui non credit, volens tamen baptizari, vel de peccatis non dolet, baptizatur quidem validè, ſed absque fructu.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Validè & licitè baptizantur: 1. Parvuli & perpetuò amentes, *Trid. Seſſ. 7. can. 2.* 2. Abortus dans ſigna reſpirationis. 3. Proles infidelium in articulo mortis, vel ſi unus Parentum aut proles ipſa petat. *Commun.* imò etiam extra articulum mortis & ſine conſenſu Parentum; quia nec Baptiſmo formalis fit irreverentia, nec proli injuria; ſit, quod fortè non vivet Chriſtianè, cui nocebit? *Aretinus.*

Coroll. 2. Baptizari debent ſub conditione: 1. Infans, de cujus vita, & monſtrum, de cujus humanitate dubitatur. 2. Puer nondum natus, ſi poſſit in ſe ablui. 3. Expoſititius ſine certo indicio, quod ſit Baptizatus. 4. Baptizatus in neceſſitate; Si de Baptiſmi valore ullum oriatur dubium.

CAPUT V.

De Baptiſmi neceſſitate.

Quid Baptiſmus Fluminis, Flaminis, & Sanguinis?

BAptiſmus fluminis ſeu aquæ eſt deſcriptus *ſupra c.1.* Baptiſmus fluminis eſt Baptiſmus fluminis in voto cum contritione. Baptiſmus ſanguinis eſt Martyrium cum voto ſaltem implicito Baptiſmi flaminis.

An & qualiter Baptiſmus Fluminis neceſſarius?

Baptiſmus fluminis eſt ad ſalutem neceſſarius, *de Fide*; & quidem neceſſitate medii, parvulis extra caſum Martyrii in re, adultis in re vel in voto. *Commun.* Ex illo *Joan. 3. Niſi quis renatus fuerit &c.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Delinquunt M. 1. Parentes, non procurantes aut diu differentes, proles ſuas baptizari. Quod ſi mater ſit vicina morti, non poteſt niſi poſt mortem exſcindi infans & baptizari. Becan. ex D. Thom. quia inſontem non licet directè occidere, ut eveniat bonum. 2. Adultus Baptiſmum differens ſine cauſa.

Coroll. 2. Baptiſmus flaminis ſive contritio cum voto Baptiſmi & ſanguinis ſive Martyrium, ſupplere poſſunt effectum gratiæ Baptiſmi fluminis, & quidem Martyrium ex opere operato, quod

quod in adulto mortaliter lapſo requirit ſaltem attritionem per modum diſpoſitionis. Becan. *c. 11.* Quia contritio perfecta juſtificat, ut docet *Trid. Seſſ. 14. c. 4.* Item juſtificat Martyrium, ut colligitur ex Feſto Ss. Innocentium pro Chriſto occiſorum, quorum multi, qui nondum erant circumciſi, non aliter quàm per Martyrium ſunt juſtificati.

CAPUT VI.

De Effectibus Baptiſmi.

Qui ſint Effectus Baptiſmi?

EFfectus Baptiſmi ſunt 1. Gratia ſanctificans cum habitibus fidei, ſpei & charitatis. 2. Remiſſio culpæ tum originalis, tum actualis ante commiſſæ. 3. Remiſſio totius pœnæ. 4. Character. 5. Subjectio in Eccleſia. *de Fide ex Concil. Flor. in Decreto Eugenii. & Trid. Seſſ. 5. can. 5.* Manent tamen in baptizatis pœnalitates, nempe paſſio corporis, dolores, ægritudines &c. quæ non immediatè ex peccato, ſed ex ipſa natura corrupta poſt amiſſam juſtitiam originalem ſequuntur.

Coroll. Eccleſiæ præcepta obſervare tenentur quicunque Baptizati, ſive Orthodoxi ſint, ſive hæretici. *Trid. Seſſ. 7. de Bapt.* Unde hæretici formales peccant, tranſgrediendo præcepta vel præceptum Eccleſiæ.

CAPUT

CAPUT VII.
De Patrinis.

Quis Patrinus?

EST ille, qui Baptizatum tenet vel levat de fonte baptiſmali, eúmque ſuſcipit Chriſtianè inſtruendum.

An neceſſarius?

In Baptiſmo ſolemni adhibendus eſt Patrinus; ſufficit unus, quamvis poſſint eſſe unus & una, nempe Patrinus & Matrina, non plures. *Trident. Seſſ. 24. c. 2.*

Inter quos Cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo?

Patrini, ſicut & Baptizans contrahunt cognationem ſpiritualem cum baptizato, ejúsque Parentibus, & hi cum illis; non autem Patrini inter ſe, neque cum baptizante. *Trident. citat.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ut quiſpiam ſit validè Patrinus, requiritur 1. Uſus Rationis. 2. Animus obeundi munus Patrini. 3. Ut ſit baptizatus. 4. Ut ſit deſignatus à Parentibus, vel his deficientibus à Parocho, *Trident. citat.* 5. Ut in ipſo Baptiſmo baptizatum teneat, vel tangat, vel de manu baptizantis immediatè ſuſcipiat ſive per ſe, ſive per Procuratorem. *Communis.*

Coroll. 2.

Coroll. 2. Validè ſed illicitè eſt Patrinus 1. Incapax inſtruendi baptizatum. 2. Hæreticus aut moribus infamis; licitè tamen Catholicus ſuſcipit prolem hæretici. Catholicum admittit ſpes prolem, quæ baptizatur, convertendi; hæreticum arcet periculum, eam pervertendi; In Germania tamen conſuetudo hinc inde obtinet contrarium. 3. Monachi & Sanctimoniales, *c. non licet. d. 4. de Conſ.* excipit Gloſſa *in caput: Statutum. 18. q. 1.* Religioſos Epiſcopos, & conſuetudo, ubi viget, Abbates.

Coroll. 3. Peccant M. 1. Parochus ſolemniter baptizans, non adhibito Patrino 2. Parochus plures admittens Patrinos, quàm unum & unam; illi tamen plures, ſi deſignati, contrahunt cognationem ſpiritualem. Henno *ex Declar. Card.* 3. Admittens duos Patrinos ejusdem ſexûs, Bonac. contra Sanch. 4. Patrinus Filiaſtrum non inſtruens in fide & moribus, niſi ſuppleatur ab aliis. 5. Patrinus fornicans cum prole ſuſcepta, qui committit inceſtum; idemque eſt de aliis, inter quos Cognatio ſpiritualis.

Coroll. 4. Cognationem ſpiritualem contrahit baptizans etiam in neceſſitate, Gob. *num. 578.* non verò in neceſſitate ſuſcipiens, aut quando ſupplentur Cæremoniæ. Sanchez apud Herinx *d. 7. q. 31.*

TRA-

TRACTATUS XIX.
De Confirmatione.
CAPUT I.
De ejus Quidditate, Materia, & Forma.

Quid Confirmatio?

CONfirmatio eſt Sacramentum, probabiliùs in Cœna Domini inſtitutum, quo baptizatus inungitur in fronte unctione Chriſmatis ſub præſcripta verborum forma ad fidei robur conſequendum. Scot. *4. d. 7. q. 1.* Eſſe Sacramentum, eſt de fide *in Trid. Seſſ. 7. can. 1.* & ſumitur ex illo *Actor. 8. Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Quæ materia ejus & forma?

Materia remota eſt ſacrum Chriſma ex oleo olivarum & balſamo, ab Epiſcopo benedictum; Proxima eſt unctio in fronte in formam crucis facta pollice confirmantis. Forma in Eccleſia latina hæc eſt: Signo te ſigno crucis & confirmo te Chriſmate Salutis in nomine Patris &c. *ex Florentino.*

Coroll. Non conficitur Sacramentum: 1. Si non adhibeatur Chriſma. Apoſtolos tamen hoc Sacramentum ſine Chriſmate per nudam manuum impoſitionem contuliſſe ex diſpenſatione Chriſti admittit D. Bon. 2. Si Chriſma non

non ſit benedictum. An verò ſufficiat eſſe benedictum à Presbytero ex commiſſione Papæ, multi cum Scoto affirmant, multi negant. 3. Si Unctio non fiat in fronte: *quia ſic ſentiunt P P.* in fronte enim ſedes eſt verecundiæ ad confitendum fidem; vel non fiat in modum crucis: *quia non verificaretur forma*; vel non fiat pollice aut ſaltem alio digito: *quia non adeſſet manûs impoſitio, quæ ſit Chriſmatione.*

CAPUT II.
De Miniſtro & Subjecto.

Quis Miniſter Confirmationis?

MIniſter ordinarius Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus, de fide *ex Trid. Seſſ. 7. can. 3.* Extraordinarius ex commiſſione ſolius Pontificis eſt quivis Sacerdos, colligitur *ex Trid. citat.*

Quodnam Subjectum ejus?

Subjectum eſt omnis homo baptizatus, nondum confirmatus; etiam infans. Habere debet Patrinum vel Matrinam. *c. 100. d. 4. de Conſ.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Epiſcopus illicitè confirmat: 1. In aliena diœceſi, etiam ſibi ſubditos, *Trid. Seſſ. 6. c. 5.* 2. In propria diœceſi ſubditos alterius Epiſcopi ſine hujus licentia, ſufficit tamen præſumpta.

Coroll. 2.

Coroll. 2. Invalidè confirmatur, qui nondum baptizatus, vel jam confirmatus: *quia Baptiſmus eſt Sacramentorum janua, & Confirmatio nequit iterari;* illicitè verò confirmatur: 1. Exiſtens in peccato M. 2. Non habens Patrinum; excuſat tamen difficultas nanciſcendi, Gobat. *num.* 780. Infantes ante ſeptennium confirmari non expedit, ut docet *Catechiſmus Concil. Trident.* niſi per accidens: quando Epiſcopus raró confirmat in tali loco, vel quando talis viget uſus.

Coroll. 3. Circa confirmandi Patrinum præter dicta de Patrinis in Baptiſmo requiritur 1. Ut ſit unus vel una, *c. fin. de cogn. Spir. in 6to.* tutò admitti unum & unam conformiter Baptiſmo cenſet Gobat. 2. Ut ſit confirmatus. *Pontif. Rom.* 3. Ut ſit diſtinctus à Patrino Baptiſmi, ſaltem extra neceſſitatem, *c. in Catech. d. 4. de Conſ.* 4. Ut non ſit monachus. *c. placuit.* 6. *q.* 1. niſi confirmandus ſit monachus.

CAPUT III.

De Confirmationis Effectibus & Neceſſitate.

Qui ſint Confirmationis Effectus?


EFfectus ſunt 1. Gratia tum habitualis magis ſanctificans, tum actualis confortans in fide. *Con. Flor.* 2. Character. *De fide.* 3. Cognatio ſpiritualis, quæ eſt ex Conſtitutione Eccleſiæ, aſt confirmantem & confirmatum, illiusque

que Patrem & Matrem ac tenentem non egreditur. *Trident. Seß. 24. c. 2.*

An Confirmatio ad ſalutem neceſſaria?

Confirmatio non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii, neque per ſe præcepti: *quia præceptum non extat;* & ſine ea homo etiam adultus juſtificari, juſtus eſſe, & mori poteſt.

Coroll. Peccat M. hoc Sacramentum reſpuens vel ex contemptu, vel cum gravi ſcandalo; item omittens cum periculo peccandi graviter contra fidem. Gobat. *num. 771.* quia nec contemnere, nec ſcandalum dare, nec periculo contra fidem ſeſe committere licet.



TRACTATUS XX.

De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

De ejus Natura.

Quid ſit Sacramentum Euchariſtiæ?

EUchariſtia eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus Panis & Vini conſecratis. *ex* S. Bon. *d. 8. q. 2.* Inſtitutum eſt à Chriſto in ultima cœna, Lunâ 14. Martii ad veſperam. *Marc. 14.* prout ſignum

est gratiæ substantialis nempe Corporis & Sanguinis Christi, consistit in solis speciebus; ut verò signum gratiæ sanctificantis, consistit in Christi Corpore & speciebus. Scot. *4. d. 8. q. 1.* Quia species solæ significant Corpus & Sanguinem Christi, non solæ causant gratiam Sacramenti. Unde Innocent. III. ait *c. cum Marthæ.* Christi Corpus esse rem Sacramenti respectu specierum, & Sacramentum respectu gratiæ.

An Eucharistia sub duplici specie duplex Sacramentum?

Eucharistia sub duplici specie, si spectetur physicè, est duplex specie Sacramentum; si moraliter ut spirituale convivium, est unum. Scot. *citat.* quia Eucharistia sub duplici specie nempe Panis & Vini confecta importat diversas materias, diversas formas & diversa directè significata; ergo diversa physicè & materialiter sunt Sacramenta. Moraliter verò, sicut cibus & potus, sunt unum spirituale convivium, est unum simpliciter Sacramentum.

Coroll. Eucharistia non est Sacramentum tantùm in usu, *de fide ex Trident.* quia Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia ponuntur vi verborum consecrationis; ergo illis prolatis adsunt, aut certè verba sunt falsa, utpote dicentia, esse Corpus, & non est. Item ante usum & manducationem dixit Christus: hoc est Corpus meum, ergo fuit, & nunc est.

CAPUT II.

De Reali Præſentia.

Quid ſit in Euchariſtia?

SUb ſpeciebus panis & vini conſecratis realiter continetur Corpus & Sanguis Chriſti unà cum anima & Divinitate. *De Fide*, & quidem ſub ſingulis cujusque ſpeciei partibus tum ante diviſionem, ut docent *commun. TT.* Quia Chriſtus in Hoſtia eſt definitivè; totus in tota, & totus in qualibet parte; tum poſt diviſionem, ut definit *Trid. Seſſ. 13. can. 3.*

Quid ſub ſpeciebus Panis? & quid ſub ſpeciebus Vini?

Sub ſpeciebus Panis vi verborum ponitur ſolum Corpus: *quia hoc ſolum verba ſignificant.* Sanguis verò, anima & Divinitas per concomitantiam; *quia Corpori connectuntur.* Sub ſpeciebus vini vi verborum ponitur ſolus ſanguis, reliqua ſimiliter per concomitantiam. Ratio eadem.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. In conſecratione fit converſio totius ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat panis & vini ſpeciebus; quam converſionem Eccleſia appellat Transſubſtantiationem. *Trident. citat. c. 2.*

Coroll. 2. Per Transſubſtantiationem non producitur corpus Chriſti; ſed tantùm, ſubſtantiâ panis & vini deſinente, adducitur præſens: quia

non destruitur, quando destruuntur species; ergo nec producitur, quando consecrantur, sed sufficit adduci.

Coroll. 3. Christus in Eucharistia omnem habet quantitatem, non tamen ejus modum sive extensionem localem; nequit ibidem alterari & pati, neque videri oculo corporeo: quia corpus ibi definitivè & indivisibiliter positum, quod impassibile & non emittit species.

CAPUT III.

De Materia Eucharistiæ.

Quæ Materia Eucharistiæ?

MAteria Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite: iste ad consecrandum Corpus Christi, hoc ad consecrandum sanguinem, *de Fide ex Flor.*

An vino miscenda aqua, eáque convertatur in sanguinem?

Vino consecrando necessitate præcepti Ecclesiastici admiscenda est in calice modicissima aqua. *Trident. Sess. 22. c. 3.* quæ convertitur in sanguinem mediatè, scilicet facta vinum. Ratio: quia hoc solum est materia calicis. D. Thom. Scot. & utriusque Schola.

An & quando materia consecranda debeat esse determinata & præsens?

Materia per intentionem consecrantis debet esse determinata, sensu perceptibilis & moraliter

ter præsens : quia pronomina *Hoc* & *Hic* significant materiam determinatam, demonstrabilem & præsentem.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Materia insufficiens sunt : 1. Panis ex hordeo, avena, fabis &c. sive solis, sive tritico abundè admixtis. 2. Panis ex farina triticea, & lacte vel oleo, butyro, aut simili liquore aquæ, si affusa, prædominante : quia non est usualis. 3. Panis corruptus, placenta, torta, pulmentum &c. *Commun.* Panis ex siligine vel spelta est materia dubia.

Coroll. 2. Quamvis materia sit valida, est tamen prohibita Græcis, panis azymus, Latinis fermentatus, *in Concil. Flor.* etiam ad dandum morituro viaticum. *Commun. contra* Bosco. Peregrinantes tamen se conformare possunt Ecclesiæ, in qua sunt, vel propriæ morem retinere Herinx.

Coroll. 3. Non sunt materia calicis: 1. Sicera, cerevisia, succus ex pyris, aliisve fructibus. 2. Omphacium sive liquor ex uvis immaturis. 3. Lora sive aqua affusa racemis expressis. 4. Acetum. *Commun.* quia non sunt vinum. 5. Vinum in pane imbibitum, Sporer *num. 154.* quia in eo statu non habet rationem potûs.

Coroll. 4. Sunt materia illicita : 1. Vinum congelatum. 2. Aromatibus immodicè conditum : *quia consecratio dubia.* 3. Vinum acescens, item mustum ex uvis maturis. Sporer *citat.*

nisi excuset necessitas, aut pro musto in aliquo festo consuetudo.

Coroll. 5. Consecratio est invalida: 1. Si celebrans ex cumulo Hostiarum intendat consecrare decem, non determinatas; aliud est, si putans esse decem, cum sint 12. velit consecrare materiam præsentem. 2. Si Hostiæ sint appositæ, inscio Sacerdote. 3. Si sint in Sacrario clauso, sub Corporali vel pede calicis; Valida tamen est juxta Tambur. dubia juxta de Lugo.

Coroll. 6. Consecratio est illicita: 1. Si celebrans consecret guttas calici adhærentes. 2. Si consecret in vase non sacro. 3. Si Hostiæ sint allatæ post Offertorium; in casu, quo pœnitentes essent dimittendi sine communione, sufficit eas adferri ante consecrationem. Gobat. *num.* 85.

CAPUT IV.

De Consecratione utriusque Materiæ.

An liceat consecrare sub una specie?

Consecratio utriusque materiæ non est de necessitate Sacramenti; unde enim essentialis dependentia unius consecrationis ab altera? Sed de necessitate præcepti tum Divini. *Luc.* 22. tum Ecclesiastici, *c. comperimus. d.* 2. *de consecrat.*

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Valida est consecratio Hostiæ sine consecratione calicis, sed mortaliter illicita, nisi physica vel moralis superveniat impotentia; ut si in sumptione calicis gustetur aqua, & vinum nequeat haberi, aut si celebranti immineat vitæ periculum ex ruina templi, incendio, vel incursu hostium.

Coroll. 2. Celebrans post consecrationem Hostiæ advertens se non jejunum, tenetur pergere; advertens in sumptione aquam, tenetur de novo consecrare vinum, si autem non possit perficere sacrificium factus infirmus post consecrationem, substitui debet alius, qui jejunus, & in hujus defectu non jejunus. *Rubrica Miss.*

CAPUT V.

De Forma Consecrationis.

Quæ sit Forma Consecrationis?

FOrma Consecrationis est duplex; Prima Hostiæ: *Hoc est enim Corpus meum.* Secunda Calicis: *Hic est enim calix Sanguinis mei &c. de Fide.*

Quomodo Forma Consecrationis pronuncianda?

Pronunciari debet in Persona Christi; aliàs non significatur Corpus & Sanguis Christi, & quidem non solùm recitativè, ut placuit Durando; neque solùm significativè, ut contendit Vasq. sed recitativè & significativè simul & qui-

dem practicè; hoc eſt: ut conſecrans recitet verba Chriſti, eísque velit efficere, quod ſignificant. Hos autem ſenſus ſufficientiſſimè habet Sacerdos, ſi intendat facere, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit, Sporer *num. 197.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Conſecratio eſt invalida: 1. Si dicatur: Hoc eſt Corpus Chriſti; *quia non profertur in Perſona Chriſti.* 2. Si per pronomina HOC & HIC intelligatur ſubſtantia panis & vini: Significant enim ex Scoto *d. 8. q. 2.* individuum entis, quod eſt Corpus & Sanguis Chriſti. 3. Si omittatur verbum aliquod eſſentiale, eſſentialia ſunt: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei;* quia aliquo omiſſo non ſignificatur, poni Corpus & Sanguinem Chriſti; ſignificatur autem, omnibus & ſolis poſitis; ergo omnia illa & ſola ſunt eſſentialia.

Coroll. 2. Valida quidem, ſed mortaliter illicita eſt Conſecratio: 1. Si forma calicis mutiletur omittendo: *novi & æterni Teſtamenti &c.* 2. Si unum verbum ſæpius repetatur, diu poſt aliud proferatur; ſi tamen ex ſcrupuloſitate fiat à mortali excuſat Gobat. 3. Si verba proferantur altâ voce, ut audiantur ad 40. paſſus. Gob. *num. 69.* Si verò audiantur ad 6. vel 8. paſſus, damnat peccati venialis, ſi à ſolo Miniſtro, nullius.

CAPUT

CAPUT VI.
De Miniſtro Euchariſtiæ.
Quis ſit Miniſter Conſecrationis? quis Diſtributionis.

CONſecrationis Miniſter eſt omnis & ſolus Sacerdos, *de Fide.* Diſtributionis Miniſter Ordinarius eſt Sacerdos, habens Jurisdictionem ſaltem delegatam aut privilegium. *Trident. Seſſ. 13 c. 8.* quia Conſecratio eſt actus Ordinis Sacerdotalis, diſtributio inſuper actus eſt Paſtoris.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Validè conſecrat Sacerdos, etſi in peccato M. etſi hæreticus, ſuſpenſus, degradatus &c. quia Conſecratio eſt actus poteſtatis ordinis, quam retinet. Item juxta *commun. DD.* plures Sacerdotes conſecrare poſſunt eandem materiam, ſicque probabiliter conſecrant in ordinatione Neomyſtæ.

Coroll. 2. Extraordinariè ex legitima Sacerdotis commiſſione Euchariſtiam diſpenſare poteſt Diaconus, *Concil. Carthag. IV.* In hujus & Sacerdotis defectu etiam Subdiaconum, imò & Laicum, poſſe tum ſibi, tum aliis miniſtrare viaticum ſecluſo ſcandalo, ſententia tuta eſt multorum apud Sporer *num. 308.* contradicunt tamen alii cum Vaſq. & Praxis.

Coroll. 3. Peccat M. 1. Sacerdos miniſtrans Euchariſtiam ſine licentia Paſtoris Ordinarii,

Religiosi insuper incurrunt excommunicationem, *Clement. Religiosi. de Priv.* 2. Parochus non dispensans parochianis, quando rationabiliter petunt, etiam tempore contagionis; nisi petens sit absolutus, & vita Parochi pluribus, aliàs sine absolutione morituris, necessaria.

Coroll. 4. Regulares in suis Ecclesiis toto anni tempore omnibus utriusque sexûs fidelibus dispensare possunt Eucharistiam *ex Privil. Nicolai V. Leonis X.* excipitur Communio Paschalis & viaticum.

Coroll. 5. Regulares dare possunt Communionem etiam tempore Paschali: 1. Quando habent facultatem ab Ordinario vel Parocho. 2. Quando communicans præcepto jam satisfecit, aut adhuc satisfacturus est, vel non potest in propria Ecclesia. 3. Quando Parochus ipse non potest dare, aut injustè non vult. 4. Si communicantes sint advenæ, peregrini, vagi &c. Layman. *tr. 4. c. 7.* Similiter Regulares dare possunt Eucharistiam moribundis, si Parochus dare non possit, aut injustè nolit, vel absens præsumatur consentire. Item si ægrotus viaticum jam sumpserit, vel nondum in eo sit statu, ut sumere teneatur; ast in hoc casu non licet Religiosis Eucharistiam publicè deferre per plateas. Sporer. *num. 314.*

CAPUT

CAPUT VII.
De Suſcipientibus.

Quis poſſit Euchariſtiam ſuſcipere?

QUilibet homo baptizatus capax eſt Euchariſtiam ſuſcipiendi, S. Bon. *d. 12.* quia Euchariſtia ſacramentaliter & ſpiritualiter ſuſcipienda in ſubjecto ſolum requirit Baptiſmum & ſtatum gratiæ; unde & pueri ſuſcipere poſſent, niſi arceret periculum irreverentiæ.

Quid requiratur in ſuſcipiente?

Ut dignè ſuſcipiat, requiritur in eo ex præcepto Divino ſtatus gratiæ per Confeſſionem obtinendus. *1. Corinth. 11.* Ex Eccleſiaſtico jejunium naturale à media nocte, conſiſtens in eo, quod communicaturus omnino nihil ſumpſerit.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Communicans peccat M. 1. Si exiſtat in mortali vel excommunicatione. 2. Si non præmittat Confeſſionem, ſciens ſe eſſe in M. *Omnes.* Vel de hoc dubitans; *plerique contra nonnullos.* 3. Si ante Communionem recordetur peccati in Confeſſione obliti; idque, dum poteſt, non confiteatur. *Commun. contra paucos.*

Coroll. 2. Solùm contritus accedit licitè, ſi deſit Confeſſarius & celebrandi adſit neceſſitas, celebransque poſtea quàm primùm confiteri proponat. *Trid. Seſſ. 13. c. 7.* Confeſſarius deeſt, ſi abs-

ſi absque gravi incommodo nequeat adiri aut advocari, vel illi, qui ſolus præſens, fieri confeſſio. Item ſi habeas peccatum reſervatum & nullum aliud mortale, præſens autem Confeſſarius te non poſſit abſolvere; *Ledeſma.* Neceſſitas cenſetur urgere, quando communicandus moribundus, vel populus tenetur audire ſacrum; & quoties ſine ſcandalo vel injuſtitia ſacrificium nequit omitti. *Commun.*

Coroll. 3. Non ſolvitur jejunium: 1. Si deglutiantur lapis, lignum, vel ſimile quid indigeſtibile; Item ſaliva, aut ſanguis ex gingiva, non verò ex digito. 2. Si Muſca, pulveres Tabaci, aqua Hungarica &c. deglutiantur cum aëre per reſpirationem. 3. Si quis ex lotione oris, aut maſticatione aromatum parum deglutiat per modum unius cum ſaliva. *Commun.*

Coroll. 4. A non jejuno licitè ſumitur Euchariſtia: 1. In articulo mortis per modum viatici; non tamen licet Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum viaticum, ut communis fert ſententia apud Laym. quamvis oppoſitum probabile cenſeant Gobat. aliique plures. 2. Ad perficiendum ſacrificium. 3. Ne Sacramentum profanetur ab hæreticis. 4. Si Sacerdos poſt ablutionem advertat aliquas particulas, vel aliæ Hoſtiæ à ſe conſecratæ nequeant aſſervari.

Coroll. 5. Dubitans, utrum ſit jejunus, celebrare poteſt; vel ſi Laicus, communicare; *ex communiori ſententia multorum contra multos* teſte Sporer *num. 474.* quia poſſeſſio ſtat pro dubitante.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Neceſſitate Euchariſtiæ.

An ſumptio Euchariſtiæ ad Beatitudinem neceſſaria?

SUmptio Euchariſtiæ eſt ad ſalutem neceſſaria, tantùm neceſſitate præcepti, tum Divini, quod obligat omnes, ſed non ſub utraque ſpecie, *Trident. Seſſ. 21. can. 1.* tum Eccleſiaſtici, quod obligat ſolos baptizatos, ubi ad annos diſcretionis pervenerint, ad recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum ſingulis annis, ídque circa feſtum Paſchæ. *c. omnis. de pœnit. & remiſſ.*

Quos, ad quid, & quando obliget præceptum Communionis Divinum?

Præceptum *Joan. 6. Niſi manducaveritis &c.* obligat omnes, etiam infideles: quia eſt univerſale, & ſuſcepto Baptiſmate impleri poteſt. Obligat ad ipſum Sacramentum, non ad modum ſub utraque ſpecie, *Trident. citat.* vide *Controv. cap. 4. controv 6.* obligat in articulo mortis & aliquoties in vita: *quia tunc Euchariſtiæ ſumptio maximè eſt neceſſaria.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Danda eſt Euchariſtia in articulo mortis, in Paſchate, imò ſæpius, ſemifatuis, Energumenis, ſurdis & mutis, Epilepticis: ſi non appareant indiſpoſiti & abſit periculum irreve-

reverentiæ. Neganda verò pueris & perpetuò amentibus, atque illi, qui in voluntaria ebrietate incurrit periculum mortis. Gobat.

Coroll. 2. Est P. M. 1. Si viaticum non sumat moribundus, tametsi ante octiduum communicâsset, Gob. contra Tambur. 2. Si non rursus communicet, qui viaticum sumpsit sacrilegè vel post illud incidit in mortale: *quia eadem urget rursus necessitas.* 3. Si non communicet constitutus in periculo mortis vel præsente vel imminente v. gr. ex partu. Gob. *num. 185.*

Coroll. 3. Peccat M. 1. Qui Communionem Paschalem omittit sine justa causa, *omnes*; vel ex justa; postea tamen, dum potest, non communicat per annum, *communior*; qui enim non sumpsit Communionem Paschalem adhuc tenetur ad Communionem annuam. 2. Qui tempore Paschali voluntariè ponit, vel quando potest, non tollit impedimentum Communionis Paschalis; prævenire non tenetur, nisi tempus Paschale jam inceperit; quia Communio sumpta ante tempus Paschale non est Paschalis; & qui non potest Missam audire in Dominica, non tenetur in Sabbatho. 3. Qui Communionem Paschalem sumit sacrilegè; isque peccat dupliciter, non satisfaciens præcepto de ea sumenda ex Decreto Innocent. XI. & communicans sacrilegè.

TRA-

TRACTATUS XXI.
De Sacrificio Missæ.
CAPUT I.
De Natura Sacrificii & Ministro.
Quid Sacrificium? quotuplex?

EST oblatio externa rei sensibilis legitimè instituta, & à Ministro legitimo per realem victimæ immutationem facta Deo, ad testandum supremum ejus dominium præsertim in vitam & mortem. *Commun.* Sacrificia in lege veteri fuerunt varia, utpote Holocaustum, Hostia pacifica, Sacrificium pro peccatis &c. In lege gratiæ hæc omnia cessaverunt; omnes eorum differentias, ut dicit S. Leo, implente uno Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi. Hoc ratione finis est vel Latrevticum vel Eucharisticum vel Propitiatorium, vel satisfactorium, vel impetratorium: Primum offertur præcisè ad cultum Dei; Secundum in gratiarum actionem pro beneficiis; Tertium in expiationem peccatorum; Quartum in satisfactionem eorundem; Quintum ad impetrandum hujus & æternæ vitæ bona.

Quid sit Missa? an verum Sacrificium?

Missa est Sacrificium incruentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Dicitur incruentum ad distinctionem cruenti,

quo Christus JEsus se Patri obtulit in cruce. Esse verum novæ legis Sacrificium, est *de Fide in Conc. Trid. Sess. 22. can. 1.* & in Ecclesia semper à tempore Apostolorum usque modò oblatum fuit, vid. *Controv. cap. 4. controv. 7.*

In quo consistat?

Essentia ejus consistit in sola consecratione. S. Bonav. Quia in hac fit mystica victimæ immolatio: quatenus vi consecrationis Corpus separatur à Sanguine; ejusque fit oblatio: quatenus victima Christus sistitur in Altari, Deóque exercitè repræsentatur in recognitionem Supremi Dominii.

Quis Offerens & quæ Victima?

Christus ipse est & Principalis Offerens & Victima: Offert Sacerdotum ministerio & offertur immolatione mystica. Minùs principalis Offerens est Sacerdos: *quia offert ut Minister Christi in persona ejus.* Hostia seu victima minùs principalis est panis & vinum: quia in Offertorio offeruntur & in Consecratione destruuntur; cúmque destruantur, ut Corpus & Sanguis Christi ponantur sub speciebus in testimonium Divinæ Excellentiæ, etiam ipsa dici possunt destrui in idem testimonium, saltem mediatè.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Sacrificium offertur soli Deo, non Sanctis, nisi in eorum honorem. *Trident.*

Coroll. 2.

Coroll. 2. Sacrificium immediatè offert omnis & ſolus Sacerdos; qui & ſtipendio accepto ſatisfacit celebrans in mortali: *quia omnis & ſolus Sacerdos in Ordinatione accipit poteſtatem offerendi Sacrificium, ídque effectum habet ex opere operato.*

CAPUT II.

De Effectibus.

Pro quibus poſſit offerri Sacrificium?

OFferri poteſt Miſſæ Sacrificium pro vivis & defunctis. Ex Pontif. Romano, non tamen pro omnibus, ut infra.

Quis effectus Sacrificii?

Sacrificium quà impetratorium valet ad impetranda bona animæ & corporis; Quà propitiatorium cauſat ex opere operato remiſſionem peccatorum, ſed mediatè, impetrando gratiam ad pœnitendum; Quà ſatisfactorium ex eodem opere remittit & vivis & defunctis pœnas peccatis remiſſis debitas, idque immediatè, nam defuncti in purgatorio juvantur Sacrificio Miſſæ immediatè (non enim poſſunt mediatè) ergo & vivi; tam pro his, quàm illis ſatisfaciendo.

An neceſſaria applicatio?

Ut Sacrificium ex opere operato proſit petenti, neceſſaria eſt Sacerdotis applicatio: Sacrificium enim ſecundùm ſe indifferens eſt, prodeſſe huic vel illi; ut igitur proſit huic, non

illi, Sacerdotis eſt applicare, cujus eſt ſacrificare. Sufficit applicatio habitualis, nempe aliqua facta, etſi pridem, & non revocata. Fieri debet ante conſecrationem: quia effectus ex opere operato habetur, quando eſt Sacrificium, & nequit ſuſpendi. *Commun. DD.*

Quotuplex fructus Sacrificii?

Triplex: Generaliſſimus, Specialiſſimus, Specialis. Primus obvenit toti Eccleſiæ, & quorum meminit Sacerdos; Secundus celebranti, & quatenus ex receptione Sacramenti, nequit eum aliênare; Tertius illi, pro quo Sacrificium ſpecialiter offertur. Ratio eſt: *quia illi omnes participant ex Sacrificio.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Eſt peccatum M. Sacrificium offerre: 1. Pro excommunicatis non toleratis. *c. Sacris. de ſent. excomm.* 2. Pro damnatis. S. Aug. Pro aliis omnibus poteſt.

Coroll. 2. Fructus Sacrificii remanet in Theſauro Eccleſiæ: 1. Si nulli applicetur, vel incapaci, vel non indigenti. 2. Si applicetur ei, qui primus ſtipendium dabit, ísque fructûs ſit incapax; Si capax, applicatur validè, ſed illicitè *ob inhibitionem Clem. VIII.* 3. Si non habens ſtipendium pro ſacro, celebret ſine applicatione, poſtea applicaturus ei, qui offert ſtipendium. Non valet, *quia fructus nequit ſuſpendi.*

CAPUT

CAPUT III.

De Tempore Celebrationis.

Quando liceat celebrare Missam?

LIcitum eſt celebrare ſingulis diebus, exceptâ feriâ 6. Hebdomadæ Sanctæ *ex commun.* Sed non, niſi ſemel indie *c. ſufficit. de Conſ.* regulariter ab aurora uſque ad meridiem quâcunque horâ. Rubr. *num. 15.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccat M. 1. Sacerdos, qui negligit toto anno celebrare Marchant. contra Tambur. 2. Parochus non celebrans per ſe vel alium, quando Parochiani tenentur ad Miſſam ex Præcepto Eccleſiæ.

Coroll. 2. Licitè Sacerdos celebrat privatim in Cœna Domini, ut habet praxis Piorum; etiam in Sabbatho S. non eſſe prohibitum, privatim ac ſecluſo ſcandalo celebrare poſt officium ſolemne, exiſtimant Lugo, Layman, Gobat, & alii; tutum omnino videtur, ſi in Eccleſia iſta aliud ſacrum non legatur. Imò & in Paraſceve licitum eſſe, privatim celebrare ad habendum & dandum viaticum cenſent quidam Recentiores teſte Sporer *num. 451. de Sacrament. Euchariſt.*

Coroll. 3. Eſt peccatum M. celebrare duabus vel tribus horis ante aurorám. *Commun.* Excipitur 1. Dies Nativitatis Domini, non ta-

men licet omnes tres Miſſas legere de nocte ex *Decreto S. Congreg. 1662.* teſte Neuſſer. 2. Caſus neceſſitatis, v. gr. ad dandum viaticum. 3. Conſuetudo in his partibus celebrandi horâ 4. in hyeme. 4. Habens privilegium: ſic Regularibus licet celebrare unâ horâ ante auroram & unâ poſt meridiem. *ex Privileg. Gregorii XIII.*

Coroll. 4. Item peccatum eſt M. celebrare unâ horâ poſt meridiem, Sylveſt. excipe, niſi poſtulet Solemnitas feſti, confluxus populi, conſecratio Eccleſiæ, funus Principis &c. vel Sacerdos in feſto ad locum Eccleſiæ perveniens adhuc celebrare velit. Herinx, Layman & alii. Item à peccato communiter excuſatur ante vel in meridie incipiens.

Coroll. 5. Rurſus peccat M. Sacerdos, qui celebrat bis in die, *commun.* Excipe caſum neceſſitatis, ut ſi non habeatur viaticum pro infirmo, vel Sacerdos duas habeat Parochias, debeátque binare, vel multi non habeant Sacrum, vel adveniat Proceſſio, Princeps &c. debet tamen Sacerdos eſſe jejunus, & non ſumpſiſſe Purificationem; *c. conſuluiſti. de celebr. Miſſ.* Ad dandum tamen moribundo viaticum Sacerdotem, tametſi in priori Sacro ſumpſerit ablutionem, iterum poſſe celebrare, poſt Tambur. probat Gobat apud Sporer *num. 458.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Loco Celebrationis.

Ubi liceat celebrare Missam?

LIcitum est celebrare in Ecclesia consecrata, aut benedicta; imò & in Oratorio per Episcopum ad hoc deputato, quamvis non benedicto. *Trident. Sess. 22. can. 1.* extra autem illa loca celebrare, est peccatum grave; nisi justa necessitas aut privilegium excuset. *Commun. TT.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis celebrare non licet, nec aliis concedere, inhibente *Decreto Clementis XI.* de quo infra. Item privilegia Regularibus olim concessa, celebrandi ubivis in Altari portatili, sunt revocata per *Trident. ex Decreto Clementis XI.* Anno 1703. apud Reiffenst. *tom. 3. pag. 953.* Possunt tamen Regulares in propriis monasteriis privata habere oratoria, ibique (imò in cellis tempore infirmitatis) Missam celebrare *ex Privil. Gregor. XIII.*

Coroll. 2. Sub dio vel in domibus privatis celebrare licet, quando magna urget necessitas, ut 1. Tempore pestis aut belli. 2. Si diruta aut combusta sit Ecclesia, *c. concedimus. de Consf.* 3. In castris militum. 4. In concursu populi, quem locus sacer non capit. Layman. *tr. 5. num. 3.* Num autem Episcopus dispensare valeat ad celebrandum in domo privata pro consolatione

infirmi, militant argumenta pro & contra apud Reiffenſt. *citat.*

Coroll. 3. Celebrari poteſt Miſſa in domo privata, habito ad hoc à Pontifice privilegio, cujus formula explicata apud Gobat.

Coroll. 4. Eſt M. celebrare in Eccleſia interdicta, execrata, vel polluta, niſi gravis poſtulet neceſſitas. Polluitur autem Eccleſia factis ſequentibus, ſi publica publicitate juris vel facti: 1. Homicidio culpabili, etſi occidens ſit extra Eccleſiam. 2. Injurioſâ ſanguinis effuſione, ſi injuria ſeu percuſſio ſit gravis, nempe peccatum M. 3. Illicitâ humani ſeminis effuſione, etiam conjugali. 4. Sepulturâ pagani, etiam parvuli. *c. Si Eccleſia. de Conſ.* 5. Sepulturâ excommunicati vitandi. Eccleſia polluta, ſi conſecrata fuerit, reconciliari debet ab Epiſcopo, vel ab habentibus Privilegium, quod habent Prælati Fratr. Min. *ex Bulla Leonis X.* Pollutâ Eccleſiâ polluitur ſimul cœmiterium, ſi ei ſit contiguum; non vice verſâ: *quia acceſſorium, uti eſt cœmeterium reſpectu Eccleſiæ, naturam ſequi congruit Principalis.* Si contingat Eccleſiam pollui ſub Miſſa, hæc eſt dimittenda: Si accidat ante Canonem. Si delictum polluens Eccleſiam ſit occultum, illa quoad judicium humanum non eſt pollutâ; cenſebitur autem polluta, quandocunque innotuerit. Quid ſi Sacerdos bonâ fide in ea celebraverit? Habendam eſſe pro reconciliata docent nonnulli Auctores apud Reiffenſt. ſed rejicit Layman, eo quod nul-

nullum suffragetur Jus; unde tutius est, verâ uti reconciliatione, ut notat Engel.

CAPUT V.

De Qualitate Missæ.

Qualis debeat esse Missa, licitè legenda?

MIssa debet esse approbata, & regulariter conformis officio. *Rubricæ.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non licet legere Missam concessam pro una Diœcesi tantùm, una Religione &c. *ex Declar. S. Cong. apud* Neuss. Missam tamen de S. P. FRANCISCO pro Ord. Minor. approbatam licitè in ejusdem festo loco Superioris cantat alius.

Coroll. 2. Peccat de mente Bosco M. qui obligatus ad Missale Rom. utitur Missali Prædicatorum, Carmelitarum &c. etiam in eorum Ecclesiis; nisi justa excusaverit causa; ut limitat Neusser.

Coroll. 3. Juxta diversitatem sententiarum peccatum est M. vel V. legere votivam aut de requiem, quando est duplex aut Dominica; potest in his cantari votiva ex gravi causa, v. gr. ob publicam necessitatem, propter Comitia Regularium & juxta Bosco in die Primitiarum. Item quando in duplici cantatur requiem, ut in die depositionis, tertio, septimo, trigesimo,

 dici

dici etiam probabiliter posse Missas privatas de Requiem saltem sub ipsis exequiis, respondet Sennyei *in examine ordin.* negant alii; Responsio Senn. admittenda, quando plures conveniunt Sacerdotes celebraturi, quorum aliqui habent festum duplex, alii non; Ratio: ut sit conformitas celebrantium, & nulla parentantibus occasio scandali.

Coroll. 4. Est peccatum V. in diebus permissis legere votivam absque rationabili causa, hanc enim postulant Rubr. *num. 4.*

CAPUT VI.
De Paramentis.

Quæ requirantur ad Sacrificium Missæ peragendum?

AD Sacrificium requiritur 1. Altare, idque lapideum & consecratum. *c. Altaria.* Tribus mappis benedictis debet esse coopertum, Rubr. *num. 20.* Sufficere duas vel unam duplicatam, & in necessitate simplicem, etiam non benedictam, docet Layman aliique graves DD.

2. Super Altare collocari debent duæ candelæ ex cera; crux cum Crucifixo, etiam exposito Venerabili *ex Declar. S. Congreg.* & Missale Rubr. *citat.* In necessitate sufficere candelam unam tametsi ex Sebo, aut lucernam ex oleo, consentiunt DD.

3. Sub

3. Sub mortali requiritur minister, ísque masculus *c. inhibendum. de cohabit.* in gravi necessitate celebrandum potiùs sine ministro, quàm cum fœmina. Gobat *num. 393.*

4. Requiritur Calix, ísque ex auro, argento, vel stanno saltem quoad cuppam. In pauperioribus Ecclesiis calicem ex ære vel aurichalco, modò cuppa sit deaurata, admittit Facundez; & ex cupro, cuppâ deauratâ, usus teste Sporer *num. 393.*

5. Corporale & Palla, utrumque lineum & benedictum. *Ritus celeb. num. 1.*

6. Requiruntur vestes sacræ, ut in Missali. Ex Privilegio benedici possunt ab Abbatibus & Superioribus Ordin. Mend. eorúmque (si absint) Vicariis. Roderiq. Suar. apud Sporer extendentes ad benedicenda corporalia, sua oratoria, & paramenta aliarum Ecclesiarum. Celebrare sine omni veste sacra in nullo licet casu nisi mortis inferendæ. Gobat. Celebrare sinè aliqua requisitarum vel cum non benedicta (excepto cingulo) est peccatum M. in necessitate tamen celebrantem sinè stola vel manipulo à M. excusant graves A. A. apud Bosco.

CAPUT VII.
De Defectibus.

Quinam Defectus in Missâ supplendi?

NEcessariò supplendi sunt defectus circa sacrificium substantiales, *ex commun.* Quia defe-

defectus substantiales nempe ex parte Sacerdotis, materiæ vel formæ obstant valori sacrificii.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Peccat M. Sacerdos non supplens defectum substantialem: proinde iterum debet consecrare & quidem absolutè, si sciat consecrationem fuisse invalidam; conditionatè, si dubitet. 2. Non sumens species consecratas, quod si physicè propter effusionem, vel moraliter propter immutationem aut intoxicationem sumi nequeant, consecrandæ sunt aliæ. De Defectibus *num. 10.*

Coroll. 2. Sacerdos omissam collectam, credo, propriam præfationem &c. repetere non debet, postquam procul perrexit; *Quia turbatur Ordo Missæ.*

CAPUT VIII.
De Stipendio.

An liceat accipere Stipendium?

POtest Sacerdos absque Simonia accipere stipendium pro celebratione Missæ, quo accepto obligatur ad eam ex justitia. Ratio est: Quia stipendium non accipitur tanquam pretium pro ipso Sacrificio, neque pro labore intrinseco, qui est in ipso sacrificio legere, flectere &c. Sed accipitur pro labore extrinseco,

ſeco, qui eſt ire ad loca diſtantia, ſe præparare, procurare neceſſaria, ceſſare ab aliis operibus lucrativis &c. *Nam dignus eſt operarius mercede ſuâ. Lucæ 10.* Item accipitur in ſuſtentationem Sacerdotis; nam *qui Altari deſerviunt, cum Altari participant. 1. Corinth. 9.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non eſt peccatum: 1. Si ſtipendium accipiat Sacerdos dives. contra Cajet. Quia & ille poteſtatem habet, ut de Altari edat. *1. Corinth. 9.* 2. Si accepto ſtipendio ad celebrandum, ut populus audiat ſacrum, aliud accipiat pro applicatione. contra Gavant. 3. Si non applicet totum fructum non danti juſtum ſtipendium, dummodo applicet partem ſecundùm proportionem ſtipendii. Gobat *num. 566.* 4. Si loco Votivæ vel de Requiem legat de feſto, niſi promiſerit Votivam & Rubricæ permittant. 5. Si ſtipendium accipiat Parochus, tenues habens redditus; debet tamen applicare pro Parochianis ſaltem diebus feſtivis, imò ſæpius habitâ ratione reddittuum; juxta *Declarationem S. Congreg.* apud Reiffenſt. *tom. 3. tit. 41.*

Coroll. 2. Peccatum eſt reſpectivè M. 1. Si Sacerdos unam omittat Miſſam, pro qua accepit ſtipendium, quod materia eſt furti mortalis. Gob. Herinx. Quia juxta quantitatem ſtipendii menſuranda eſt obligatio. 2. Si ſtipendium exigat tanquam pretium ſacri:

quia Simonia. 3. Si obligatus legere in Altari privilegiato legat in alio. Gobat *num. 579.* attentâ etiam proportione ſtipendii & voluntate Sacerdotis ſe obligandi, ſi illud tenue. Satisfit tamen obligationi, & indulgentiæ animabus defunctorum ſuffragantur per celebrationem de feſto in duplici, quando non eſt fas legere de Requiem. *ex Declaratione Clementis IX.* apud Sbogar. 4. Si ſacra ex juſtitia debita nimium differantur, juxta aliquos ultra menſem, juxta Herinx *num. 182.* differre licet ad duos menſes, imò nonnulli extendunt ad tres; ubi ſpectandam eſſe voluntatem conſtituentium & neceſſitatem, bene monet Sporer cum aliis. 5. Si ſacrum legendum committat alteri pro minore ſtipendio, retentâ ſibi parte, quod in Decreto Urbani VIII. vocatur damnabile lucrum. Excipiuntur Beneficiati, qui ſacra ex fundatione legenda faciunt legi per alium, dando ſtipendium ordinarium. *S. Congreg.*

CAPUT IX.
De audienda Miſſa.

Quis & quando teneatur audire Miſſam?

OMnis Baptizatus rationis compos tenetur ex præcepto Eccleſiæ audire Miſſam in diebus Dominicis & Feſtivis. *c. Omnes fideles. de Conſ. d. 1.*

COROL-

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non satisfaciunt præcepto 1. Qui non existunt corporaliter in loco sacrificii; sufficit tamen præsentia moralis, quâ adsunt, qui stantes ante januam aliis audientibus moraliter conjunguntur. *Commun.* Imò celebrantem audiens ex propriis ædibus juxta C. de Lugo apud Sbogar *tr. 121. num. 9.* contra varios. 2. Qui non assistunt religiosè. Sufficere attentionem merè externam defendit Tambur. cum Dicast. Layman &c. 3. Qui omittunt partem notabilem. Venientem post primum Evangelium à M. excusat Sbogar *citat.* Juxta quem & alios satisfacit, qui duas medietates à duobus celebrantibus audit successivè, non verò (quod damnavit Innoc. XI.) qui simul. 4. Qui audiunt in loco prohibito. vide Reiffenst. *in l. 3. Decret. tit. 41.* Nequit tamen Episcopus cogere populum, ut sacrum audiat in Ecclesia Parochiali. Sbogar *ex Declar. Clement. VIII.*

Coroll. 2. Ab auditione Missæ excusant charitas, officium, impotentia, consuetudo: excusatus tamen tenetur in Dominica ad alium cultum vi præcepti: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Marchant.

Charitas excusat 1. Assistentem infirmo. 2. Eum, qui aliter impedire nequit grave malum, sive corporale, sive spirituale; potest tamen fœmina prævidens peccatum alte-

rius

rius uti libertate suâ ad exeundum: ille enim peccat liberè, adeoque potest ac debet abstinere, si non, imputet sibi.

Officium excusat 1. Milites in custodiis. 2. Pastorès gregum. 3. Laborantes in fusoriis. 4. Matrem assistentem infanti. 5. Famulos ab heris impeditos, etiam injustè, dummodo non fiat in Religionis contemptum, & ipsi sinè gravi damno nequeant se subducere. Layman, Marchant. &c.

Impotentia excusat: 1. Excommunicatos. Gobat *num. 410.* 2. Incarceratos. 3. Ægrotos, imò & convalescentes; si timent vel dubitant exitum sibi nociturum. Dicast. 4. Timentes notabile damnum sive in vita, sive in honore, sive in bonis fortunæ. 5. Distantes à templo uno milliari, imò secundùm Suar. unâ horâ, sed habenda ratio personarum & auræ. 6. Custodem domûs, ubi una legitur Missa. 7. Commorantes in locis hæreticis, quamdiu ibi commorandi justam habent causam. 8. Impeditos, qui impedimentum posuerunt tempore remoto à die festo, v. gr. ante 3. vel 4. dies exeundo à loco sacri, ut sentit Sporer, imò pridiè festi, ut Gobat *num. 447.* cum aliis DD. *citat.*

Consuetudo excusat mulieres, post partum se domi continentes. Sbogar *ex commun.*

TRA-

TRACTATUS XXII.
De Pœnitentia.
CAPUT I.
De Pœnitentiæ Natura, Materia & Forma.

Quid Pœnitentia Virtus? & quid Pœnitentia Sacramentum?

POenitentia alia est Virtus, alia Sacramentum: Prima est habitus inclinans ad peccati detestationem per contritionem vel attritionem; Secunda est Sacramentum reconciliationis post Baptismum, consistens in actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis. D. Thom. *4. d. 14.*

Sacramentum Pœnitentiæ à quo & quando institutum?

Fuit institutum à Christo *Joan. 20.* Dum insufflando in Apostolos dixit: *accipite Spiritum Sanctum &c. Trident. Sess. 14. c. 1.*

Quæ materia & quæ forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Materia ejus remota & circa quam sunt peccata post Baptismum commissa tum venialia, tum mortalia; hæc autem necessaria, illa libera. Materia proxima sunt actus pœnitentis scil. Contritio, Confessio, Satisfactio. Forma essentialis:

tialis: *Te absolvo*: Quia verba ista sufficienter significant effectum Sacramenti.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Invalidum est Sacramentum ex parte materiæ 1. Si Sacerdos absolvat non habitâ materiâ, vel tantùm putatâ. Quod si materia sit prorsus dubia, & haberi nequeat certa, absolutio non est danda nisi sub conditione. 2. Si pœnitens mentiatur confitendo peccatum mortale, quod non commisit, Gobat *num.* 540. contra Sylvest. Imò veniale, si sit tota confessionis materia. *Commun.* 3. Si repetatur absolutio sinè novo dolore: *quia novum conficitur Sacramentum; ergo novus requiritur dolor, saltem renovatus, velut materia proxima.* 4. Si omittatur peccatum M. quamvis remissum per contritionem. *Trident.* Quia est materia necessaria confessionis, & non remittitur per contritionem, nisi cum proposito subjiciendi clavibus.

Coroll. 2. Invalidum est Sacramentum ex parte formæ 1. Si absolutio detur nutu, signo, vel scripto. *ex Flor. & Trid.* Non tamen reprehendendus est Sacerdos mutus in extrema necessitate absolvens nutu vel scripto sub conditione, si valeat. *Pontius*: Quia in extremis extrema tentanda sunt, quæ nulli nocent, alteri fortè prosunt. 2. Si detur absenti, quod sub excommunicatione prohibuit *Clemens VIII.* sufficit tamen præsentia moralis; unde absolvi

potest

poteſt pœnitens acceptâ pœnitentiâ erumpens ex confeſſionali, ſi non procul.

Coroll. 3. In concurſu pœnitentium, ceſſante periculo cenſuræ, adhiberi poteſt hæc forma: *Authoritate D. N. JEſu Chriſti ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* Cave tamen omittere verba: *à peccatis:* Quia ſecundùm multos ſunt de eſſentia.

CAPUT II.

De Neceſſitate Pœnitentiæ.

Quibus & qualiter neceſſarium Sacramentum Pœnitentiæ?

SAcramentum Pœnitentiæ Baptizatis mortaliter lapſis eſt in re vel in voto neceſſarium neceſſitate medii: *quia ſinè eo ſaltem in voto nequit obtineri reconciliatio cum Deo. Trid. Seſſ. 14. can. 2.*

Quis effectus ejus?

Remittit culpam & pœnam æternam, remanente tamen ſæpe temporali. *De Fide.* Inſuper opera mortificata nempe in ſtatu gratiæ ante peccatum M. facta per Pœnitentiam reviviſcunt: Quia per peccatum non ſunt extincta, ſed ſolùm à valore & effectu impedita; ergo peccato ſublato rurſus valent & reviviſcunt ad effectum. Peccata verò ſemel remiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt. D. Thom. Scot. *cum ſuis:* Quia fuerunt omnino deleta. Unde dicit Deus *Ezech. 18. Si impius egerit Pœni-*

tentiam, omnium iniquitatum ſuarum non recordabor amplius.

CAPUT III.
De Contritione.

Quid Contritio? quotuplex?

CONtritio in genere eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. *Trident. citat. can. 4.* Si procedat ex motivo charitatis erga Deum, eſt contritio perfecta; ſi ſolùm ex motivo turpitudinis peccati vel pœnarum à Deo infligendarum, eſt imperfecta ſive Attritio.

Quis Contritionis effectus?

Contritio juſtificat etiam extra Sacramentum, cum voto tamen ſaltem implicito confitendi & Sacramentum ſuſcipiendi; Attritio juſtificat non niſi in Sacramento, ad illud ſufficiens etiam cognita. *Commun. ex Conc. citat.* Nihilominus extra Sacramentum Attritio delet peccata V. contra Vaſq. etiam remanentibus mortalibus. Maſtrius contra multos RR. Quia ad delenda peccata mortalia requiritur Contritio vel Sacramentum, ad delenda autem venialia requiritur minus, ergo ſufficit Attritio, etiam remanentibus peccatis mortalibus: quia peccata venialia poſſunt ſtare cum gratia & amicitia Dei, cur non poſſent remitti manente inimicitiâ & peccato mortali:

tali: non enim in eorum remiſſione neceſſariò infunditur gratia.

Coroll. Ut valeat Sacramentum Pœnitentiæ I. Requiritur dolor ante abſolutionem: non tamen neceſſariò (ut docet Vaſq. *ex commun.* contra Layman) ante confeſſionem; ísque debet eſſe 1. Verus, unde non ſufficit putatus. 2. Supernaturalis ex parte principii nempe gratiæ & motivi. 3. Summus ſaltem appretiativè, ut peccator in præparatione animi malit quodlibet malum ſubire, quàm peccare. 4. Univerſalis, extendens ſe ad omnia mortalia ſaltem in genere, & venialia, quæ ſunt abſolutionis materia. 5. Formalis. Sporer *num. 77.* Quia non ſufficit virtualis incluſus in exercitio alicujus virtutis, v. gr. ſpei, timoris &c.

II. Requiritur propoſitum non peccandi de cætero, ídque debet eſſe 1. Per ſe explicitum. 2. Efficax, ſaltem in affectu; cui non obſtat, ſi pœnitens putet, ſe relapſurum; modò ſeriò & ſincerè peccatum vitare velit. 3. Abſolutum & de ſe perpetuum circa mortalia, eorúmque occaſiones proximas. Unde abſolvendus non eſt concubinarius, qui occaſionem proximam poteſt & non vult deſerere; ſi moraliter non poſſit, ſufficit firmum propoſitum, addito quandóque voto vitandi peccatum & opportuna adhibendi remedia; quæ Confeſſarius præſcribere debet, ex occaſione proxima faciendo remotam; quod ſi pœnitens ea acceptare nolit, aut redeat iis non adhibitis, non eſt abſolvendus.

CAPUT IV.
De Confeſſione.

Quid Confeſſio?

Confeſſio Sacramentalis eſt accuſatio de peccatis propriis coram Sacerdote ad obtinendam abſolutionem.

An neceſſaria? quibus? quando?

Neceſſaria eſt neceſſitate præcepti divini. *Trident. Seſſ. 14. can. 7.* & Eccleſiaſtici. *c. omnis utriusque ſexûs.* Utrumque obligat omnes poſt Baptiſmum mortaliter lapſos: primum per ſe in periculo mortis & aliquoties in vita; ſecundum ſemel in anno. *c. citat.*

An eſſe debeat integra & quomodo?

Confeſſio debet eſſe regulariter integra ſaltem formaliter, confitendo omnia M. peccata, quæ noſcuntur ſive ſunt in conſcientia; unde exprimenda ſunt omnia peccata M. etiam (quod contra Marchant.) dubia, quoad ſpeciem, numerum & circumſtantias ſpeciem mutantes. *Commun. ex Conc. citat.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non obligantur ad Confeſſionem 1. Infideles. 2. Qui non peccârunt niſi venialiter.

Coroll. 2. Obligantur ad Confeſſionem annuam: 1. Hæretici. 2. Muti. 3. Surdaſtri. 4. Qui in anno confeſſus eſt venialia, & ante finem

finem illius incidit in M. *Commun.* Quia Confeſſio venialium non fuit præcepta, nec præcepti impletiva.

Coroll. 3. Non ſatisfacit præcepto Confeſſionis, qui Confeſſionem facit invalidam. Alexander VII. eáque eſt repetenda, ſive invalida fuerit ex parte pœnitentis, ſive Confeſſarii.

Coroll. 4. A Confeſſionis integritate materiali excuſantur: 1. Facto diligenti examine peccati immemor. 2. Putans non eſſe peccatum, aut non grave, quod verè eſt. 3. Impotens ad exprimendum omnia ob defectum loquelæ vel ignorantiam idiomatis. 4. Timens ſibi vel Confeſſario grave ex integra Confeſſione damnum; non tamen excuſat revelatio complicis, neque concurſus pœnitentium. 5. Naufragi. 6. Milites mox præliaturi. 7. Moribundus, accelerante morte. Quod ſi in terris Catholicorum reperiatur deſtitutus ſenſibus, & Confeſſionis ſigna nec det, nec dediſſe aut catholicè vixiſſe conſtet, abſolvendus eſt ſub conditione. Marchant cum multis.

Coroll. 5. Pœnitens, non ſciens numerum peccatorum certum, dicere debet probabilem, addendo: plus, minus. Quod ſi non poſſit, dicat tempus à quo peccatum continuavit, & quoties in ſeptimana vel menſe. C. Lugo *num.* 79. Inde Confeſſarius ſtatum pœnitentis noſſe poterit.

Coroll. 6. Circumſtantiæ merè aggravantes non ſunt ex obligatione exprimendæ, niſi per

accidens, dum causa sunt reservationis aut censuræ. S. Bonav. aliíque plurimi: Quia sola peccata mortalia sunt materia necessaria Confessionis; Circumstantiæ autem merè aggravantes non sunt mortale distinctum ab actu, nec faciunt alterius speciei, sed solùm majus. Ex minuentibus illæ sunt exprimendæ, quæ malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali faciunt venialem.

CAPUT V.

De Satisfactione.

An Satisfactio imponenda & acceptanda?

CONfessarius regulariter tenetur aliquam pœnitenti imponere satisfactionem peccatis proportionatam; quam & pœnitens, volens absolvi, tenetur acceptare. *Commun. ex Trident. Sess. 14. c. 8.*

An mutari possit? à quo? quando?

Ex justa causa pœnitentiam mutare potest solus Confessarius, tum qui eam imposuit, tum quilibet alius: Sed primus etiam extra Confessionem, durante tamen moraliter adhuc judicio, ut limitant multi; imo quocunque postea tempore, ut censent Lugo, Arr. Haun. Secundus repetitâ Confessione. Herinx contra paucos, etsi pœnitentia fuerit imposita pro peccatis reservatis. Dicast. *num. 120.* contra Suar. Quia sublata reservatione æqualis est in omnibus Confessariis potestas.

Quis

Quis effectus Satisfactionis?

Effectus Satisfactionis (quem habet de mente Scoti *d. 15. q. 1.* contra nonnullos, etiam in peccato M. impleta) est ex opere operato remittere pœnam peccatis remissis debitam. *Commun.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Confessarius pro peccato veniali non imponens pœnitentiam peccat leviter. Lugo. Peccare graviter, docet Sanch. Quia Sacramentum privat parte integrali. Nullam tenetur imponere, si pœnitens nullius sit capax, moribundo imponenda est vel levis, quam implere potest per se, vel gravis v. gr. eleemosyna, quam potest per alios.

Coroll. 2. In satisfactionem dari possunt 1. Auditio Missæ, jejunium, & similia opera, quamvis aliunde debita: Quia nova additur obligatio & virtus, nempe remittendi pœnam ex opere operato. 2. Confessionis frequentia, quæ congruit consuetudinariis. 3. Opus determinatum, v. gr. Rosarium, & alia exigentibus circumstantiis indeterminata, v. gr. quidquid boni feceris per septimanam. Marchant.

Coroll. 3. Minor pœnitentia dari potest ex causa, qualis 1. Tempus Jubilæi vel Indulgentiæ. 2. Magna contritio. 3. Incapacitas pœnitentis, majorem implendi vel periculum omittendi.

Coroll. 4. Ipse pœnitens nequit pœnitentiam mutare (quidquid opinetur Diana) nequidem

in meliorem: *hæc enim non esset Sacramentalis, nec pœnas remitteret ex opere operato.* Nec alium substituere, qui impleat, *ex propositione damnata ab Alexandro VII.* Satisfacit tamen eam implens in peccato M. &, si mutata fuerit in aliam, faciens alterutram. Bosco *num. 360.*

Coroll. 5. Omittens pœnitentiam, quæ data pro peccatis levibus, vel si pro gravibus, at levis, probabiliùs peccat tantùm leviter. Sbogar. Pœnitentiæ oblitus juxta Marchant tenetur ad nihil, juxta Sylv. ad iterandam confessionem, juxta alios, satiùs ad petendam in confessione sequenti similem.

CAPUT VI.
De Indulgentiis.

Quidditas:

INdulgentia est remissio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus pœnitentium, facta ab habente potestatem de thesauro Ecclesiæ ex causa rationabili. Scot. *q. 4. Miscell. num. 4.*

Dicitur 1. *Remissio Pœnæ:* Quia hæc effectus est indulgentiarum, non verò Remissio ullius culpæ.

2. *Temporalis:* Quia æterna remittitur, dum remittitur culpa.

3. *Debitæ pro peccatis actualibus:* Ut excludatur Originale.

4. *Pœnitentium:* Quia non remittitur pœna, nisi prius remissa fuerit culpa.

5. Fa-

5. *Facta:* Scil. Vivis per absolutionem & solutionem: quatenus Pontifex vi illius *Matth.* 16. *Quodcunque solveris super terram &c.* remittit pœnam peccatis remissis debitam, ecce *absolutio*, & simul de thesauro Ecclesiæ exhibet, quantum sufficit pro illa pœna, ecce *solutio.* Defunctis verò non per modum absolutionis, (defectu Jurisdictionis in eos) sed per modum suffragii seu puræ solutionis: quatenus Pontifex Deo de thesauro Ecclesiæ offert æquivalens pro pœna, quam debet defunctus. *Cœn. de ind. art.* 9. Unde effectus pro defunctis pendet ab acceptatione divina.

6. *Ab habente potestatem:* Hanc vi Jurisdictionis solus habet Papa; Episcopi tamen *c. cum ex eo. extra. de pœnitent. & remiss.* concedere possunt indulgentias unius anni in dedicatione, & 40. dierum in anniversario dedicationis, & quoties occasio.

7. *De thesauro Ecclesiæ:* Hic est cumulus meritorum Christi & Sanctorum existens in acceptatione divina, dispensabilis extra Sacramentum per Pontificem Ecclesiæ militanti. In hoc thesauro ex parte Sanctorum reponuntur non tantùm satisfactiones superfluæ, sed etiam eorum merita quoad fructum generalem, qui est portio obveniens toti Ecclesiæ vi Artic. in Symb. *Communionem Sanctorum.* Item quoad fructum specialem; si ille, cui à merente applicatur, sit ejus incapax. Aliàs non verificaretur, quod Clemens VI. *in Extrav. Unigenitus. de pœnit. & re-*

miss. sic ait: *Ad cujus thesauri cumulum omnium Electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.*

8. *Ex causa rationabili:* Nam sinè hac non valet. La Croix *num. 1316.* Quamvis probabiliter valeat annexa (si quæ) facultas absolvendi à reservatis, commutandi vota &c. *Quia hæc Juris est Ecclesiastici, indulgentia Divini.*

Divisio:

Indulgentia alia est plenaria, quâ remittitur tota pœna; alia partialis v. gr. 100. annorum, quadragena, septena &c. qua remittitur pœna, quæ remissa fuisset per pœnitentiam 100. annorum, 40. dierum &c. si facta fuisset juxta Canones pœnitentiales.

Utraque subdividitur in personalem, realem & localem: prima conceditur personæ, secunda rei, tertia loco.

Dispositio lucrantis:

Requiritur 1. Intentio saltem interpretativa. Expedit tamen, manè formare intentionem obtinendi per opera istius diei, quidquid per illa obtineri potest. 2. Status gratiæ in lucrante pro se ipso, saltem dum ultimum opus præstatur. Proinde si confessio præscribatur, probabiliùs est requiri solùm in mortaliter lapsis, ut dispositionem ad statum gratiæ. 3. Impletio operum juxta formam concessionis. *Commun.* & quidem moraliter bene, ut non sufficiat opus vitia-

vitiatum. Navarr. Less. contra Suarez. Repetens opera nequit secundò lucrari easdem indulgentias plenarias post decretum *S. Congreg. 1678.* poterit eâdem die alias, si rursus peccaverit. Gob. Viva.

Cessatio Indulgentiarum :

Cessant 1. Elapso concessionis tempore. 2. Si locus vel res destruatur, cui annexæ. 3. Cessante totaliter fine concessionis. 4. Per revocationem.

Indulgentias Regularibus concessas revocavit Paulus V. & alias dedit : 1. Si confessi & communicaverint plenariam in investitione, in professione, in festo primario sui ordinis, in articulo mortis; celebrantibus primitias, & qui intersunt, facientibus exercitia spiritualia per dies 10. quos reduxit ad 8. Alexander VII. 2. Indulgentias Stationum Romæ iis, qui proprium templum visitant, ibíque orant. Specialiter verò nobis Fratribus Minoribus ante Altare principale Ecclesiæ orantibus *6. Pater & Ave* cum *Gloria Patri* ad finem cujuslibet, concessit magnam illam indulgentiam *Stationis Sanctissimi Sacramenti*, continentis omnes indulgentias Stationum Romæ, Jerusalem, Compostellæ & Portiunculæ. Hieron. Rodericus *resolut. 77.* Julius III. eidem Stationi dedit Indulgentias plenarias, & confirmavit Innocent. XII. in Brevi: *Debitum Pastoralis.* Qui & indulgentiam plenariam semel quolibet mense, etiam applicabilem

lem defunctis, concessit iis, qui per totum mensem singulis diebus per duos quadrantes horæ continuos, aut saltem per unum orationi mentali vacaverint, si confessi & commun. ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Ecclesiæ exaltatione piè oraverint. *De his Rubricæ Breviarii nostri num. 88. 89. 178.*

CAPUT VII.

De Jubilæo.

Quidditas & Divisio.

JUbilæum est indulgentia plenaria à Summo Pontifice certa opera facientibus concessa, cum facultate eligendi Confessarium, qui à censuris & peccatis reservatis possit absolvere, ac vota commutare.

Aliud est universale, aliud particulare: primum conceditur toti Ecclesiæ, secundum alicui Diœcesi tantùm. Universale est vel ordinarium vel extraordinarium.

Jubilæum ordinarium

Dicitur, quod post Paulum II. celebratur Romæ quolibet Anno 25. ibique promulgatur die Ascensionis Domini, & incipit in Vigilia Nativitatis ejusdem à 1. Vesp. ad seq. anni Vesperas in eadem vigilia inclusivè.

Ad hoc Jubilæum requiri solet 1. Confessio, non Communio. 2. Visitatio quatuor Ecclesiarum scil. S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateran.

ran. S. Mariæ Major. quæ viſitandæ à Romanis per 30. à peregrinis per 15. dies continuos vel diſcontinuos. 3. Piæ ad Deum preces pro totius populi Chriſtiani ſalute. *Ex Bulla Innocentii X.*

Durante anno ſancto, ſuſpenſæ ſunt per orbem omnes indulgentiæ plenariæ à Papa conceſſæ vivis, etiam applicabiles defunctis, ut declaravit *Clemens X.* etiam affixæ nummiſmatibus. Attamen ſuſpenſæ non ſunt Lauretanæ, nec Compoſtellanæ, nec Portiunculæ Aſſiſii, nec moribundorum, *ex Declaratione Clementis X.* Nec conceſſæ immediatè pro defunctis in Altari privileg. Item non ſuſpenduntur facultates abſolvendi, commutandi vota &c. quas habent Regulares vi ſuorum privilegiorum. *Ex Declarat. apud Viva.*

Extra urbem Jubilæum Romanum per orbem concedi ſolet 1. Monialibus & Anachoretis. 2. Suſceptum iter Romanum proſequi non valentibus. 3. Incarceratis & infirmis, ſi aliàs ituri eſſent; Ita conceſſerat *Innocent. X. 1650.* requirens, ut verè ſint pœnitentes & confeſſi, præſténtque opera ab Ordinariis locorum ſeu Sanctimonialium & Anachoretarum Superioribus, vel de eorum mandato à prudente Confeſſario præſcribenda.

Jubilæum extraordinarium

Dicitur, quod pro duabus hebdomadibus, quæ 15. dierum, concedi ſolet 1. Poſt annum

ſan-

ſanctum. 2. Poſt coronationem Pontificis. 3. Quando Eccleſia gravi aliquâ premitur neceſſitate.

Capax Jubilæi

Eſt homo baptizatus, rationis compos, qui peccavit actualiter. Ut lucretur, requiritur 1. Ut opera præſcripta exequatur per ſe ipſum, & durante Jubilæo. Peregrinus tamen, qui extra ſuam Diœceſim, durante in ea Jubilæo, poteſt idem lucrari domum reverſus. *Ex Bulla Pontif.* 2. Ut exiſtat in loco Jubilæi. Unde lucrari poſſunt in aliena Diœceſi, ibidem peregrini. 3. Ut nondum ſit lucratus: quia nequit bis; *Ex Declarat. S. Congreg. teſte Filiuc.* Adhuc poteſt probabiliter juxta Gobat. ideoque laudabiliter repetit opera, ut ſi non ſecundò, tamen certius lucretur. Qui verò lucratus eſt in una Diœceſi, juxta *commun.* iterum lucrari poteſt in alia. 4. Ut intendat lucrari ſibi: quia nequit defunctis. Gobat *de Indulg. num. 266.* Hic tamen *cap. 1.* cenſet, fieri poſſe fructuosè, non quidem applicatione fundata in poteſtate clavium, ſed in ſola Dei liberali acceptatione, & per modum donationis. 5. Ut ſit in ſtatu gratiæ, ſaltem dum ponit ultimum opus; eo enim momento lucratur indulgentiam; alios verò favores abſolutionis & commutationis votorum, quando accedit Confeſſarium animo lucrandi Jubilæum.

Opera

Opera pro Jubilæo extraordinario

Sunt 1. Processio seu Visitatio Ecclesiæ vel Ecclesiarum. 2. Oratio in illa vel illis. 3. Jejunium. 4. Eleëmosyna. 5. Confessio. 6. Communio. *Ex Bullis Pontif.*

Implenda sunt 1. Omnia (non tamen necessariò certo inter ea servato ordine) & quodlibet moraliter integrum. 2. Probabiliùs non necessariò omnia in eadem septimana. 3. Saltem ultimum in statu gratiæ. 4. Durante Jubilæo, nisi prorogentur. 5. In loco ejusdem quoad visitationem Ecclesiarum, reliqua fieri possunt in quocunque. La Croix *num. 1434.*

Sufficiunt opera aliunde debita, v. gr. jejunium ex præcepto Ecclesiæ. Herinx *num. 99.* Nunc de singulis:

Visitatio Ecclesiarum

Vel locorum piorum, aut processio semel est peragenda, prout Ordinarius conformiter Bullæ Pontificiæ ordinaverit. Debet esse devota, piè orando ad intentionem Papæ in Bulla expressam, quid & quantum orandum, relinquitur cujusque devotioni. Non requiritur Ecclesias visitari omnes eâdem die. Satisfacit rusticus, relictâ Ecclesiâ suâ Parochiali, visitans Ecclesias in urbe. Bellegambe *pag. 158.*

Jejunium

Requiritur Ecclesiasticum trium dierum scil. Mercurii, Veneris & Sabbathi; & quidem intra ean-

eandem septimanam, *ut habet commun. sensus & praxis contra* Dicast. *num. 355.* Servandum est omnibus Jubilæum lucraturis, etiam pueris, infirmis, laborantibus, aliàs dispensatis; nisi Confessarius commutet. La Croix cum Belleg.

Eleëmosyna

Danda est corporalis (cujus nomine venit quodlibet opus ex 7. misericordiæ corporalibus. S. Thom. Gobat.) semel pauperibus, quorum nomine etiam veniunt Hospitalia, Ecclesiæ indigentes, Monasteria Religiosorum.

Si Bulla nihil determinet, sufficit quantacunque, suadenda tamen juxta cujusque facultatem. Satisfacit dans per famulum, modò hic non retineat, aliàs probabiliter non lucraturus.

Danda est ab omnibus: non habentes procurare debent, ut detur ab aliis pro ipsis, aut petere commutationem. Diana. Paterfamilias dans pro Domesticis, Prælatus pro Subditis, iis insinuare debent, ut ratihabeant & censeantur dare. Lugo *num. 117.*

Confessio

Juxta *communior.* non requiritur per se, sed ut dispositio ad statum gratiæ. Unde confiteri non tenetur, habens solùm V. nihilominus eam requiri sicut alia opera, volunt non pauci cum Sanch. quorum sententia tutior, practicanda.

Non

Non requiritur confeſſio generalis, modò peccata ſemel bene confeſſa; nec ſufficit ſacrilega. *Ex Decreto Alexandri VII.* niſi ſolùm pro tollenda cenſura & reſervatione. Ut docent Lugo, Gobat, contradicentibus Roderiq. Sanch.

Per ſe ſufficit confeſſio unica, per accidens requiritur altera: ut ſi factâ confeſſione quis peccet mortaliter ante communionem; ſi verò peccet mortaliter poſt commun. ante ultimum opus, ut hoc ponatur in ſtatu gratiæ, ſuadenda quidem eſt confeſſio, ſufficit tamen contritio.

Fieri poteſt ante vel poſt alia opera. Exiſtens in M. conſultiùs eam præmittit; modò curet, reliqua opera ponere in ſtatu gratiæ. Belleg. *pag. 197.*

Communio.

Hæc fieri poteſt quâlibet die intra alterutram hebdomadam; tutiùs intra hebdomadam, quâ præſtantur alia opera, aut Dominicâ ſequenti. Non ſufficit ſacrilega. Præſcribitur omnibus lucraturis Jubilæum; unde qui communicare non poſſunt, egent commutatione. Belleg. *citat.*

Operum commutatio & prorogatio.

Hæc ſuppoſitâ juſtâ cauſa, ſaltem putatâ, fieri poteſt à Confeſſario etiam extra confeſſionem, etiam ab eo, cui lucraturus non cogitat confiteri. Gobat *num. 240.* etſi aliqua opera v. gr. jejunia exequendi tempus ſit elapſum.

Fieri debet intra tempus Jubilæi, & commutatio in alia opera pietatis, æqualia moraliter; poteſt in aliunde debita, v. gr. ex voto, vel præcepto.

Electio Confeſſarii.

Hæc conceditur cuilibet, etiam Regulari ex quolibet ordine, etiam Moniali, independenter à licentia ſui Superioris. Lugo *de Pœnit. num. 186.* Fill. *ex Declarat. S. Congreg.*

Eligibilis eſt quilibet Confeſſarius, Sæcularis & Regularis. 1. Si approbatus ab Ordinario loci & pro loco, in quo fit confeſſio. Hinc approbatus à ſolo Prælato ſuo Regulari non poteſt eligi à Sæculari, nec à Regulari alterius ordinis, Regin. Lugo. Viva contra Dian. & quosdam. 2. Si non excommunicatus aut ſuſpenſus ab exercitio Jurisdictionis. Quid, ſi Regularis ab Ordinario approbatus à ſuo Superiore ſit prohibitus audire confeſſiones Sæcularium? Validè abſolvet, Dian. *cum commun.* non licitè. 3. Si approbatus reſpectu Eligentis, quando reſpectu hujus approbatio pertinet ad Ordinarium. Hinc non approbatus ſpecialiter pro Monialibus, non poteſt eligi à Moniali. Viva. Pelliz. contra Peyrin.

Abſolutio.

Hæc conceditur 1. A Cenſuris. 2. A Caſibus reſervatis Papæ, etiam ab Hæreſi, niſi expreſsè excipiatur. Belleg. 3. A reſervatis Epiſco-

Epiſcopo, etſi in Bulla non exprimeretur. Gobat *num.* 491.

Abſolutio à Cenſuris dari poteſt extra Confeſſionem (at non facilè danda) etiam ab eo, cui abſolvendus non eſt confeſſurus. Qui publicè denunciatus incidiſſe in Cenſuras, poteſt abſolvi, etſi res deducta ad forum contentioſum, pro foro interno; ſi promittat ſatisfacere, ut debet, cum primùm poteſt parti læſæ. Belleg. *p.* 3. *ſect.* 11.

Sæpius poteſt abſolvi à reſervatis 1. Qui intra eandem ſeptimanam, qua præſtat opera Jubilæi, relabitur. Lugo *de Pœnit. d.* 20. 2. Qui primâ hebdomadâ lucratus eſt Jubilæum, & ſecundâ relabitur; ſi repetat opera præſcripta. Navarr. *num.* 46. imò etſi non repetat, ut probabiliter tenet Rodriq. Diana.

Dari poteſt, antequam pœnitens alia opera perficiat; modò verum habeat propoſitum ea perficiendi; manétque abſolutus, ſi poſtea omittat alia opera. Idem eſt de commutatione votorum. Platel. *num.* 914.

Reſervatio nequit tolli extra Confeſſionem ab eo, qui habet poteſtatem delegatam. Lugo *num.* 104. contra quosdam. Nec in confeſſione ſaltem licitè ab eo, qui habet ordinariam, abſolvendo dimidiatè, ſcil. à ſolis reſervatis, non aliis mortalibus. Layman. *c.* 12.

Commutatio Votorum.

Hæc fieri poteſt à Confeſſario, non diſpenſatio. Commutari poſſunt vota quælibet quorumlibet fidelium, etiam jurata, adeoque & ipſa juramenta. Excipiuntur vota caſtitatis & Religionis, & quæ facta in favorem tertii, ſi ab illo vel ejus nomine fuerint acceptata. Sanch. Sporer.

Valet commutatio facta 1. In non notabiliter minus. 2. Extra Confeſſionem. 3. Ab eo, cui non facta nec facienda Confeſſio. 4. Ante alia opera impleta, ſi adfuerit animus implendi. 5. Poſt Jubilæum, ſi vovens obtinuerit. Sanch. Gobat *num. 307.*

Pœnitentia & Indulgentia.

Pœnitentia injungenda eſt aliqua, *Tenor Bullæ*, minor tamen, quàm extra Jubilæum.

Indulgentia conceditur plenaria; obtinetur eo momento, quo ultimum opus completur, ſi complens ſit in ſtatu gratiæ; aliàs nunquam: niſi fortè, ut volunt aliqui, indulgentia amoto obice reviviſcat. Si complens ultimum opus ſit in P. V. lucratur indulgentiam plenariam aliorum peccatorum, non iſtius venialis. Layman *c. 6. num. 4.* Gobat *num. 278.*

Poſt tempus Jubilæi

Poteſt Confeſſarius eum, qui Jubilæum lucratus, abſolvere & vota commutare, uti potuiſſet

ſet tempore Jubilæi: qui enim lucratus ad hæc acquiſivit Jus.

Hinc abſolvere poteſt à reſervatis ante vel tempore Jubilæi commiſſis. 2. Abſolutionem confitentis tempore Jubilæi poteſt ex cauſa differre, & poſt Jubilæum abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris. 3. Abſolvere poteſt à reſervatis tempore Jubilæi inculpabiliter, vel ex juſta cauſa omiſſis. 4. Idem eſt de commutatione votorum, ſi pœnitens tempore Jubilæi oblitus ſit petere, aut noluerit, aut Confeſſarius commutare diſtulerit. Si verò quis confeſſus ſit animo lucrandi Jubilæum, & non ſit lucratus, poteſt Confeſſarius poſt Jubilæum abſolvere à reſervatis anteà oblitis; non tamen commutare vota. La Croix *l. 6. num. 1473.*

CAPUT VIII.

De Miniſtro.

Quis Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ?

MIniſter Sacramenti Pœnitentiæ eſt ſolus Sacerdos. *De Fide.* Inſtitutus eſt à Chriſto, *Joan. 20.* quando dixit Apoſtolis & eorum in Sacerdotio Succeſſoribus: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Quid requiratur, ut validè & licitè abſolvat?

Ut validè abſolvat habere debet Jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam. *Trid. Seſſ. 14. c. 7.*

14. c. 7. Quia Sacramentum Pœnitentiæ habet rationem Tribunalis & Judicii; natura autem & ratio Judicii expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, qui non habentur ſine Jurisdictione. Ad Jurisdictionem delegatam reſpectu Sæcularium, etiam Sacerdotum, accipiendam prærequiritur *ex Trident. Seſſ. 23. c. 15.* approbatio ab Ordinario. Ut licitè abſolvat requiritur in eo ſtatus gratiæ & competens ſcientia.

Quid Jurisdictio & approbatio?

Jurisdictio eſt Superioritas ſuper alios in foro conſcientiæ judicandos. Una eſt ordinaria, alia delegata: prima habetur ex vi officii, ſecunda ex commiſſione Papæ vel Epiſcopi. Approbatio eſt judicium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad excipiendas Confeſſiones. *Commun. TT.*

Qui ſint actus Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ?

Actus ejus ſunt pœnitentem diſponere, de peccatis judicare, reo inſinuare obligationes, peccata remittere vel retinere. Ratio eſt: *Quia pertinent ad officium ejus debitè peragendum.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Vi Jurisdictionis ordinariæ abſolvere poteſt in quocunque loco Papa omnes fideles, Epiſcopus ſuos Diœceſanos, Parochus Parochianos, Prælatus Subditum.

Coroll. 2.

Coroll. 2. Vi Jurisdictionis delegatæ à S. Pontifice, suppositâ Ordinarii approbatione, Regulares absolvere possunt quoscunque Sæculares in quocunque loco & tempore, etiam Paschali, *ex Constitut. Pii V. &c.*

Coroll. 3. Vi Jurisdictionis dubiæ aut probabilis nequit Sacerdos absolvere, saltem licitè & absolutè, nisi postulet pœnitentis necessitas, & tunc defectum Jurisdictionis, si quis sit, supplet Ecclesia; sicut & 1. Quando communi errore ob titulum coloratum Sacerdos creditur habere Jurisdictionem, quam non habet, etiam sciens. Gobat. 2. Quando bonâ fide absolvit nesciens potestatem esse revocatam, Navarr. aut sequitur sententiam probabilem de sua Jurisdictione. Bonac.

Coroll. 4. Nequit absolvere 1. Sacerdos simplex, nequidem à venialibus, saltem licitè *ex Decreto Innocent. XI.* excipe *ex Trid. Seff.* 14. *c.* 7. articulum mortis, sed absente approbato, ut habet *communior*; imò præsente, ut censet Her. 2. Præsumens absolutionem ab Ordinario ratihabendam, aut facultatem ab eo, si peteretur, dandam. Ratio: *quia deest Jurisdictio actualis.*

Coroll. 5. Non approbatus absolvere potest Regularem; dummodò consentiat Prælatus, aut subditus licentiam habeat Confessarium talem eligendi. Religiosi ab uno Episcopo approbati, iter agentes, fidelium Confessiones audire possunt in locis, in quibus non existit

 Episco-

Episcopus, *ex Privileg. Gregorii XIII.* apud Sporer *num. 678.*

Coroll. 6. Defectu approbationis nequit absolvere Regularis 1. In Diœcesi, pro qua non est approbatus, quamvis approbatus pro alia, *ex proposit. damnat. ab Alexandro VII.* Item quamvis pœnitens sit ex Diœcesi, pro qua est approbatus, *ex Const. Clementis X. supernæ.* quam tamen Platelius intelligit de publica administratione. Si verò sit approbatus pro Diœcesi, in qua moratur, poterit in ea absolvere venientes ex Diœcesi, pro qua non est approbatus. *Sixtus IV.* 2. Si approbatio sit denegata, etiam injuste, *ex proposit. 13. damnat. ab Alexandro VII.* 3. Si approbatio sit revocata ex causa concernente confessiones. *Const. cit. Clementis X.*

Coroll. 7. Illicitè absolvit Confessarius 1. Existens in peccato M. Quid, si in eo plures successivè absolvat? Unum committere peccatum censent Sporer *part. 1. num. 175.* Lugo, Diana, quia unum moraliter ministerium 2. Non supplens defectum examinis in materia necessaria. 3. Non judicans de criminum gravitate & qualitate, ubi moraliter possibile. 4. Non instruens pœnitentem de necessariis. Quod si ignorantia rei præceptæ v. gr. restitutionis sit inculpabilis, & instructio videatur non profutura, relinquendus est pœnitens in bona fide. 5. Culpabiliter errans cum damno tertii; isque tenetur postea vel intra vel extra Confessionem monere pœnitentem, & quidem ex Justitia, si erraverit

verit poſitivè, v. gr. pœnitentem deobligando à reſtitutione, aliàs tenebitur ipſe reſtituere; quod etiam debet, ſi pœnitens jam non poſſit, potuiſſet autem, ſi priùs monitus. Sporer *num. 781. ex communi.*

CAPUT IX.
De Abſolutione.

Quibus Abſolutio danda, quibus non?

ABſolutio danda eſt diſpoſito, neganda indiſpoſito. *TT. omnes.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Danda eſt abſolutio, quando pœnitens ſequitur ſententiam probabilem: quia in materia facti, dum agitur de honeſtate actûs, non tenetur ſequi ſententiam probabiliorem Confeſſarii; ſequendo quippe ſuam, non peccat.

Coroll. 2. Differenda eſt abſolutio: 1. In dubio, an Confeſſarius poſſit abſolvere. 2. In dubio de vero dolore & propoſito pœnitentis, qui ſæpe monitus occaſionem peccandi non vitavit, non reſtituit &c. 3. Ob utilitatem pœnitentis, ut dilatione territus peccati agnoſcat gravitatem & emendationis neceſſitatem. 4. Ob defectum examinis & pœnitentis ruditatem, niſi Confeſſarius juvare poſſit. Qui notet, pœnitentem cum peccato M. non eſſe dimittendum ſine abſolutione, niſi priùs diſponatur ad con-

contritionem, quantum poteſt; ut probabiliter ſit extra ſtatum damnationis.

Coroll. 3. Neganda eſt abſolutio: 1. Non confitenti integrè, utpote neganti peccatum, quod Confeſſarius extra Confeſſionem certò novit eſſe commiſſum & nondum confeſſum. 2. Non habenti veram contritionem & propoſitum? cujus ſigna ſunt: Si nolit reſtituere, inimico reconciliari, evitare occaſiones proximas, v. gr. cohabitationem concubinæ &c. Si verſetur in conſuetudine, & poſt monitiones nulla appareat ſpes emendationis. *ex propoſit. 60. damnata ab Innocent. XI.*

CAPUT X.
De Reſervatione.
Quid Reſervatio Caſuum?

Reſervatio eſt negatio Juriſdictionis ad abſolvendum à peccato aliquo M. externo. Unde caſus reſervatus eſt peccatum, à quo non poteſt quilibet abſolvere defectu Juriſdictionis.

An detur in Eccleſia poteſtas reſervandi peccata?

Datur, & eſt de fide *in Trid. Seſſ. 14. can. 11.* Colligitur ex verbis Chriſti *Joan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Quis

Quis possit reservare, & quis à reservatis absolvere?

Peccata reservare possunt Papa in tota Ecclesia, Episcopi in suis Diœcesibus, Prælati in suis Religionibus; iidémque sicut & delegatus ab eis absolvere possunt directè, non delegatus quandoque indirectè. *Commun.*

Quid sit indirectè absolvi ab aliquo peccato?

Pœnitens directè absolvitur à peccatis, quæ subjicit clavibus, super hæc enim cadit absolutio; si autem alicujus oblivis catur, aut habeat reservatum & non competentem Confessarium, ab eo absolvitur indirectè, quatenus etiam remittitur; cum sit dispositus ad absolutionem, & unum mortale nequeat remitti sine alio. Postea verò, quando potuerit, peccatum illud tenetur subjicere clavibus pro absolutione directa.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Non sunt peccata de facto reservata 1. Venialia: *quia sunt materia libera Confessionis.* 2. Interna: *quia de his non judicat Ecclesia.* 3. Dubia, quamvis post absolutionem fiant certa: *quia sunt absolutè remissa.* 4. Non completa, v. gr. adulterium solum attentatum, Herinx. aliique. quia reservatio est strictæ interpretationis. Demum S. Pontifex nullum reservat peccatum, ut habet *communior DD.* nisi ob annexam ei censuram,

ram; si igitur ab hac, etiam Bullæ Cœnæ, pœnitens ob ignorantiam excusetur, peccatum non erit reservatum. Casus verò Episcopales incurruntur etiam ab ignorantibus reservationem. *Commun. contra* Navarr. & quosdam alios. Ratio est: *quia reservatio non habet rationem pœnæ, & illius ignorantia Confessario non tribuit facultatem absolvendi.* Sporer tamen *num. 735.* cum Gobat &c. censet, pœnitentem, si ignoret peccatum suum esse reservatum, saltem pro illa vice posse absolvi à quolibet Confessario, quod certum videtur de absolutione indirectâ, aliàs pœnitens, qui bonâ fide accessit, deberet sine absolutione recedere; quod non censentur velle Ordinarii. Monendus tamen est, ut cum eo non redeat, aliàs non absolvendus, nisi ab habente facultatem in reservata.

Coroll. 2. Prælati majores Ordinum mendicantium in foro conscientiæ subditos suos etiam Novitios, absolvere possunt *ex Bulla Pii V.* ab omnibus casibus Papalibus, à quibus possunt Episcopi Diœcesanos; Hi verò *Jure Tridentini Sess. 24. c. 6.* absolvere possunt per se vel alium à se deputatum ab omnibus occultis, exceptâ hæresi, à qua non possunt, nisi per se immediatè; excipiuntur, contradicente Sannig & nonnullis, casus Bullæ Cœnæ, quæ derogat facultati, *Trident. ex proposit. 3. damnata ab Alex. VII.*

Coroll. 3. Confessarii Regulares *ex Concessione Pauli III.* absolvere possunt Sæculares pro foro conscientiæ tantùm ab omnibus Papæ reservatis

ad

ad forum publicum ſeu contentioſum non deductis; exceptis Caſibus Bullæ Cœnæ & reſervatis Epiſcopo loci & quibusdam intra Italiam ibidem Papæ reſervatis, qui ſunt 1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ. 2. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem. 3. Duellatio. 4. Injectio manuum in Clericos. 5. Simonia.

Coroll. 4. Confeſſarii Regulares vi privilegii Pontificii à Caſibus Papalibus, etiam extra Bullam Cœnæ, nequeunt abſolvere Religioſos, etiam ejusdem Ordinis: *quia privilegium eſt pro abſolvendis Sæcularibus.* Adeoque Religioſi abſolvendi ſunt à ſuis Prælatis; An etiam abſolvi poſſint ab iis, qui à Provinciali facultatem habent abſolvendi à reſervatis, dependet à mente illius: an contulerit poteſtatem ſolùm in caſus in ordine reſervatos, an etiam in Papales. Unde Confeſſarii pro caſibus in ordine reſervatis deputati nequeunt abſolvere percuſſores Fratrum, niſi poteſtatem habeant, ut ſupra. Sporer *de Pœnitent. num. 743.*

Coroll. 5. Confeſſarii Privilegiati à peccatis reſervatis abſolvere nequeunt extra Sacramentum Confeſſionis: *quia requiritur abſolutio Sacramentalis.* A Cenſuris verò abſolvere poſſunt extra Sacramentum Pœnitentiæ: quia abſolutio à Cenſura etiam in foro conſcientiæ, ſeparari poteſt ab abſolutione è peccatis, Layman *c. 10. num. 21.* monens tamen, à Cenſura in foro conſcientiæ non eſſe abſolvendum, niſi vel auditâ

con-

confessione vel hâc sequente; hoc enim tutius & usitatius.

Coroll. 6. Confessarius Regularis nôsse debet casus reservatos, à quibus nequit absolvere, videlicet reservatos in sua Religione, reservatos Episcopo loci & reservatos in Bulla Cœnæ saltem in hisce partibus contingentes, qui sunt Hæresis formalis & lectio Librorum Hæreticorum; alios Papales, à quibus ex Privilegio potest absolvere, scire non tenetur; sufficit dicere: *Absolvo te ab omni vinculo excomm. & interdicti, in quantum possum & tu indiges &c.*

Coroll. 7. Cessat reservatio 1. Si pœnitens sit in articulo vel periculo mortis. 2. Si ob impedimentum perpetuum nequeat adire Pontificem vel delegatum; tunc enim casus Papalis, etiam Bulla Cœnæ, devolvitur ad Episcopos & Privilegiatos Mendicantes, Sporer *num. 751.* *Quid si nec horum aliquem adire valeat?* adeat suum Parochum vel quemcunque alium approbatum. Ita rationabilissimè præsumitur de mente Summi Pontificis, & censent Scotus, Layman. aliique apud Sporer *cit.* modò pœnitens satisfacere velit parti læsæ, si quæ sit; juretque quod sublato impedimento se præsentaturus sit Pontifici ad suscipiendum mandatum ejus; restringunt autem Tambur. *de Confess. l. 3. c. 6.* Gobat *num. 145.* apud Sporer *cit.* hoc obligare solùm pro foro externo, addentes, si etiam obliget in foro conscientiæ, sufficere, si pro hoc pœnitens se præsentet Delegato Papæ seu Regulari

lari privilegiato. 3. Si Confitens reſervata à Superiore abſolvatur ſacrilegè. Lugo *d. 20. num. 106.* quia abſolvens intendit abſolvere, quantum poteſt; poteſt autem à reſervatione.

Coroll. 8. Confeſſarius conformare ſe debet reſervatione Diœceſis, in qua abſolvit; nihil faciente, ſive peccata in Diœceſi, ex qua pœnitens, ſint reſervata, ſive non, *ex Conſtitut. Clementis X. ſuperna.* Ubi additur: *Niſi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad aliam Diœceſin pro abſolutione migrâſſe.* Parochus tamen abſolvere poteſt in aliena Diœceſi ſuum Parochianum, etiam à reſervatis ibidem. ita Lugo, Bonac. Franc. à J. M. quia Jurisdictionem habet Ordinariam, eámque in foro interno ubique in ſubditum exercere poteſt.

Coroll. 9. Habens caſum reſervatum & non competentem Confeſſarium, poteſt urgente neceſſitate confeſſionis à quovis Confeſſario abſolvi indirectè, at cum onere poſtea comparendi coram Superiore, ejusve delegato ad iterum confitendum, vel ſaltem coram eodem Confeſſario, ſi is facultatem abſolvendi petere velit. Dixi: *poteſt*; quia celebrare poteſt cum contritione & non tenetur priùs confiteri, ſaltem ſi non habeat aliud mortale; ſi tamen confiteri velit, & indirectè abſolvi, dicere debet peccatum aliquod non reſervatum, ut habeatur materia abſolutionis directæ; & probabiliùs etiam reſervata, ut conſtet de diſpoſitione confitentis. Sporer *num. 757. ex comm. & tutiſſima.*

CAPUT

CAPUT XI.

De Sigillo Confeſſionis.

Quid ſit? quando & quomodo obliget?

SIgillum Confeſſionis eſt obligatio Juris Divini ſemper ſub mortali & in omni caſu tacendi omnia in Confeſſione audita, quorum revelatio Sacramentum redderet odioſum; item non utendi notitiâ Confeſſionis, quando ullo modo fit in gravamen pœnitentis, *commun. DD.* quamvis ei ex non uſu eveniret majus. Henn. *ex Declar. Card. 1682.* quia verè uteretur in gravamen pœnitentis; item præberetur anſa gravandi pœnitentes.

Unde oriatur Sigillum Sacramentale?

Oritur ex omni & ſola Confeſſione Sacramentali, etiam non datâ abſolutione: *quia eſt Sigillum Confeſſionis, illúdque omnis & ſola Confeſſio Sacramentalis poſtulat.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Violans Sigillum peccat & contra Religionem & contra Juſtitiam: contra hanc quandoque leviter, ſi leviter noceat bono famæ; contra iſtam in omni materia graviter: quia ſemper nocet graviter bono Religionis. Sporer.

Coroll. 2. Peccat contra Sigillum 1. Revelans audita ad avertenda damna, ſint quæcunque; urgendus tamen eſt pœnitens, ut damnum vel ipſe

ipſe avertat, vel Confeſſario de hoc loquendi facultatem faciat extra Confeſſionem. Sporer *num. 816.* 2. Confeſſarius extra Confeſſionem loquens cum pœnitente de Confeſſis ſine ejus licentia; ſive propriè violet ſigillum, ſive non. 3. Revelans, etiam de licentia pœnitentis, audita in Confeſſione formaliter, ſive ut audita in Confeſſione: quia ſigillum non eſt in favorem ſolius pœnitentis, ſed etiam Sacramenti. Scot. *d. 21. q. 2.* contra nonnullos. Ut igitur Confeſſarius de auditis poſſit loqui, poſt abſolutionem dicat pœnitens: *quæ dico vel dixi, ſint dicta extra Confeſſionem.* Henno.

Coroll. 3. Materia ſigilli ſunt 1. Omnia peccata mortalia in genere & in ſpecie, venialia ſolùm in ſpecie. 2. Peccata publica, aliàs Confeſſario ignota. 3. Peccata aliena, à pœnitente manifeſtata. 4. Satisfactio impoſita, ſaltem gravis. 5. Pœnitentis indiſpoſitio, cui non abſoluto negandum non eſt teſtimonium Confeſſionis. 6. Defectus, etiam naturales, tum pœnitentis, tum alterius, quorum revelatio odioſa. *ex Commun.* quia quodlibet illorum, ſi reveletur, Sacramentum reddit odioſum.

Coroll. 4. Illicitè utitur ſcientiâ Confeſſionis: ex ea pœnitentem corripiens, privans officio, negans ſuffragium, Euchariſtiam, aſſiſtentiam Matrimonii, abſolutionem &c. unde ſi ſponſa neget peccatum ex confeſſione ſponſi cognitum, caveat Sacerdos eam reprehendere, ſed quaſi non ſciens de hoc, eam examinet, & ſi ne-

neget, abſolvat vel abſolutè, ut vult Sporer, vel conditionatè, ut alii.

Coroll. 5. Licitè utitur ſcientiâ Confeſſionis: 1. Prælatus ex ea agens ſuaviùs & liberaliùs. 2. Confeſſarius caſus intricatos aliis, ſuppreſſo pœnitentis nomine, exponens. 3. Se abſcondens ad declinandam alicujus Confeſſionem; modò pœnitens non advertat, nec alii deſint Confeſſarii. 4. Domo exiens, vel non celebrans ſub aliquo prætextu ad evitandam mortem; tametſi complices ſuſpicentur fieri ex notitia Confeſſionis. Layman. quia ex tali uſu nullum pœnitenti, nec alteri gravamen.

Coroll. 6. Ad Sigillum obligantur: 1. Confeſſarius, etiam fictus; Superior & Conſiliarius, ad quos recurrit Confeſſarius de licentia pœnitentis. 2. Interpres. 3. Audientes, ſive ex malitia, ſive caſu, peccata confitentis. 4. Omnes, quibus Sacerdos Confeſſionem aperuit, etiam mediatè. 5. Inveniens Confeſſionem ſcriptam. Roderiq. contra Navarr. Sannig &c. volentes teneri ad ſecretum naturale; Ratio: *quia omnes illi notitiam habent immediatè vel mediatè ex Confeſſione Sacramentali, ſaltem à pœnitente intentâ.*

Coroll. 7. Pœnitens non tenetur ſub ſigillo ſervare ea, quæ ſibi dicta à Confeſſario; neque Confeſſarius, quæ ſibi dicta ſub ſigillo extra Confeſſionem, vel in Confeſſione ſimulata, aut ad finem mortaliter malum. *ex commun.* quia ſigillum oritur ex ſola Confeſſione Sacramentali,

tali, atque sub illud cadunt tantùm ea, quæ manifestat pœnitens.



TRACTATUS XXIIII.

De Extrema Unctione.

CAPUT I.

De ejus Existentia.

Quid sit Extrema Unctio?

EST Unctio hominis infirmi pœnitentis à Presbytero facta oleo sacro sub præscripta verborum forma ex institutione Divina efficaciter significans alleviationem & curationem animæ à reliquiis peccatorum. *Communis.*

An Sacramentum? à quo & quando institutum?

Extrema Unctio est Sacramentum à Christo D. N. institutum, *de Fide.* & quidem immediatè, & post resurrectionem, quando *Joan. 20.* Apostolos instituit completè Sacerdotes. *Her. d. 9. num. 8.* Postea à S. Jacobo Apostolo promulgatum *Jacobi 5. Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.*

Quæ materia ejus & forma?

Materia ejus remota est oleum olivarum, proxima est Unctio; Forma est hæc: *per istam S. Unctionem &c. Flor. in Decreto.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Ad extremam Unctionem requiritur necessitate Sacramenti 1. Oleum benedictum ab Episcopo, *Trident. Sess. 14. c. 1.* vel à Presbytero ex commissione Summi Pontificis, *commun.* contra quosdam, & praxis apud Græcos. 2. Quinque Unctiones quinque sensuum. *Commun. DD.* cum S. Th. In necessitate fieri possunt in uno oculo, aure, manu &c. sub una forma: *Per istas sanctas Unctiones & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per omnes sensus.* Probabiliter tamen sufficit una Unctio; hinc ob periculum mortis in mora ungi potest, sed conditionatè, sola frons sub hac forma: *Per istam . . . quidquid deliquisti per omnes sensus.* 3. Debita forma, ut supra, in qua non sunt verba essentialia: *Sanctam . . . & suam piissimam misericordiam;* reliqua sunt: quia significant partim Sacramenti materiam, partim effectum.

Coroll. 2. Requiritur necessitate præcepti tantùm: 1. Ut oleum sit eo anno benedictum. 2. Ut Unctio fiat in modum crucis pollice manûs dextræ. *Rituale.* Hinc peste grassante, fieri potest virgâ oblongâ, oleo tinctâ.

Coroll. 3. Extrema Unctio est Sacramentum unum unitate integritatis, ita ut quælibet Unctio cum forma sua partiale constituat Sacramentum, omnes unum totale. Scotus *4. d. 23. q. un.* quia in qualibet Unctione habetur distincta materia, distincta forma, & distinctus effectus, omnes autem ad unum referuntur effectum

ctum totalem ; ergo sunt plura Sacramenta partialia, unum totale.

CAPUT II.
De Ministro, Subjecto, Effectu.

Quis Minister Extremæ Unctionis?

MInister est solus Sacerdos, *de Fide.* & omnis, etiam excommunicatus; *quia sufficit Character Sacerdotalis.* Solus tamen proprius ungit per se licitè, & debet ex obligatione Justitiæ; *quia sic permittit & postulat ratio Pastoralis Officii.*

Quodnam Subjectum ejus?

Subjectum sunt soli fideles post Baptismum lapsi, vitâ vi morbi etiam ex vulnere, partu, senectute &c. periclitantes; qui tamen per se non obligantur ad illius susceptionem. *Commun. DD.* quia extrema Unctio est instituta pro infirmis *ex Jacobi 5.* non tamen de præcepto.

Quis Effectus Extremæ Unctionis?

Effectus primarius est finalis remissio peccatorum venialium, non mortalium per se S. Bonav. quia est Sacramentum vivorum; ergo forma ejus, quæ significat indulgentiam peccatorum, intelligi debet de peccatis venialibus.

An possit iterari?

Iterari potest Extrema Unctio in diversa moraliter infirmitate; *ex Trident. Sess. 14. c. 3.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Religiosi extremam Unctionem ministrantes sine proprii Sacerdotis licentia ipso facto incurrunt excommunicationem. *ex Clement. l. de Privileg.* Excusantur, si ministrent in necessitate, absente Parocho; vel hic præsens injustè nolit dare. Sann. *ex Bulla Sixti IV.*

Coroll. 2. Infirmum absolutum Parochus non tenetur tempore contagionis inungere cum discrimine vitæ; hæc enim aliis est necessaria, non Extrema Unctio infirmo absoluto.

Coroll. 3. Extremæ Unctionis sunt incapaces 1. Non Baptizati. 2. Qui non peccârunt actualiter. 3. Qui nunquam habuit usum rationis; si habuerit postea factus amens, inungi potest, modò Christianè vixerit & non constet, fuisse in peccato M. quando incidit in amentiam. Gobat *num. 826.* 4. Captivi ad mortem. 5. Jam uncti, existente adhuc eodem mortis articulo. 6. Infirmi non ad mortem: *quia ungendus debet periculosè ægrotare, non tamen exspectanda est ultima vitæ periodus.*

TRA-

TRACTATUS XXIV.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Essentia & Effectu.

Quid Ordo? quotuplex? an Sacramentum? an Episcopatus Ordo?

ORdo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato. S. Thom. Septem enumerantur à *Trident. Sess. 23. c. 2.* Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.

Tres posteriores dicuntur sacri & majores, alii minores: *quia hi in minore, isti majore ætate suscipiuntur, habentque annexam obligationem continentiæ.* Saltem Presbyteratum esse Sacramentum docet fides, *quidquid de aliis TT.* Præter hos Episcopatus est verus Ordo, Gobat contra Vasq. &c. quia in Ordinatione Episcopi confertur potestas spiritualis; estque Ordo distinctus ab aliis propter distinctam materiam & formam.

Quid sint singuli Ordines?

Presbyteratus est Sacramentum, quo confertur potestas ad consecrandum & absolvendum. Diaconatus est, quo confertur potestas ad cantandum solemniter Evangelium & dispensandum sacra Mysteria. Subdiaconatus, quo con-

fertur poteſtas ad cantandam ſolemniter epiſtolam & præparandum in ſacris vaſis Sacrificii materiam, & ſic proportione ſervatâ de reliquis. Sannig.

Quodnam Ordinatorum officium?

Officium Sacerdotis eſt conſecrare, abſolvere &c. Diaconi cantare Evangelium, ex commiſſione Sacerdotis baptizare, prædicare, diſpenſare Euchariſtiam. Subdiaconi eſt legere epiſtolam &c. Acolythi eſt præparare vinum in urceolis, accendere & deferre candelas. Exorciſtæ eſt conjurare & ejicere dœmonia. Lectoris eſt legere libros Veteris & Novi Teſtamenti, Catechumenos inſtruere & novos fructus benedicere. Oſtiarii eſt cuſtodire claves templi, pulſare &c. *ita varii Can. & Con.*

Quæ materia Ordinum? qualiter tangenda? quæ forma?

Materia Ordinum remota eſt res, quæ ab Ordinante traditur tangenda, probabiliùs phyſicè; proxima eſt ejusdem traditio. Forma cujusque reſpectivè Ordinis ſunt verba, quæ profert Epiſcopus. In ſpecie materia Epiſcopatûs eſt manuum impoſitio. Materia Presbyteratus eſt traditio patenæ cum hoſtia & calicis cum vino, dum confertur poteſtas conſecrandi; & impoſitio manuum Epiſcopi, dum confertur poteſtas abſolvendi. Materia Diaconatûs eſt traditio Libri Evangeliorum, & impoſitio manuum.

nuum. Materia Subdiaconatûs eſt traditio calicis vacui & patenæ vacuæ & Libri Epiſtolarum. De aliis patet ex eorum officiis, ut ſupra.

Quis effectus Ordinis?

Effectus Ordinis 1. Eſt poteſtas ſpiritualis. 2. Character. 3. Gratia habitualis & actualis. *Commun. DD.*

Coroll. Peccant M. Epiſcopus & Ordinandus omittentes tactum phyſicum: quia Ordinem exponunt periculo nullitatis. Et Sacerdos vel Epiſcopus taliter ordinatus rurſus eſt ordinandus ſub conditione, ad avertenda graviſſima damna, quæ ex ordinatione invalida ſequi nata; ſecus eſſet, ſi tetigiſſet phyſicè, ſed mediatè v. gr. manu opertâ chirothecâ. Gobat.

CAPUT II.
De Miniſtro & Subjecto.

Quis ſit Ordinationis Miniſter?

ORdinationis Miniſter ordinarius eſt omnis & ſolus Epiſcopus, *Trident. citat.* Ex Commiſſione Pontificis poteſt quilibet Sacerdos conferre ordines minores & probabiliter Subdiaconatum & Diaconatum, Rodriq. Vaſq. Tambur. probantes ex ipſo facto. Dixi: *probabiliter*, propter AA. qui in contrarium vel factum eſſe negant, vel aliter explicant. Non verò poteſt Sacerdos conferre Sacerdotium: ita cum S. Tho-

ma apud à M. D. *commun. DD.* colligentium ex nunquam facto.

Quodnam Subjectum Ordinis?

Subjectum Ordinis est omnis & solus masculus baptizatus. *c. Mulieres. d. 32.* & sumitur ex institutione Christi in nocte Cœnæ.

Coroll. Episcopus hæreticus validè ordinat: quia retinet Characterem Episcopalem; idem est de degradato. 2. Puer ante usum rationis ordinatus non obligatur ad castitatem: quia nec eam vovere potuit, nec ejus præcepto voluntariè (ut vult Ecclesia) se subjicere; potest autem & debet, si ordinem exercere velit. Sanchez. 3. Hermaphroditus ordinari valet, si prævaleat sexus virilis, quia censetur mas. Quod si post susceptum Presbyteratum prævaleat sexus fœmineus, abstinere debet à consecratione: quia vel non fuit verus sexus virilis, vel in ratione hujus, quia evanuit, æquiparatur defunctis. Lugo. Ut licitè ordinetur, requiritur dispensatio in irregularitate ex sexu monstroso.

CAPUT III.
De Qualitatibus Ordinandorum.

Quid requiratur, ut quis ordinetur licitè?

AD licitam Ordinationem requiritur, ut ordinandus sit Confirmatus, sed juxta plerosque sub obligatione levi, & primâ tonsurâ initia-

initiatus. 2. Ut habeat legitimam ætatem, quæ est pro Subdiaconatu annus 22. pro Diaconatu 23. pro Sacerdotio 25. omnes saltem inchoati. 3. Ut sit in statu gratiæ & nullâ censurâ vel irregularitate detentus. 4. Ut habeat Ordinationis titulum; qui sit vel beneficii, vel patrimonii, vel Professionis Religiosæ. 5. Ut ordinetur à proprio Episcopo, qui est originis vel domicilii, vel beneficii; aut ab eo literas habeat dimissorias. Si verò ordinarius ordinandi non sit Episcopus, sed Abbas Jurisdictionem habens quasi Episcopalem, ut Reverendissimus Ordinarius Fuldensis, ad eum pertinet dare dimissorias subditis suis, etiam Sæcularibus. *ex Decisione Rotæ* apud And. à M. D. *tr. 8. c. 4.* 6. Ut ordines non suscipiat per saltum v. gr. Diaconatum ante Subdiaconatum; & majores non nisi in quatuor temporibus aut Sabbatho S. 7. Ut servet interstitia, post susceptum unum ordinem majorem exspectando per annum Ecclesiasticum ad susceptionem alterius. Reiffenst. *l. 1. Decret. 11.*

Coroll. Regulares quoad ordinationem variis gaudent privilegiis tum ante tum post *Trident.* concessis. Ordinari possunt extra tempora à jure statuta tribus Dominicis aut Festis duplicibus continuis vel interpolatis; sic post *Trident.* concessit *Clemens VIII.* apud Reiffenst. *citat.* 2. Si Episcopus Dioecesanus sive in cujus Dioecesi existit monasterium, absens fuerit, aut non sit habiturus ordinationes, possunt Prælati Regulares

subdi-

ſubditis Regularibus dimiſſoriales concedere ad quemcunque alium Epiſcopum; ſic idem *Clemens VIII.* apud Reiffenſt. *num. 133.*

CAPUT IV.

De Ordinatorum Obligationibus.

Ad quid Ordinatos obliget Eccleſia?

Conſtitutos in Ordinibus ſacris vel aliquo ipſorum obligat 1. Ad horas Canonicas. *Concil. Lateran. c. dolentes.* 2. Ad continentiam. *Can. 25. Apoſt. & Concil. Carthag. II. can. 2.*

Coroll. Conſtitutus in ordine ſacro non obligatur ad continentiam ex voto. ita Scotus & multi cum illo: quia ordinandi non jubentur emittere tale votum, nec emittere ſolent; multi verò Canones & Decreta Clericis obligationem continentiæ imponunt. Nihilòminus Clerici exercentes actum venereum committunt ſacrilegium: quia præceptum continentiæ eſt ex motivo Religionis; ſicut percuſſores Clericorum committunt ſacrilegium: quia ex eodem motivo eſt contra illos Canones: *Si quis ſuadente.* Quod ſi Clericus ad incontinentiam inducat alium cum alia, ſcandalum committit, non ſacrilegium: quia vi præcepti Eccleſiaſtici, ſive voti (ſi hoc velis) ſolùm in proprio corpore continentiam ſervare tenetur.

Quot

Quot & quæ ſunt Clericorum Privilegia?

Sunt duo: Primum dicitur *Canonis*, quod eorum percuſſores incurrant excommunicationem latæ ſententiæ, de quo *c. 2. Tr. de Cenſur.* Secundum dicitur *fori*, vi cujus exempti ſunt à brachio & poteſtate ſæculari.

Utrum initiatus primâ Tonſurâ gaudeat dictis Privilegiis?

Gaudet privilegio *fori*: Si Beneficium Eccleſiaſticum habeat; aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat; vel in Seminario Clericorum, vel in aliqua ſchola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. ita *Trident. Seſſ. 23. de Reform. c. 6.* & ſufficit, teſte Reiffenſt. quælibet harum trium conditio. Gaudet Privilegio *Canonis*: ſi habitum ſaltem deferat, ſerviatque alicuique Eccleſiæ, etſi conjugatus. Inſuper Tonſuratus obtinere poteſt Beneficium Eccleſiaſticum, & capax eſt Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ad excommunicandum, conferendum Beneficia &c.

TRA-

TRACTATUS XXV.
De Sacramento Matrimonii.
CAPUT I.
De Sponſalibus.
Quid ſint Sponſalia?

SPonſalia ſunt futurarum nuptiarum mutua promiſſio inter perſonas ad contrahendum matrimonium habiles. *Commun.* dicitur: *futurarum nuptiarum*, ut excludatur contractus matrimonii, qui dici ſolet ſponſalia de præſenti. Dicitur: *mutua promiſſio*, quia ſunt contractus oneroſus, ultrò citróque obligationem inducens. Unde ſi quis puellæ promittat matrimonium merè gratuitò ſine conditione repromiſſionis, tenebitur is quidem ſtare promiſſis, promiſſio tamen non habebit effectum ſponſaliorum, nec ligat puellam. Sanchez *l. 1. d. 5.*

A quibus poſſint contrahi?

Contrahi poſſunt ſolùm ab illis, qui validè & licitè contrahere poſſunt matrimonium; Quia promiſſio de re illicita non obligat, conſequenter eſt nulla.

Quis Sponſaliorum effectus?

Primus eorum effectus eſt per ſe gravis obligatio contrahendi tempore debito matrimonium; Alter eſt Jus quoddam inchoatum ſponſi

ſponſi in corpus ſponſæ, & è contra; ita ut peccet etiam contra Juſtitiam ſponſus fornicans cum alia aut ſponſa cum alio; non tamen hæc aut ille committit propriè adulterium: quia hoc eſt violatio thori alieni, ſponſus autem & ſponſa nondum habent unum thorum.

Per quid Sponſalia diſſolvantur?

Diſſolvuntur ſponſalia 1. Mutuo ſponſi & ſponſæ puberum conſenſu, etſi fuerint jurata: nam quilibet juri ſuo, quod per ſponſalia acquiſivit, poteſt cedere. 2. Per Profeſſionem Religioſam, non item per ingreſſum, niſi reſpectu remanentis in ſæculo: *quia profeſſio dirimit matrimonium contrahendum, non verò ingreſſus;* ingrediens tamen cenſetur renunciare juri ſuo ad matrimonium, adeoque ſponſus vel ſponſa manens in ſæculo poteſt tranſire ad alia ſponſalia. 3. Per ſuperveniens impedimentum perpetuò dirimens matrimonium. Item diſſolvi poſſunt per quamcunque mutationem notabilem in bonis naturæ, famæ, vel fortunæ ſponſalibus ſupervenientem, aut contrahenti incognitam. *Commun. DD.* quia promiſſio ſponſalitia, etiam jurata, intelligitur rebus ita permanentibus, vel non latente defectu aliquo notabili.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1 Valida ſunt ſponſalia contracta 1. Sine Parocho & Teſtibus. *Commun.* Horum enim præſentia nullo jure univerſali requiritur. 2. Sine con-

consensu parentum, nisi matrimonium cedat in eorum probrum, familiarum rixas &c. Tunc enim nequit licitè contrahi matrimonium, adeóque nec promitti. 3. A parentibus nomine filii aut filiæ, modò ratificet; alias non: *quia in his filius & filia sunt sui juris.* 4. Ex metu gravi injustè incusso, contra Mastr. Quia nec metus ex se, nec propter eum jus aliquod irritat sponsalia illa; sunt tamen irritabilia. 5. Cum obligatione ad pœnam à resiliente solvendam: sunt tamen illicita, & pœna non est solvenda. *L. Mulier. Cod. de Spons.*

Coroll. 2. Invalida sunt sponsalia contracta 1. Fictè; fingens tamen tenetur alterius damnis. 2. Sine intentione se obligandi. 3. Sine alterius repromissione. 4. Ante Septennium completum. *c. ad dissolv. de desponsat. impub.* 5. Sub conditione nondum impletâ; exspectandus tamen est conditionis eventus. 6. Ab habente votum castitatis: *quia hoc est impedimentum matrimonii.* Ob eandem rationem sponsalia priora annullant posteriora.

Coroll. 3. Sponsus, idem est de sponsa, resiliens sinè justa causa peccat M. contra Justitiam; absolvendus non est, nisi sponsæ satisfacere promittat, aut accusatus se Judicis accommodare sententiæ.

Coroll. 4. Sponsus vel sponsa impubes, adveniente pubertate, resilire potest, etiam alterâ parte invitâ, *c. de illis.* modò fiat statim, scilicet intra triduum, & sponsaliâ non sint jurata.

Coroll. 5.

Coroll. 5. Causæ resiliendi sunt 1. Fornicatio sponsi vel sponsæ, etiam per vim oppressæ. 2. Crimen infamatorium ab alterutro sponso aut propinquis commissum. 3. Habitualis infirmitas. 4. Depauperatio. 5. Notabilis mora culpabilis in contrahendo. 6. Unius discessus in terram longinquam sine consensu alterius. Sbogar. quia ad hos, similesque casus sponsalia sese non extendunt.

Coroll. 6. Si sponsalia sint manifesta, & causa dissolvendi incognita vel dubia; ad ea solvenda requiritur authoritas & sententia Judicis Ecclesiastici. Secus est, si causa dissolvendi sit manifesta & certa. Tanner. *d. 8. q. 1. num. 72.* & alii.

CAPUT II.

De Proclamationibus.

An, quot, à quo & quando faciendæ Proclamationes?

PRoclamationes tres matrimonio contrahendo regulariter sunt præmittendæ à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis. *Trid. Sess. 24. c. 1.* Dies festivi (quorum nomine venit etiam Dominica) censentur continui, quando inter unum & alium non intercedit aliud festum, sed tantùm dies feriati.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Est peccatum M. omittere proclamationes, nisi dispensaverit Episcopus vel ejus

Vicarius, aut urgens excuſet neceſſitas. Sanch. Quia præceptum *Concil. Trident. citat.* graviter obligat, & Parochus omittens proclamationes per triennium ſuſpendi debet ab officio; ut ſtatuit *Concil. Lateran.*

Coroll. 2. Si contrahentes ex diverſis ſint Parochiis, proclamationes fieri debent in utraque. *Declar. Card.* Si contrahentes ſint vagi, præcipit *Trident.* diligentem de impedimentis facere inquiſitionem.

Coroll. 3. Impedimentum non denuncians peccat graviter, quamvis ſciat ſub ſecreto naturali, vel juraverit nunquam manifeſtare, vel etiam, ut habet Sanch. contra Dian. nequeat probare; quia Parocho relinquitur inquiſitio; ſecretum autem naturale & juramentum non obligant cum tanto animarum damno, prout evenit, ſi non denunciato impedimento invalidè contrahatur matrimonium. Præmittenda tamen eſt admonitio fraterna, ſi profutura. And. à M. D. *tr. 9. c. 8.* Si admonitio nil juvet, dicendum eſt Eccleſiæ, etſi impedimentum ſit infamatorium, utpote ortum ex delicto ſponſi vel ſponſæ, & hæc vel ille imputet ſibi, quod non acquieverit monenti. Gobat *caſ. 13. num. 536.* Imò ſponſus ipſe vel ſponſa tenetur aut manifeſtare impedimentum, eſto conjunctum ſit cum infamia, aut à propoſito contrahendi deſiſtere: Quia tenetur non peccare. Sanch. *diſput. 14.*

Coroll. 4. Ceſſat obligatio denunciandi impedimentum: 1. Quando grave imminet malum denun-

denuncianti v. gr. ex delicto complici vel aliunde. 2. Quando grave timetur ſcandalum. 3. Quando alteri innocenti imminet grave damnum in fama, fortuna vel vita. Sanch. *citat. num. 9.* Gobat *num. 536.* Quia nec reverentia Sacramenti, nec præceptum Eccleſiæ obligat cum tali incommodo.

CAPUT III.
De Natura Matrimonii.
Quid Matrimonium & quotuplex?

MAtrimonium ſpectari poteſt 1. In ratione contractûs: & eſt legitimus contractus inter virum & fœminam, quo mutua corporum poteſtas ad procreationem prolis traditur & acceptatur. 2. In ratione vinculi: & eſt indiſſolubilis nexus maris & fœminæ ex contractu ortus. 3. In ratione Sacramenti: & eſt ipſe contractus matrimonialis; ut habet ſuperadditam ſignificationem gratiæ. Dividitur in legitimum, ratum, conſummatum: primum eſt præcisè ipſe contractus, & reperitur inter non baptizatos, ſecundum ſuperaddit rationem Sacramenti, tertium copulam carnalem. *Commun.*

Coroll. Valet matrimonium 1. Sinè intentione copulæ, & ſic fuit inter Deiparam, ejúsque ſponſum. *Commun.* 2. Inter baptizatos in ratione contractûs abſque intentione Sacramenti. And. à M. D. *tr. 9. num. 78.* Quia contractus matrimonialis

nialis non includit essentialiter rationem Sacramenti; excludere tamen non licet.

CAPUT IV.

De Matrimonii institutione, materia, forma & Ministro.

Matrimonium à quo & quando institutum?

MAtrimonium in ratione contractûs & vinculi indissolubilis fuit institutum à Deo in principio mundi. *Trident. Sess. 24.* In ratione Sacramenti à Christo. *Matth. 19.* dum dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ubi matrimonii indissolubilitatem explicitè confirmavit, & gratiam Sacramentalem implicitè annexuit.

Quæ sit Matrimonii materia & forma?

Materia ejus remota est dominium in mutua corpora, proxima est traditio, forma verò acceptatio. *Commun.* cum S. Thoma. Ratio: Eadem est materia & forma hujus Sacramenti, quæ est ipsius contractûs; Sed contractûs matrimonialis materia sunt corpora ad generandum tradita, forma est consensus seu acceptatio; ergo!

Quis hujus Sacramenti Minister?

Minister sunt ipsi contrahentes, sive per se contrahant, sive per Procuratorem. Dupasq. *d. 1. q. 4.* Quia Sacramentum Matrimonii est con-

contractus, ergo minister illius sunt, qui sunt contractûs; Sed minister contractûs sunt contrahentes, etsi contrahant per Procuratorem; ergo sunt etiam ipsius Sacramenti.

Coroll. In contrahente matrimonium requiritur status gratiæ, etiam si contrahat per Procuratorem: *Quia suscipit Sacramentum.* Non requiritur status gratiæ in ipso Procuratore; *Quia nec administrat, nec suscipit Sacramentum, sed solùm celebrat contractum nomine sui Principalis.* Si Principalis contrahens sit in statu peccati, & Procuratore contrahente dormiat, non peccat tempore somni, sed ante, quando prævidet, se Sacramentum suscepturum in statu peccati; si vero ad gratiam sit dispositus, eam recipit, sive Procuratore contrahente dormiat, sive vigilet: Quia nihil obstat.

CAPUT V.

De Consensu Matrimoniali.

An & qualis ad Matrimonium requiratur consensus?

AD valorem matrimonii requiritur mutuus contrahentium consensus; isque debet esse verus, liber à metu gravi injustè ad hoc incusso, & sensibiliter expressus sive per verba, sive per nutus aut alia indicia. *Commun.* Si consensus non sit verus, reputatur pro nullo; si non sensibiliter expressus, nequit acceptari; si sit ex metu gravi, matrimonium est nullum sal-

tem Jure Ecclesiastico, ut tenent omnes; etiam Divino, ut tenent D. Thom. Scotus *4. d. 29. num. 7.*

An sufficiat consensus conditionatus?

Sufficit consensus conditionatus, si conditio sit de præsenti vel præterito, eáque subsistat, & non repugnet naturæ matrimonii, & tunc statim valet matrimonium: *Quia impletâ conditione consensus est absolutus.* Quod si contrahens non sciat conditionem esse impletam, valet quidem matrimonium, sed usus ejus est illicitus; donec constet, conditionem esse impletam, & matrimonium validum. Si autem consensus sit de futuro contingenti, suspenditur valor matrimonii usque ad eventum conditionis, quâ eveniente probabiliùs renovandus est consensus coram Parocho & testibus, saltem ubi non valet matrimonium clandestinum. And. à Matre D. *c. 7. num. 81.* Ratio est: Quia prior consensus conditionatus non constituebat matrimonium & assistentia Parochi non erat vera assistentia matrimonii, adeoque repetenda est, ne Sacramentum matrimonii committatur dubio.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Valet matrimonium contractum: 1. Sinè consensu Parentum: *Quia proles sunt sui juris in electione statûs perpetui.* 2. Ex metu levi: *Quia non nocet libertati ad contrahendum requisitæ.* 3. Ex metu gravi justè incusso vel injustè, sed non

ad

ad extorquendum matrimonium: *Quia per metum justè incussum non fit injuria; & si non fuerit incussus ad extorquendum matrimonium, manet hoc liberum.* 4. Ex metu gravi: qui à causa naturali, v. gr. tempestate, infirmitate &c. *Quia non infert injustitiam.* 5. Sub conditione turpi v. gr. parricidii impleta. Herinx *d. 3. q. 4.* Quia impletâ conditione contractus est licitus, & subsistente consensu validus; contractus autem sub obligatione conditionis turpis implendæ non valet: *Quia nequit esse vinculum iniquitatis.*

Coroll. 2. Non valet matrimonium contractum: 1. Sinè consensu interno ex gravi metu, etiam cum Juramento. 2. Sub conditione non impleta. 3. Sub conditione impossibili, seriò appositâ. 4. Sub conditione contra substantiam matrimonii, v. gr. contraho tecum usque ad annos 10. vel si des facultatem alias cognoscendi: *Quia in præfatis non adest legitimus & verus consensus.* Non tamen nocet matrimonio intentio non servandi fidem, non reddendi debitum, &c. And. à M. D. *c. 7.* Quia hæc non sunt de substantia matrimonii. Demum nota, non licere matrimonium contrahere sub conditione saltem de futuro, ad evitandum periculum nullitatis & varia inconvenientia.

CAPUT VI.
De Matrimonio clandeſtino.

Quid Matrimonium clandeſtinum?

MAtrimonium clandeſtinum eſt, quod contrahitur ſinè aſſiſtentia Parochi & duorum vel trium teſtium.

An validum?

Regulariter nullum eſt, annullante illud jure *Trident. Seſſ. 24. c. 1.* ubi perſonas ad ſic contrahendum reddit inhabiles, ipſúmque contractum directè annullat; matrimonium autem in ratione Sacramenti irritat ſolùm indirectè: deſtruendo ſcilicet contractum, ſinè quo ſubſiſtere nequit. Dixi: *Regulariter*, propter caſus in Corollariis.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Matrimonium clandeſtinum contrahitur validè: 1. In Parochia, ubi decretum Trid. non eſt promulgatum. *Commun. ex ipſo Trident.* 2. Si incolæ loci, ubi Trid. obligat, ad locum, ubi non obligat, tranſeunt. And. à M. D. niſi fiat cum fraude. *Ex Brevi Urban. VIII. ad Ferdinandum Archiepiſc. Colon.* apud la Croix *num. 712.* Cenſetur autem fieri cum fraude, ſi illuc ſe conferant non animo transferendi, neque ibi figendi quaſi domicilium, ſed ſolùm animo contrahendi matrimonium ſine Parocho & teſtibus; excipe vagos, qui non habentes ullibi domicilium,

lium, sese accommodare possunt & debent loco, in quo sunt.

Coroll. 2. Matrimonium clandestinum invalidè contrahitur etiam ab ignorantibus Concilii decretum; item ab existentibus in urgenti necessitate ad contrahendum. Sanch. *d. 17. num. 4.* Quia ignorantia vel necessitas non habilitat aliàs inhabiles.

Coroll. 3. Parochus à Trid. requisitus debet esse proprius (isque est Parochus domicilii) saltem unius contrahentium, si ex diversis sint Parochiis. Testes verò, quicunque rationis compotes, etiam fœminæ, impuberes, & infideles esse possunt. Sanch. Quia *Concilium citat.* non requirit certas testium qualitates; sunt igitur, teste Gobat, idonei, quos Jus Naturale non arcet.

Coroll. 4. Validè assistit matrimonio Parochus: 1. Qui non Sacerdos. Sanchez contra nonnullos; nequit tamen alium substituere, nisi Sacerdotem. Idem *ex Trident. citat.* 2. In sua Parochia vagos conjungens, etsi alter tantùm sit vagus; sed non licitè sinè licentia Ordinarii. *Remiss Trident.* 3. Suos Parochianos matrimonio jungens extra Parochiam imò Diœcesim. 4. Excommunicatus etiam non toleratus, modò retineat Beneficium Parochiale. 5. Dolo inductus, aut metu coactus, imò contradicens. And. à M. D. *c. 8. p. 4.* Ratio omnium: Quia habetur assistentia Parochi, isque Ecclesiæ testari potest de matrimonio contracto.

Coroll. 5. Catholici contrahunt validè matrimonium coram vel sinè Prædicante in terris hæreticorum, ubi *Concilium Tridentinum* nunquam fuit promulgatum, aut si promulgatum fuerit, expulsis verò Catholicis, non adsint proprii Pastores: Quia in casu Concilii non promulgati, hoc non obligat; & in casu promulgati, si expulsi sint veri Pastores, servari non potest; debet tamen, quantum valet, adhibendo testes & aliquem, si adsit, Sacerdotem. *Ex Declarat. S. Congreg. 1605.* Insuper juxta DD. Germanos apud Sporer *de impedim. num. 35.* valida sunt matrimonia hæreticorum, quæ in Civitatibus Germaniæ habentibus Episcopum, in quibus Catholici permixti hæreticis, ut Augustæ, Hildesii &c. celebrantur coram ministro hæretico: *Quia fit sciente, & non contradicente, adeoque tacitè consentiente Summo Pontifice, ne gravia oriantur incommoda.*

CAPUT VII.

De Unitate Matrimonii.

Quid Polygamia & Bigamia?

POlygamia est conjugium cum pluribus uxoribus simul retentis; Bigamia verò cum duabus successivè. Matrimonium fœminæ cum pluribus simul viris dicitur Poliviria; quod omni jure illicitum & invalidum: Siquidem opponitur primario matrimonii bono, quod est generatio, quam impedit varium semen mascu-

masculinum mixtum fœmineo, ut patet in meretricibus.

An licita sit Polygamia?

Polygamia seu pluralitas uxorum jure divino fuit inhibita ab initio mundi. *Commun. TT.* Ex illo *Genes. 2. Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ubi non dixit Deus: *Adhærebit uxoribus.* Nec dixit: *Erunt tres vel plures, sed duo.* Nec obstat, quod Abraham, Jacob, aliíque Sancti Patriarchæ in Veteri Testamento plures simul uxores habuerint: quia *c. Gaudemus. de divortiis.* Divinâ dispensatione Sanctis illis Patriarchis fuit permissum, ut populus fidelis multiplicaretur. 2. Polygamia jure divino pariter inhibita est in lege Evangelica. Est definitum *in Trident. Sess. 24. can. 2.*

An licita sit Bigamia?

Bigamia seu secundæ Nuptiæ post mortem compartis sunt per se licitæ & Sacramentum. *De Fide.* Et patet tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex illo *1. Corinth. 7. Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Uxor bonâ fide transiens ad secundas nuptias excusatur à peccato; sed comparente marito primo, debet ad illum redire & relinquere secundum: Quia matrimonium cum secun-

secundo est invalidum. *c. Dominus. de secundis Nuptiis.*

Coroll. 2. Ut vir vel mulier valeat transire ad aliud matrimonium, requiritur moralis certitudo de morte prioris conjugis, ita ut nulla prorsus remaneat dubitatio. Sed maritus Berthæ est mortuus, hæc autem de morte ejus dubitat, & in dubio hoc contrahit cum alio; an validè? ℞. Validè: Si intenderit contrahere modo, quo potest, vel sub conditione, si maritus sit mortuus; Invalidè: Si judicaverit, se validè contrahere non posse; nemo enim efficaciter fertur in impossibile.

CAPUT VIII.
De Indissolubilitate Matrimonii.

An & quo jure Matrimonium sit indissolubile?

MAtrimonium legitimè contractum jure divino est indissolubile. *Trident, Sess. 24.* Sumitur *ex Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* & *1. Corinth. 7.* ait Apostolus; *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere &c.*

An dissolvi possit ob aliquam causam matrimonium consummatum?

Consummatum inter Christianos nequit solvi quoad vinculum, nisi potestate divinâ. *TT, unanimiter.* Tum ex perpetuâ traditione Ecclesiæ, tum

tum ex verbis Chriſti *Matth. 19.* & Apoſtoli *1. Corinth. 7.* Eſt contra hæreticos, volentes, matrimonium diſſolvi poſſe propter fornicationem alterius conjugum, & nonnullas alias cauſas, ſed oppoſitum definit *Concil. Trident. Seſſ. 24. can. 5. & 7.* Dixi: *quoad vinculum;* quia diſſolvi poteſt quoad thorum, ut *cap. ſeq.*

An diſſolvi poſſit Matrimonium ratum?

Poteſt, & ſolvitur per ſolemnem Religionis Profeſſionem alterius conjugum; ut definit *Trident. citat. can. 6.* Et quidem probabiliùs ex privilegio Chriſti. Sanch. *d. 19. num. 3.* An ſolvi poſſit etiam jure Pontificio inter *TT.* lis eſt: affirmat Gobat, negat Herinx &c. Sententia affirmans modò eſt communior & probabilior: Tum quia ad bonum Eccleſiæ regimen pertinet, Chriſtum per verba *Joan. 21. Paſce oves meas:* dediſſe facultatem diſpenſandi in votis, juramentis, matrimonio rato, ac hujusmodi, quando ratio dictat & neceſſitas poſtulat. Tum quia Sanch. *l. 2. diſput. 14.* refert, Gregorium XIII. unâ die cum undecim diſpensâſſe.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. In lege nova matrimonium infidelium etiam conſummatum diſſolvi poteſt, ſi unus convertatur ad fidem; actúque diſſolvitur; quando fidelis aliud contrahit matrimonium. And. à M. D. *c. 4. p. 2.* ex *cap. Gaudemus. de divort.* & ex Apoſt. *1. Corinth. 7.*

Coroll. 2.

Coroll. 2. Matrimonium ratum non dissolvitur per vota simplicia Societatis, ne per votum castitatis, si quod, in susceptione Subdiaconatûs. Gobat *num. 687.* Quia *Trident. citat.* requirit professionem Religionis, eamque solemnem.

Coroll. 3. Conjux semper intrare potest Religionem, quamdiu matrimonium non est consummatum; ad quod requiritur copula perfecta cum seminatione. Sbogar. Imò primo bimestri consummare non tenetur *c. ex publico, de conver. Conjug.* Si autem injuriosè opprimatur, matrimonium quidem consummatur, nec per professionem solvitur, Religionem tamen intrare potest: Sporer *num. 398.* Quia per alterius injuriam jure suo non privatur, & opprimens imputet sibi, quod manens in sæculo nequeat ad aliud transire matrimonium.

CAPUT IX.

De Divortio.

Quid sit?

DIvortium est separatio conjugum quoad thorum & habitationem, manente vinculo conjugii.

Ob quam causam fieri possit?

Fieri potest 1. Mutuo conjugum consensu, sive continentiam voveant, sive non; ut tamen vir vel mulier intrare possit Religionem, ultra consensum compartis requiritur, ut ipsa simi-

ſimiliter Religionem intret, aut in ſæculo manens emittat votum caſtitatis: quia ſic prævenitur inconvenientiis, quæ timeri poſſent. 2. Ob conjugis ſive viri ſive fœminæ adulterium, & quidem in perpetuum: quia ſic conceſſit Chriſtus *Matth. 19. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem &c.* ergo ob hanc licet. 3. Ad tempus ob compartis ſævitiam, morbum contagioſum, apoſtaſiam à fide &c. Quia cum periculo ſalutis ſpiritualis aut gravi damno temporali, quamdiu hoc vel illud durat, nequit conjux obligari ad cohabitandum. *Commun.*

Quâ authoritate fieri poſſit?

Divortium propter adulterium fieri poteſt quoad thorum authoritate propriâ, quoad cohabitationem per ſe authoritate legitimi Judicis. Sannig *d. 18. q. 4.* Quia ſeparatio quoad thorum eſt res privata, ſeparatio quoad cohabitationem eſt res publica; adeòque hæc, non illa, fieri debet judicio Eccleſiæ, excipe niſi adulterium jam ſit publicum & notorium. *c. ſignificaſti. de Divort.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Divortium fieri poteſt etiam ob copulam Sodomiticam, Beſtialitatem, & quemcúnque actum luxuriæ, quo conjux cum carne alterius commiſcetur per effuſionem ſeminis. D. Thom. apud à M. D. *c. 16.* Quia per copulas iſtas caro dividitur à conjuge, ſicut per adulterium.

Coroll. 2.

Coroll. 2. Divortium non conceditur ob adulterium : 1. Quando eſt inculpabile : Ubi enim non eſt culpa, nec pœna eſſe debet. 2. Quando vir mulieri præbuit cauſam aut facultatem : Quia particeps eſt delicti. 3. Quando innocens injuriam remiſit. 4. Quando uterque commiſit adulterium, eſto unum ſit occultum. Sbogar *Tr. 65.* Quia paria delicta mutuâ compenſatione tolluntur. *c. Intelleximus. de Adulteriis.* Hinc ſi unus conjux propter adulterium ſit dimiſſus, reſtituitur, ſi poſtmodum etiam alter fornicetur.

Coroll. 3. Vir per ſe non tenetur dimittere adulteram : *Quia remittere poteſt injuriam & cedere juri ſuo ad faciendum divortium.* Quod ſi dimiſerit, innocens non tenetur recipere nocentem, etiam factâ emendatione : Quia divortium propter adulterium, ſi velit, eſt perpetuum. Si tamen velit, eum obligare poteſt ad redeundum. Cœn. *d. 2. q. 8.* Quia ſententia divortii eſt in favorem innocentis.

Coroll. 4. Tempore divortii temporalis nequit innocens, minùs nocens, Religionem profiteri : *Quia redire debent ad invicem.* Poteſt tamen innocens tempore divortii perpetui, & poſt hunc nocens, qui & poteſt, ſi innocens nec recipere velit nocentem, nec ipſe alium ſtatum aſſumere. Andr. à M. D. *6. 16. p. 4.*

CAPUT

CAPUT X.

De Usu Matrimonii.

An Matrimonii Usus sit licitus?

Licitus est, & conjuges debitum conjugale petere possunt & licitè exercere; dummodo fiat debito jure, debito fine, modo & circumstantiis. Si enim secus, vitiatur, ut patebit ex Corollariis.

An sit obligatorius?

Est obligatorius, & quidem conjux conjugi seriò petenti reddere per se sub mortali tenetur. *TT. unanimiter.* Ex illo *1. Corinth. 7. Uxori vir debitum reddat, similiter uxor viro.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Conjux debitum nec petere potest, nec reddere 1. Quando scit matrimonium esse nullum, sive compars idem sciat, sive non: *Quia copula est fornicaria.* 2. Quando uterque contraxit malâ fide, utpote in dubio de valore, idque perseverat: *Quia per contractum malæ fidei nullum acquiritur jus.* 3. Quando uterque habet votum castitatis ex mutuo consensu. And. à M. D. *c. 15. p. 4.* Quia possunt & debent servare votum. Quodsi congrediantur, copula non est fornicaria, sed solùm sacrilega, nempe contra votum.

Coroll. 2. Conjux debitum petere non potest, sed reddere tenetur: 1. Quando dubitat de va-

lore matrimonii, & compars est in bona fide: *Quia propter dubium unius conjugis alter non est privandus jure conjugii, quod acquisivit bonâ fide contrahendo.* Si tamen conjux dubitans bonâ fide contraxerit, factâ diligenti inquisitione potest etiam petere: *Quia Possessio stat pro valore matrimonii.* Herinx *q. 6.* 2. Si habeat votum castitatis emissum ante nuptias vel post, sinè consensu compartis: *Quia voto suo aut dubio comparti præjudicare non potest.* Qui verò votum habet Religionis, peccat mortaliter matrimonium consummando: *Quia ante consummationem ingredi potest & debet Religionem.* At post consummationem debitum licitè reddere potest & petere, donec conjux moriatur vel adulteretur. Sporer *num. 457.* Quia eousque votum suum implere non potest. 3. Si contraxerit affinitatem cum propriâ conjuge ex incestu cum consanguineâ ejusdem in 1. vel 2. gradu; Si tamen incestum commiserit cum ignorantiâ facti vel juris, debitum etiam posse petere docet Sanch. item cum tali incestuoso, sicut & cum habente votum castitatis, dispensare ad petendum debitum possunt ex Oraculo Pii V. Confessarii Regulares à Provinciali deputati. Marchant. *tit. 12. q. 3.* Reiffenst. *tr. 6. d. 3. num. 48.*

Coroll. 3. Conjux conjugi debitum petenti reddere non tenetur: 1. Ex parte petentis: Si jure petendi sit privatus per adulterium vel incestum; item si petat in ebrietate, vel nimis frequenter & importunè. 2. Ex parte reddentis: Si timendum sit ipsi ex redditione grave malum.

malum. 3. Ex parte prolis: Si non possit ali; aut timeatur ei periculum mortis, abortûs, monstruositatis &c. 4. Ex parte actûs: Si petatur in loco sacro, cum periculo pollutionis &c. Sannig *d. 18. q. 2.* Ex quo

Nota: Quando conjux debitum petit illicitè ex parte personæ, v. gr. ob votum, alter reddere potest imò tenetur; Secus est, si petat illicitè ex parte actûs, v. gr. in loco vel modo indebitis: *Quia jus habet activè & passivè ad actum cum tali personâ, non ad actum in loco vel modo illicitis.* Sporer *de Matrimon. num. 519.*

Coroll. 4. Actus conjugalis exercetur per se licitè: 1. Causâ prolis. 2. Causâ valetudinis. 3. In remedium continentiæ; ob solam tamen voluptatem exercitus non caret omni culpâ *Innocent. XI.* 4. In festo solemni. 5. Tempore menstrui & lactationis. 6. Quando uxor est gravida, si tamen absit periculum abortûs. *Cœn. ex commun.* Insuper sermones venerei, oscula & tactus licent conjugibus, seclusis semper tribus: dubio de valore matrimonii, voto castitatis, & periculo pollutionis. Sporer *citat. num. 505.*

Coroll. 5. Actus conjugalis exercetur illicitè: 1. Si abrumpatur cum effusione seminis; hujus tamen periculo cessante excusantur à Sanch. Pauperes eum abrumpentes, ne proles generentur. 2. Cum imaginatione alterius personæ, éstque adulterium. 3. In vase innaturali, & est Sodomia. 4. Si fiat stando, vel præposterè à tergo servato vase naturali, aut viro succubo;

Secluſo tamen periculo pollutionis, ſolùm eſt V. imò nullum, ſi juſta poſtulet cauſa. Andr. à M. D. *c. 15. p. 5.*

CAPUT XI.
De Impedimentis impedientibus.

Quæ dicantur Impedimenta impedientia?

IMpedimenta impedientia ſunt: quæ impediunt ne licitè contrahatur matrimonium, ipſum tamen contractum non irritant.

Quot illorum ſint?

Sunt de facto quatuor: primum eſt tempus ab Adventu uſque ad Epiphaniam, & feriâ 4. Cinerum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè; quo *Trident. Seſſ. 24. c. 10.* prohibet ſolemnes nuptias, non ipſum contractum matrimonialem. 2. Eſt prohibitio matrimonii ab Epiſcopo vel Parocho facta. 3. Eſt votum, ſive ſit ſimplex caſtitatis, ſive Religionis, ſive ſacrorum Ordinum, ſive cœlibatûs. 4. Sunt ſponſalia cum altera perſonâ. Omnia comprehenduntur hoc verſiculo:

Tempus ſacratum, vetitum, Sponſalia, votum.

Plura, quæ erant jure antiquo, ſunt abolita. Reiffenſt. *tr. 14. d. 14. num. 2.*

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Contrahens matrimonium cum impedimento impediente contrahit validè, ſed per ſe peccat graviter. Diſpenſare poteſt in omnibus Epiſcopus, ſi excipias ſponſalia & votum tum caſtitatis perpetuæ, tum Religionis: Quia per ſponſalia acquiſitum eſt jus ſponſo & ſponſæ, quod tollere vel impedire nequit Epiſcopus; diſpenſatio autem in voto præfato eſt reſervata Pontifici. *Commun.*

Coroll. 2. Qui habens votum ſimplex caſtitatis, contrahit matrimonium, peccat mortaliter tum contrahendo, ſi contrahat animo conſummandi; tum debitum petendo; tum primâ vice reddendo: *Quia in omnibus illis agit contra votum, quod potuit & debuit obſervare.* Poſt conſummatum autem matrimonium poteſt & debet conjugi petenti debitum reddere: *Quia per votum juri ejus non potuit præjudicare.* Petere verò debitum nunquam licet, donec à ſacra Pœnitentiaria vel habente diſpenſandi facultatem, obtinuerit diſpenſationem.

Coroll. 3. Qui habens votum non nubendi, vel ſuſcipiendi Sacros Ordines, contrahit matrimonium, peccat graviter contrahendo; debitum verò petere poteſt & reddere: *Quia ad non petendum & reddendum debitum votum ſe non extendit.* Qui verò habens votum Religionis, contrahit matrimonium, peccat & contrahendo, ſi habuerit animum conſummandi, & conſummando: *Quia per utrumque agit contra votum, reddens*

illud pro tempore conjugii per se observatu impossibile. Factâ autem semel consummatione matrimonii, potest & reddere & petere debitum, donec vel conjuge moriente, vel consentiente, vel adulterante, possit Religionem ingredi, sicque votum implere. Herinx, Reiffenst. & alii.

CAPUT XII.

De Impedimentis dirimentibus.

Quæ sint & quotuplicia?

IMpedimenta dirimentia sunt, quæ obstant, ut nec validè contrahi possit matrimonium. Aliqua dirimunt matrimonium jure naturali, aliqua divino, aliqua Ecclesiastico, ut infrà. In Ecclesia esse potestatem statuendi ejusmodi impedimenta, definit *Concil. Trident. Sess. 24. can. 4.*

An obligent & afficiant ignaros?

Obligant: Quia impedimentum, sive notum sive ignotum reddit inhabilem ad contrahendum; ignorantia autem inhabilem non habilitat. Unde bonâ fide contrahentes cum impedimento, adhuc contrahunt invalidè; excusantur tamen à peccato, & durante bonâ fide copula est fornicaria solùm materialiter. *Quid si erroneè quis putet, subesse impedimentum?* Contrahit validè, si contrahere intendat, saltem efficaciter & expressè, quantum potest; Si secus, invalidè.

Quot

Quot ſint impedimenta dirimentia?

Sunt numero 14. nempe 12. de jure antiquo & 2. de jure novo Tridentini ; omnia comprehenduntur his verſibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis;
Si mulier ſit rapta loco, nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

ERROR.

Quis dirimat & quo jure?

Error circa perſonam dirimit matrimonium jure naturæ ; non circa qualitatem aut fortunam : Quia ſtante errore circa perſonam etiam concomitante, vel in eam redundante, ut ſi volenti primogenitam detur alia, deficit conſenſus in eam.

Coroll. Invalidè contrahit, qui putans ducere Cajam, ducit Titiam; Validè verò, qui Titiam putans virginem poſtea invenit corruptam; excipe niſi appoſuerit conditionem: *Contraho tecum ſi ſis virgo ;* quia iterum deeſt conſenſus ; non enim impleta eſt conditio, à qua in caſu poſito dependet. Sporer *num. 6.* Ubi nota, ad irritandum matrimonium non ſufficere ſolam intentionem habitualem non contrahendi cum perſona ſic qualificata, v. gr. quatenus ſi ſciviſſes,

personam esse corruptam vel ignobilem, non contraxisses; nam in contractu non attenditur, quid voluisses in aliis circumstantiis, sed quid re ipsâ volueris circa substantiam contractûs. Ut igitur valor matrimonii dependeat à conditione, debet hæc actualiter aut virtualiter esse intenta; actualiter est intenta, si contrahens actu eam apponat; virtualiter, si antea declaraverit nolle se contrahere cum Martha, nisi sit nobilis, & hoc animo non revocato, etsi de tali intentione actu non cogitans, contrahat.

CONDITIO.

Quid intelligatur per conditionem servilem?

Intelligitur servitus propriè dicta, quâ aliquis vel aliqua est mancipium, nimirum ita Domini sui, ut ab eo possit venundari.

An & quo jure dirimat Matrimonium?

Conditio servilis ignorata dirimit matrimonium inter liberum & servam, item servum & liberam. *Ita omnes.* Idque Jure Ecclesiastico, ita Sanch. cum multis *ex c. ad nostrum. de Conjugio Servorum.* est contra nonnullos, volentes dirimere jure naturali.

Coroll. Valet matrimonium: 1. Si servus contrahat cum servâ: *Quia utrimque paritas.* 2. Si liber sciat vel dubitet, esse servam, & tamen contrahat cum ea: *Quia cedit juri suo.* 3. Si contra-

trahat cum servis adscriptitiis vel originariis: Quia non sunt propriè servi, sed homines liberi, solùm quoad aliqua obsequia Dominis suis adstricti, quales in Bohemia. Reiffenst. *num.* 59.

VOTUM.

Quale Votum dirimat Matrimonium?

Votum solemne castitatis in Religione approbata dirimit matrimonium contrahendum, imò & contractum, si non sit consummatum. *Trident. Sess.* 24. *can.* 6. 9.

Coroll. Matrimonium non dirimit votum simplex castitatis; excipe vota simplicia Societat. JEsu, post biennium Noviriatûs emitti solita, quæ ante legitimam è Societate dimissionem dirimunt matrimonium contrahendum. ita *Constitut. Gregorii XIII. Ascendente Domino.*

ORDO.

Quis Ordo dirimat Matrimonium?

Ordo sacer, nempe Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus dirimunt matrimonium contrahendum. Est definitum *in Trident. Sess.* 24. *can.* 9.

Coroll. Impedimentum Ordinis oritur ex jure duntaxat Ecclesiastico, quo Clerici in Sacris constituti redduntur inhabiles ad contrahendum matrimonium. Unde si quis eorum contrahere attentet, contrahit invalidè, & excommunicationem ipso facto incurrit. *Clem. eos qui. de cognat.*

cognat. & affin. Si autem matrimonium iniêrit ante ordinationem, illud manet.

COGNATIO.

Quotuplex? quæ dirimat Matrimonium?

Cognatio triplex eſt ſcilicet carnalis, ſpiritualis, & legalis: Carnalis ſive conſanguinitas eſt conjunctio perſonarum, quarum una per carnalem propagationem deſcendit ab altera, vel ambæ ab eadem tertia. Dirimit matrimonium uſque ad 4. gradum incluſivè; & quidem jure naturæ in linea recta in 1. gradu juxta omnes, in ſecundo juxta communior. in quocunque juxta Scot. & in linea tranſverſa in 1. tantum gradu juxta communior. In reliquis, ſecundo, tertio & quarto lineæ tranſverſæ ſolo Jure Eccleſiaſtico. Sporer *num. 70. ex c. non debet. de conſanguin. & affin.* Ubi

Nota: In linea recta, quæ eſt ordo perſonarum, quarum una deſcendit ab altera, eſſe tot gradus, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite; ſive tot gradus, quot generationes: Sic avus cum nepote eſt in 2. gradu. In linea tranſverſa æquali, quæ eſt ordo perſonarum æqualiter à communi ſtipite diſtantium, tot gradibus perſonæ diſtant inter ſe, quot gradibus diſtant à ſtipite proximo: Sic frater & ſoror ſunt in 1. gradu, utriusque nepotes in 3. In linea tranſverſa inæquali, quæ eſt ordo perſonarum, quarum una

remo-

remotior à communi ſtipite, tot gradibus perſonæ diſtant inter ſe, quot gradibus remotior diſtat à ſtipite communi: Sic patruus & nepos diſtant inter ſe 2. gradibus, frater & ſororis nepos tribus. Ita gradus numerantur à Canoniſtis in ordine ad matrimonium.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas orta ex Baptiſmo vel Confirmatione. Matrimonium contrahendum dirimit Jure Eccleſiaſtico. vid. *Cap. VII. de Baptiſm.*

Cognatio legalis eſt propinquitas orta ex adoptione alicujus in filium vel filiam. Dirimit matrimonium inter adoptantem & adoptatum, ejúsque legitimos deſcendentes; item inter adoptatum & adoptantis uxorem, ac proles naturales ſub patria poteſtate exiſtentes. *c. unicum. de cogn. leg.* Hæc intelligenda ſunt de adoptione perfecta, quâ perſonâ in alterius familiam tranſfertur, & inſtar prolis legitimæ eſſe incipit.

AFFINITAS.

Quid ſit & inter quos?

Affinitas eſt propinquitas perſonarum, quarum una cum conſanguinea alterius habuit copulam carnalem. Intercedit inter ſolum carnaliter cognoſcentem & conſanguineos cognitæ, ac carnaliter cognitam & conſanguineos cognoſcentis; & quidem in quo gradu aliquis eſt conſanguineus perſonæ carnaliter cognitæ, in eodem ſit affinis cognoſcenti, ac viciſſim.

Quæ

Quæ & in quo gradu dirimat matrimonium?

Affinitas ex legitimo thoro dirimit matrimonium usque ad 4. gradum, ex illegitimo usque ad secundum inclusivè. *Trident. Sess. 24. c. 4.* Sed quo jure? Affinitatem in linea recta v. gr. inter privignum & novercam dirimere jure naturæ, affirmant quidam; negat cum multis Sanchez *l. 7. d. 66. num. 7.* asserens: Affinitatem in quocunque gradu, etiam in linea recta, dirimere matrimonium Jure solùm Ecclesiastico.

Coroll. Invalidè contrahit matrimonium cum Caja, qui copulam habuit cum ejus sorore, quamvis ebriâ, vel coactâ, vel ignorante jus aut factum; validè tamen: Si copula non fuerit perfecta utpote sinè seminatione, vel Sodomitica; item validè contrahunt duo fratres cum duabus sororibus. Sporer *num. 72.* Quia ad affinitatem requiritur & sufficit copula perfecta; & affinitas non parit affinitatem, sive non oritur inter consanguineos viri cognoscentis & consanguineos mulieris cognitæ. *c. Super his. de consang. & affin.*

HONESTAS.

Quid publica Honestas?

Publica Honestas est propinguitas, quæ oritur tum ex sponsalibus inter sponsum & consanguineos sponsæ, ac vicissim; tum ex matrimonio rato etiam invalido (nisi invalidum fuerit

rit

rit ex defectu consensûs) inter maritum & consanguineos uxoris, ac vicissim.

Quæ dirimat Matrimonium & quo jure?

Orta ex sponsalibus dirimit matrimonium cum consanguineis sponsi in 1. tantùm gradu, *ex Trident. Sess. 24. c. 3.* Orta verò ex matrimonio rato dirimit usque ad 4. gradum inclusivè. *Commun.* & quidem Jure tantùm Ecclesiastico: Quia solùm Ecclesia statuit, ut inter illos, inter quos publica honestas, ob eam non valeat matrimonium.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Qui sponsalia contraxit cum una sorore, postea nequit ducere alteram, tametsi sponsalia mutuo consensu sint dissoluta, aut sponsa mortua. Gobat *ex Declar. S. Congreg.* Quia impedimentum est perpetuum.

Coroll. 2. E duabus sororibus neutram potest ducere: 1. Qui post sponsalia cum una fornicatur cum altera: Quia cum prima contraxit affinitatem, cum altera impedimentum publicæ honestatis. Si autem post fornicationem cum una contrahat sponsalia cum altera, potest ducere primam: *Quia sponsalia sunt invalida.* 2. Qui cum utraque commiscetur carnaliter: *Quia utrique fit affinis.* 3. Qui post sponsalia cum una contrahit matrimonium cum altera: Quia duplex impedimentum publicæ honestatis. Sbo-

gar

gar *Tr. 90. num. 3.* Unum ex ſponſalibus, alterum ex matrimonio rato, quamvis invalido.

LIGAMEN.

Quid? quo jure dirimat Matrimonium?

Ligamen eſt vinculum inter virum & uxorem ex contractu matrimoniali. Dirimit matrimonium cum alia perſona contrahendum jure tum Divino *1. Corinth. 7.* Tum Eccleſiaſtico. *c. de ſponſa duorum.* Eſt *ex Trident. Seſſ. 24. c. 2.*

Coroll. Neutri conjugum quovis prætextu licet ad ſecundas nuptias tranſire, niſi habita notitiâ moraliter certâ de morte alterius. *c. in præſentia. de ſponſalibus & matrimon.* Ad hanc moralem certitudinem ſufficit 1. Teſtimonium authenticum Parochi. 2. Unus teſtis de viſu, ſi ſit omni exceptione major. 3. Vir bonæ fidei, qui juratus deponit de morte conjugis. 4. Vir bonæ fidei, qui ſuæ ſcientiæ affert probationes, ſigna & teſtimonia. 5. Unus teſtis de viſu, qui ſimiliter affert certa indicia nec vacillat in verbis, maximè ſi propter locorum diſtantiam & circumſtantias major probatio non ſit ſperanda. Sanchez apud Sporer *de impediment. num. 51.* Non verò ſufficit unus vel plures teſtes de auditu tantùm, ſeu rumor de morte conjugis, multò minus diuturna illius abſentia: Quia mortem non faciunt certam. Si tamen accedant non levis momenti indicia, conjecturæ vel præſumptiones,

nes, Confeſſarius non conſultus prudenter diſſimulando, ſi circumſtantiæ poſtulent, permittere poterit; interrogatus verò vix poſitivè ſuadere; poſt factum ſeu contractum tutè diſſimulabit. Ex Layman, Sporer *citat.* Plura vide *c.7.*

CRIMEN.

Quale crimen dirimat Matrimonium?

Dirimunt conjugicidium ſive machinatio in mortem conjugis, effectu ſecuto; & adulterium, ſed in certis tantùm caſibus, ut infrà. Jure novo Concilii Tridentini dirimit matrimonium etiam Raptus; ſed de hoc infrà.

Quo jure?

Jure tantùm Eccleſiaſtico. *c. ſi quis vivente. 31. q. 1.* & alibi. Ratio ſic ſtatuendi fuit, ut ſic vitentur homicidia & adulteria inter conjuges, dum juvare non poſſunt ad aliud matrimonium.

Quando?

Quandoque ſolùm conjugicidium, quandoque conjugicidium cum adulterio, quandoque ſolum adulterium: Solum conjugicidium dirimit matrimonium; quando vir cum fœmina efficaciter conſpirat in mortem uxoris vel uxor cum viro in mortem mariti, ut poſtea inter ſe contrahant matrimonium. Conjugicidium ſive homicidium cum adulterio dirimit matrimonium: quando ſolus adulter vel adultera occidit conjugem ad contrahendum cum adultera matri-

matrimonium; etsi hæc de tali intentione & machinatione mortis non sciverit. *c. significasti. de eo qui duxit.* Solum adulterium sinè homicidio dirimit matrimonium: quando adulter & adultera promittunt sibi invicem matrimonium vel actualiter contrahere attentant, nihil faciente, sive promissio matrimonii adulterium præcedat, sive sequatur. Reiffenst. *&c commun. Canonist.*

Coroll. Validè contrahi potest matrimonium: 1. Quando unus machinatur mortem conjugis, altero inscio & sinè adulterio. 2. Quando conspiratio in mortem non fit ad contrahendum matrimonium. 3. Quando mors non sequitur ex actione conspirantium. 4. Quando solùm committitur adulterium, & non est *formale* ex parte unius, utpote ignorantis, compartem esse matrimonio ligatam; aut non *perfectum*, utpote sinè seminatione intra vas; aut sinè mutua & seria promissione matrimonii. 5. Quando uxoricidium aut viricidium non est physicè vel moraliter procuratum, sed solùm ratihabetur. And. à M. D. *c. 12. p. 5.* & *commun.*

RAPTUS.

Quid sit? quando, quo jure dirimat matrimonium?

Raptus est violenta fœminæ renitentis abductio, causâ contrahendi matrimonii. Dirimit matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris manserit; etsi liberè con-

consentiat; & hoc jure *Concilii Trident. Sess. 24. c. 6.* Si verò post raptum reddita sit loco tuto & liberè consentiat, valet matrimonium: Quia non amplius est in potestate raptoris.

Coroll. Raptus propriè non est: 1. Si abducatur puella consentiens, factâ violentiâ solis parentibus. Gobat contra Navarr. 2. Si non fiat ad contrahendum matrimonium. Sanchez contra Bonac. 3. Si quis rapiat pro alio, qui nec consensum dedit nec mandatum. 4. Si fœmina rapiat virum. Sporer *num. 30.*

VIS.

Quæ Vis, & quo jure dirimat Matrimonium?

Per vim intelligitur metus gravis injustè incussus ad extorquendum matrimonium quod metum patiens alioquin nullo modo contraxisset. Dirimit matrimonium juxta *commun. RR.* jure solùm Ecclesiastico. *c. cum locum. de Sponsalibus.* juxta D. Thom. D. Bonac. Scot. *4. d. 29. num. 7.* Jure etiam Divino: Quia hoc jure matrimonium est vinculum perpetuum & indissolubile; ergo etiam debet esse perfectè liberum.

Coroll. Metus reverentialis erga Parentes & Majores ordinariè non sufficit ad irritandum matrimonium, nisi accedant sævitia & graves minæ. Sanch. Mast. & plures alii. Quia metus reverentialis de se non est gravis & cadens in constantem virum; ergo. Plura de consensu ex metu vide *c. 5.*

IMPOTENTIA.

Quæ & quo jure dirimat Matrimonium?

Impotentia ad copulam carnalem, si perpetua sit & conjugium antecedat, matrimonium dirimit jure naturæ; Secus, si superveniat matrimonio jam contracto. *c. hi. 32. q. 7.* Item *c. Fraternitatis. de frigidis & maleficiatis.*

Quid in dubio, an impotentia sit perpetua?

Datur à jure triennium ad experientiam, quo elapso si adhuc duret, censetur perpetua, debentque separari vel manere tanquam frater & soror. *c. Consultationi. de frigidis.*

Quid de impotentia ætatis?

Impotentia ætatis reducitur ad impotentiam coëundi, & est ætas impubes nempe masculi ante annum 14. & fœmellæ ante 12. completum, quæ dirimit matrimonium Jure Ecclesiastico. Excipit jus *c. de illis.* casum, quo malitia supplet ætatem, utpote si constet, puerum & puellam sufficientem rationis usum & copulæ carnalis potentiam esse assecutos.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Validè per se contrahunt matrimonium: 1. Senes. 2. Moribundi. 3. Steriles. 4. Hermaphroditi juxta Sexum prævalentem; Si neu-

neuter prævalet, ipsis relinquitur optio, debéntque jurare, quod non velint alio uti. Ratio: Quia omnes illi sunt habiles ad copulam naturalem, quæ per accidens tantùm impeditur vel inepta est ad generandum. Deinde matrimonium non tantùm est propter bonum prolis, sed etiam in remedium concupiscentiæ.

Coroll. 2. Invalidè contrahunt castrati, seu perfectè eunuchi, nempe utroque testiculo carentes: Quia per se sunt inepti ad generandum, utpote vero semine destituti.

Coroll. 3. Si impotentia ad copulam propter viri frigiditatem vel propter maleficium superveniat matrimonio jam contracto, manet hoc validum. *Sed quid licet conjugibus illis?* Licent tactus & oscula, modò absit periculum pollutionis. Licet etiam tentare actum conjugalem, quamdiu superest spes, ipsum perficiendi, tametsi aliquando præter intentionem contingat pollutio; Si verò de consummatione copulæ sit totaliter desperatum, accessus est omnino illicitus: *Quia non fit, nisi pollutio.* Sanchez, Layman & alii.

CULTUS DISPARITAS.

Inter quos & quo jure dirimat Matrimonium?

CultûsDisparitas dirimit matrimonium inter baptizatum & non baptizatam Jure Ecclesiasti-

co. Scot. *4. d. 39.* Invalidè proinde contrahit fidelis cum infideli.

Coroll. Validum regulariter est matrimonium Catholici cum hæretica & è contra, sed illicitum. Permitti potest ex causa, maximè in Germania, si absit periculum apostasiæ, & proles educentur catholicè. Pacta enim, ut quidam ex liberis educentur in fide catholica, quidam in hæresi, sunt prorsus impia, irrita, juríque naturali ac divino de bona prolium educatione repugnantia. Gobat *Tr. 9. num. 220.* Proinde ut proles vel una educetur in hæresi, conjux nunquam positivè consentire potest; quandoque, si impedire nequeat, habere se potest permissivè, prolem instructurus in fide catholica, quantum potest.

CAPUT XIII.

De Dispensatione.

Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonii?

IN impedimentis jure naturali dirimentibus dispensare nequit Summus Pontifex, potest & per se solus in dirimentibus solo jure Ecclesiastico, sed non licitè absque justa causa. Gobat *num. 603.* Obtentâ dispensatione matrimonium invalidè contractum est revalidandum, non necessariò coram Parocho & testibus, si ante adfuerint, & impedimentum sit occultum, sícque decla-

declarâsse Pium V. testatur Navarr. Porro modum revalidandi tradit Sporer *num.* 447.

COROLLARIA CASUUM.

Coroll. 1. Post matrimonium contractum ex tacita Pontificis licentia per accidens dispensare potest Episcopus, si sequentes adsint conditiones: 1. Si matrimonium sit contractum bonâ fide. 2. Si impedimentum occultum. 3. Si separatio nequeat fieri absque scandalo. 4. Si non pateat accessus ad Pontificem vel ejus Delegatum, nempe propter paupertatem aut distantiam loci & magnum periculum incontinentiæ inter conjuges putativos, qui cohabitant & sinè scandalo separari nequeunt. Gobat *num.* 576. Reiffenst. *Tr.* 14. *d.* 14. *q.* 5. & alii commun.

Coroll. 2. Ad matrimonium contrahendum dispensare potest Episcopus, si necessitas urgeat aliter inevitabilis, v. gr. si omnibus paratis ad nuptias cras celebrandas Confessarius hodie deprehendat impedimentum. Quodsi non pateat recursus ad Episcopum, Confessarius pœnitentem relinquat in bona fide, & occultè agat pro dispensatione; Si verò pœnitens sciat impedimentum, aut dubitet, Confessarius 1. Doceat veritatem. 2. Permittat contrahere cum intentione quantum potest. 3. Dicat abstinendum esse à copula, donec dispensatio impetretur & matrimonium revalidetur. Sanch.

Coroll. 3. Confessarius deprehendens matrimonium invalidè contractum, attendat, an pœnitens

nitens in bona aut mala fide? Si in bona, relinquat, & diſpenſationem, ſi poſſibilis, procuret; Si in mala, dicere tenetur, matrimonium eſſe nullum; & ſi impedimentum ſit indiſpenſabile, omnino urgenda eſt conjugum ſeparatio; quæ, ſi moraliter impoſſibilis, cohabitare poſſunt tanquam frater & ſoror factâ ſeparatione quoad thorum. Si autem impedimentum ſit diſpenſabile, & matrimonium bonâ fide contractum, diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut ſupra. Si malâ fide contractum, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, at vix ſolet, quo diſpenſationem negante facienda eſt ſeparatio ut ſupra. Sporer *num. 444. de Matrimon.*

CAPUT XIV.
Praxis procurandi Diſpenſationem.

Quid obſervandum à petente diſpenſationem?

ATtendere debet, ne in ſupplicatione exprimat falſum, aut occultet verum, quod eſt exprimendum; aliàs diſpenſatio ſubreptitia eſt & nulla.

Quid exprimendum in ſupplicatione?

I. Impedimentum in ſua ſpecie: nam ſi unum ponatur pro alio, v. gr. affinitas pro conſanguinitate, nulla erit diſpenſatio. II. Pluribus impedimentis concurrentibus, omnia ſunt exponenda, etſi quandoque ſint ejuſdem ſpeciei, v. gr.

v. gr. duplex affinitas, quam contraxit, qui cognovit duas suæ sponsæ consanguineas. III. In impedimentis consanguinitatis, affinitatis ac publicæ honestatis exprimi debent gradus; item an consanguinitas vel affinitas sit in linea recta vel transversali; si in transversali, an sit in gradu æquali, vel inæquali. IV. Exprimatur, utrum affinitas sit ex copula conjugali, vel fornicaria, an publica honestas ex sponsalibus vel matrimonio rato. V. Post matrimonium jam contractum, addendum est: an contractum sit scienter cum tali impedimento; an cum spe sic faciliùs impetrandi dispensationem; an servatis proclamationibus, nec ne. VI. Si dispensatio petatur in casu urgentis necessitatis ab Ordinario loci, ostendendum est, revera adesse urgentem necessitatem, aliásque conditiones *Cap. præced.* recensitas, ob quas juxta DD. Ordinarius dispensare potest. VII. Exponenda est fideliter causa vel causæ dispensandi, de quibus infra.

Quid faciet Confessarius, deprehendens impedimentum?

Si matrimonium sit contrahendum, & res adhuc integra, instruat pœnitentem de impedimento; si autem res non sit integra, nimirum si paratis omnibus ad nuptias sinè publico scandalo & confusione non possit sponsus vel sponsa desistere, procedat ut supra *cap. 13. coroll. 2.* Si matrimonium jam sit contractum, attendat, an pœnitens in bona vel mala fide de valore illius;

ſi in bona fide, putans matrimonium eſſe validum, relinquat, donec impetraverit diſpenſationem, moneátque, ut certo tempore ad ſe revertatur; Si in mala fide, ſciens vel dubitans, matrimonium eſſe validum: dicat eſſe invalidum, & omnino abſtinendum à copula; donec obtenta ſit diſpenſatio; & interim cohabitare debent conjuges illi putativi ut frater & ſoror, vel ſequeſtrari ſub prætextu peregrinationis aut negotii alibi peragendi.

Quando diſpenſatio petenda ab Epiſcopo vel Diœceſis Ordinario?

Sciendum eſt, Reverendiſſimis Ordinariis in Germania ad eorum ſupplicationem concedi à Summo Pontifice facultatem diſpenſandi etiam pro foro externo: 1. In tertio & quarto gradu ſimplici & mixto cum pauperibus. 2. In impedimento publicæ honeſtatis ex ſponſalibus. 3. In impedimento criminis ob adulterium cum promiſſione matrimonii. 4. In impedimento cognationis ſpiritualis, præter levantem & levatum. Si igitur ejusmodi impedimentum occurrat, diſpenſandus vel Confeſſarius recurrat ad Ordinarium, diſpenſaturum gratìs; item ad eundem recurrat pro diſpenſatione in foro interno tantùm ſeu conſcientiæ, ſi occurrat impedimentum à Summo Pontifice diſpenſabile, & ſubſint conditiones. *in cap. præced. Coroll. 1.* poſitæ.

Quan-

Quando dispensatio petenda Romæ à Dataria?

Sciendum est, Romæ duplex Tribunal pro dispensationibus à Summo Pontifice esse erectum: unum pro foro interno & conscientiæ, vocatúrque *Sacra Pœnitentiaria*; alterum pro foro externo, & appellatur *Dataria*. Si igitur impedimentum sit publicum, & dispensatio petenda pro foro externo, peti debet per aliquem (si adsit) Romæ Agentem à Dataria, debéntque exprimi nomina Oratorum, & fieri expensæ, sæpe non exiguæ, nisi Rescriptum expediatur *in forma pauperum.*

Quando dispensatio petenda à sacra Pœnitentiaria?

Si impedimentum sit occultum, & dispensatio necessaria solùm pro foro interno & conscientiæ, Parochus vel Confessarius eam pro pœnitente petiturus, literas dirigere debet ad sacram pœnitentiariam, à qua omnia expediuntur gratìs, & non debent exprimi dispensandorum nomina vera, sed ficta, vel loco illorum N. sive literæ A. B. In supplicatione exponi debet justa dispensandi causa: *Quia sine hac Sacra Pœnitentiaria non dispensat.* Causæ ob quas dispensare solet, sunt istæ: 1. Conservatio Illustrissimæ Familiæ. 2. Extinctio litis. 3. Evitatio scandali vel periculi incontinentiæ, aut alterius gravis damni. 4. Angustia loci. 5. Defectus competentis dotis. 6. Copula cum consanguinea

 vel

vel aliâ impedimentum habente jam nota v. gr. ex prole vel imprægnatione. 7. Infamia mulieris ex nimis familiari & ſuſpecta Oratorum inter ſe converſatione absque copula. 8. Matrimonium cum ignorantia impedimenti contractum, & maximè ſi conſummatum, atque proles ſubſecuta, &c. apud Reiffenſt. *l. 4. Decret. in Appendice.*

Quis modus recurrendi ad ſacram Pœnitentiariam?

I. Literæ dirigendæ ſunt ad majorem Pœnitentiarium & ſic inſcribendæ: *Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.* II. Intus in ſupplica ſcribatur: *Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine, Domine &c.* Poſtea ponatur ſupplica v. gr. pro petenda diſpenſatione ſuper impedimento affinitatis in primo gradu ex copula illicita ad remanendum in matrimonio jam invalidè contracto, formula ſit hujusmodi: N. N. Publicè in facie Eccleſiæ contraxit matrimonium, & ſucceſſivè conſummavit cum muliere, cujus ſororem antea cognoverat, conſcius (neſcius) impedimenti, quod occultum eſt. Cum autem ob dictum impedimentum, absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, in præfato matrimonio remanere nequeat; & absque gravi ſcandalo ſeparari non poſſint; nec ſpes ſit, eos ſimul continentur victuros; hinc ad evitanda ſcandala & pro ſuæ conſcientiæ quiete, humillimè ac in JEſu

Christi visceribus, facti pœnitens supplicat pro remedio. Dignabitur Eminentia Vestra responsum mittere ad me infra scriptum per civitatem N. ad civitatem N. idiomate latino; quam Deus conservare dignetur sanam & incolumem.

Eminentiæ Vestræ
Devotissimus ad Deum exorator
N. N.

Dedi N. die N. anno N.

III. In fine supplicæ poni debent locus per quem, locus ad quem, & nomen illius, cui rescribendum. Si tardaverit responsio, Confessarius rescribat, & pœnitentes nunquam desperent. IV. Si rescriptum Româ advenerit, tradendum est dispensando, ut Confessarium eligat, qui aperiet, & dispensationem impertiet.

Quis modus exequendi literas dispensationis?

I. Dispensatio danda est in actu Confessionis Sacramentalis. II. Confessarius observare debet clausulas in literis à S. Pœnitentiaria positas, & in rescripto ad supplicam supra positam solent esse sequentes:

Prima: *Quatenus si est ita.* Ut narrata sint vera, scilicet impedimentum occultum, & immineant scandala &c.

Secun-

Secunda: *Auditâ priùs ejus Sacramentali Confessione.* Ut dispensatio non detur extra Tribunal Sacramentale.

Tertia: *Injunctâ gravi pœnitentiâ salutari.* Hæc committitur discretioni Confessarii, potéstque consideratis personis esse jejunium semel in aliquot septimanis, preces, & eleemosyna.

Quarta: *Ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.* Satis esse, si statuantur sex menses, censet Navarr.

Quinta: *Et aliis injunctis, quæ de jure fuerint injungenda.* Injungi debent restitutiones, reconciliationes &c. si & quatenus peccata postulant.

Sexta: *Dummodo impedimentum occultum sit.* Hæc est conditio sinè qua Sacra Pœnitentiaria non concedit gratiam.

Septima: *Et separatio . . . fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia timendum sit.* Hæc clausula semper moraliter certò verificatur.

Octava: *Aliúdque Canonicum non obstet.* Non debet adesse aliud impedimentum præter expositum.

Nona: *Muliere de nullitate prioris consensûs certiorata.* Hæc clausula teste Navarro olim Pœnitentiario in Basilica Lateran. non ponitur ut conditio necessaria, quia sæpe impleri non potest absque periculo detegendi viri delictum, sed ad instructionem Confessarii, ut consensus renovetur modo tali, si possit meliori. Ita pariter sentit Sanchez *l. 8. d. 24. num. 61.* Optimus mo-

modus, si circumstantiæ permittant, de novo contrahendi est iste: ut vir & mulier veniant ad Confessarium, is de licentia viri dicat mulieri, virum ab initio non rectè præstitisse consensum vel habere de eo anxietatem, adeoque matrimonium esse renovandum; deinde petat à viro: an de novo præsentem mulierem accipiat in uxorem? Postea à muliere: an similiter virum accipiat in maritum: Et dato utrimque consensu dicat: Matrimonium per vos contractum ratifico & benedico in nomine &c. Hic modus coram Confessario renovandi matrimonium servandus est, tamen sinè obligatione, si de nullitate matrimonii constet utrique conjugum v. gr. in impedimento criminis, vel consanguinitatis, vel alio, quod non est ex delicto. Alius modus renovandi matrimonium est: Si vir dicat, se à Confessario percepisse, quod à principio non bene præstiterit consensum, adeoque oporteat, ut pro securitate conscientiæ ambo consensum renovent, & statim fiat renovatio. Sanchez *l. 2. d. 36.* Alius, si nequeat practicari prior, est iste, ut conscius impedimenti dicat: Solent Religiosi renovare Professionem, & pii conjuges matrimonium ad accipiendam novam gratiam, etiam nos renovemus, ego itaque te accipio in conjugem, etiam me accipis? Ita. Cajet. & alii apud Sanch. *citat.* Confessarius adhibeat modum, quem viderit magis expedire, hoc semper salvo, ut renovatio consensûs fiat ab utroque conjuge.

Deci-

Decima: *Matrimonium inter se de novo secretè contrahere.* Hoc est absque Parocho & testibus, prout modum suggesserit Confessarius.

Undecima: *Ita, quod hujusmodi dispensatio pro foro judiciali nullatenus suffragetur.* Hinc si impedimentum ex occulto fiat publicum, manent quidem in foro conscientiæ veri conjuges, in foro tamen externo sese submittere debent judicio Ordinarii, & ab hoc sive à Dataria novam impetrare dispensationem nempe pro foro externo.

Duodecima: *Præsentibus laceratis.* Intelligit: sive statim datâ dispensatione, sive postea, modò Confessarius non reservet, neque tradat pœnitenti; neque prodat delictum vel impedimentum.

His observatis, Confessarius post datam consuetam absolutionem à censuris & peccatis proferat formam dispensationis hoc modo:

Et insuper authoritate Apostolicâ mihi specialiter delegatâ dispenso tecum super impedimento in literis dispensationis mihi commissæ posito, ut illo non obstante matrimonium cum conjuge tua putata de novo contrahere, consummare & in eo manere licitè valeas & possis. In Nomine Patris &c.

Et pariter eâdem authoritate Apostolicâ prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno & declaro. In Nomine Patris &c.

Plura de hac materia, præsertim formulas petendi varias Dispensationes videre poteris apud Tiburtium Navar. *in Manuductione ad*

Praxim

Praxin Executionis Literarum Sacræ Pœnitentiariæ, & apud Reiffenſt. *in 4. Decretalium*, *in Appendice*. Hæc de univerſa Theologia ſufficiant ſub cenſura Sanctæ Matris Eccleſiæ.

D. O. M. L. H. G.

*********:*********

DIRECTORIUM

Confeſſarii juxta præcedentem Theologiam ad rectè judicandum de peccatis & ſtatu pœnitentis.

CONfeſſarius eſt Miniſter Chriſti, Doctor, Medicus & Judex.

I. Ut Miniſter Chriſti ſtudeat mundæ eſſe conſcientiæ. *Ab immundo* (intellige, ex opere operantis) *quid mundabitur: Eccleſ. 34.* Omnibus ſe exhibeat æquè paratum, affabilem & charitativum, magnis & puſillis: *Non enim eſt apud Deum* (cujus Miniſter eſt) *acceptio Perſonarum. Roman. 2. Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*, inquit Apoſtolus *Rom. 1.* quidni & Confeſſarius?

II. Ut Doctor ſciat pœnitentem inſtruere in fide & moribus; quid licitum, quid illicitum.

III. Ut Medicus ſciat vulneribus infundere vinum & oleum, quod eſt contra peccata adhibe-

hibere remedia curativa & præservativa, quæ habeat in promptu.

IV. Ut Judex scire debet 1. Materiam & formam Sacramenti. 2. Quos & à quibus possit absolvere. 3. Obligationem sigilli. 4. Distinctionem specificam & numericam peccatorum, circumstantias speciem mutantes, & quæ peccata sint mortalia, quæ venialia. 5. Quæ peccata inducant obligationem restituendi, se reconciliandi, deponendi consuetudines, vitandi occasiones & pericula proxima peccandi.

Hæc quidem omnia habentur in præsenti Theologia, in sublevamen tamen confessarii sese ad praxin accingentis redacta sunt in breve quoddam, ut sequitur, Directorium; in quo litera P. significat Pœnitentem, C. Confessarium, M. Peccatum mortale, V. Veniale, F. Folium, ubi materia & resolutio possunt videri.

Contra I. Præceptum Decalogi:

Pœnitens: *Non credidi aliquid, tanquam de Fide.* Confessarius: Quare, an satis propositum fuerit tanquam de fide? si ita, *est M. contra fidem;* si etiam verbo vel signo externo errorem prodidisti, etsi solus nullo audiente vel vidente, *jam est casus Bullæ Cœnæ,* nisi excuset ignorantia censuræ. Fol. 212.

P. *Dubitavi in fide.* C. An voluntariè & sine ratione? est M. F. 228.

P. *Natus sum & educatus in hæresi, in eâque usque modò vixi.* C. An errorem agnoverit, vel saltem

tem orto dubio agnoscere potuerit, & tamen in eo perseverare pertinaciter voluerit? si ita, *est hæreticus formalis*; si vero agnitâ fidei catholicæ veritate statim ad eam animum adjecerit, *est materialis*; si ex respectu humano distulerit, urgente præcepto fidei, *contra hoc solum peccavit.* F. 227.

P. *Negavi fidem solùm externè, ad evadendum gravia mala.* C. est M. F. 226.

P. *Comedi carnes inter Acatholicos, ex causa gravi nolens agnosci Catholicus.* C. An judicaverit illicitum? & est M. ex conscientia erronea, aliàs non. F. 227.

P. Legi libros hæreticorum. C. An tractaverint de rebus fidei, legeritque multum? est M. imò casus Bullæ Cœnæ, si sciverit censuram. F. 228.

P. *Legi concionem hæreticam, illi interfui.* C. An cum periculo in fide? & est M. aliàs non. F. 229.

P. *Superstitione usus sum.* C. An sciverit esse vel dubitaverit? est M. an ad nocendum proximo? *& simul est M. contra justitiam obligans nocumento secuto ad restitut.* an rebus sacris? *& simul est sacrilegium.* F. 134.

P. *Adivi sagam pro veneficio inferendo.* C. & M. scandali, superstitionis & injustitiæ. Si illatum cura, ut tollatur, sed sine novo maleficio, damnumque reparetur.

P. *Saga hucusque fui datâ Diabolo singraphâ.* C. An abnegaverit fidem? an Dœmonem adoraverit, Deum blasphemaverit? rebus sacris abusa? proximo nocumentum intulerit? ex ani-

mo renunciet diabolo non curans de syngrapha, peccata omnia confiteatur, damna, ut potest, reparet.

P. *Feci à cyngaris mihi futura prædici.* C. An futura naturalia, sciveritque ea à tali ex Physionomia posse prædici? & non est per se malum; An prædici fecerit futura libera, vel quæcunque indeterminatè? P. *Ita sed jocosè egi.* C. An etiam alter: aliàs scandalum dedisti inducendo ad divinationem.

P. *Indignatus sum propter tempestatem.* C. An indignatio fuerit in solam tempestatem? & est V. an etiam deliberatè in Deum ut illius causam? & est M. contra charitatem.

P. *Fui desperabundus.* C. An voluntariè, & cogitaverit non amplius orare, confiteri &c. in ordine ad beatitudinem? est M. contra spem. An desperatio hæreticalis? est simul M. contra fidem. F. 231.

Contra II. Præceptum.

P. Blasphemavi. C. Quomodo? an verba verè blasphema & advertenter prolata? est M. F. 141. etiam peccatum hæresis: Si verba fuerint hæretica cum assensu, v. gr. Deus est immisericors, injustus &c. F. 142.

P. Juravi. C. An falsum, Deum vocando in testem? est M. in quacunque materia. F. 132.

P. *Sed usus sum restrictione mentali.* C. An fuerit solùm latè mentalis, ita ut ex circumstantiis

mens

mens tua & sensus verborum cognosci potuerit? si ita, non est perjurium.

P. *Juramentum promissorium non implevi.* C. An fuerit de re licita, & sine peccato impleri potuerit? si ita, in re levi probabiliter solùm est V. in gravi M. contra Relig. & post acceptationem contra justitiam.

P. *Juravi alterius inimicum intoxicare, accepto pretio.* C. Absit, ne facias. Juramentum nullum; commisisti tamen internum homicidium, & M. contra Relig. F. 131. Pecunia, opere non impleto, non est tua. F. 60.

P. *Juravi fictè.* C. An falsum? M. contra Religion. An cum gravi nocumento Tertii? contra justitiam.

P. *Juravi verè, cogitans non implere.* C. est M. in omni materia; teneris alterius damnis. F. 131.

P. *Juravi non amplius dare mutuum, non amplius ludere.* C. Primum non teneris servare, Juramentum debet esse de re meliori; teneris secundum, si jurasti ex fine honesto.

P. *Verba Blasphemiæ protuli ex indignatione erga hominem & pecora.* C. An ex subita ira sine advertentia ad contumeliam Dei? si ita: est V. secus M. F. 142.

P. *Votum non servavi.* C. An verum emiserit votum, an solum propositum? si votum sit certum, idque violaverit, in re levi est V. in gravi M. F. 126.

P. *Pater meus defunctus votum à se factum mihi commisit, ego autem non implevi.* C. Quale fuit? P.

Novena servanda & calix dandus Ecclesiæ. C. Novenam servare non teneris, quia votum personale; ad calicem teneris: quia reale; solùm tamen peccasti contra justitiam suppositâ acceptatione, si ex hæreditate dare potueris, & nolueris. *ibidem.*

P. *Mater mea vovit peregrinationem à me Dettelbacum instituendam, si reconvalescerem.* C. Non teneris vi voti: quia non vovisti; & mater solùm tenetur tibi persuadere; persuadeo & ego, si nihil obstet.

Contra III. Præceptum Decalogi, & Præcepta Ecclesiæ.

P. *Laboravi die festo* C. An serviliter, sine causa excusante? quamdiu? F. 197.

P. *Die festo ivi ad aliam Diœcesin, ubi festum non erat, ibi laboraturus.* C. An priùs, ut debuit, audierit sacrum? an laborare alibi, quod licuit, judicaverit illicitum?

P. *Sacrum non audivi die festo.* C. An negligenter? causæ excusantes. F. 317.

P. *Jejunium violavi.* C. An comedendo carnes, & quoties? an sæpius reficiendo, & non fuerit excusatus? F. 29.

P. *Sæpius modicum comedi in die jejunii extra refect.* C. An pervenerit ad quantitatem notabilem? *ibidem.* item F. 195.

P. *Ad evitandam pœnam Ecclesiasticam confessus sum & communicavi tempore paschali, sed sacrilegè.* C. Quot annis? toties non satisfecisti præcepto con-

confessionis annuæ, & Commun. Paschalis. Quoties annis illis confessus sciens sacrilegè & communicasti? tot sacrilegia. Jam Confessiones repetendæ quoad peccata M. sacrilegè confessa.

Contra IV. Præceptum.

P. *Inobediens fui parentibus.* C. An in re gravi, provocando ad gravem iracundiam? est M. an cum gravi damno? restitutio. F. 37.

P. *Sponsalia contraxi inscijs, matrimonium contradicentibus parentibus.* C. Quare parentes inviti? si rationabiliter, propter gravia mala, scandala &c. est M. aliàs non, quia uteris jure tuo. Sanch. *l. 4. d. 23.*

P. *Verbis asperis & contumeliosis parentes affeci.* C. An graviter offensi vel contristati; quod M.

P. *Parentibus cum potui, non succurri.* C. An in necessitate gravi? M.

P. *Imprecatus sum parentibus.* C. Vix unquam V. nisi ex imperfectione actûs, & raró.

P. *Imprecatus sum & detraxi Superioribus meis.* C. In re gravi M. contra justitiam & pietatem Superioribus debitam.

P. *Uxorem, liberos malè tractavi, domo expuli, plerumque ebrius.* C. An ob causam ipsorum & proportionatam? quòd raró, undè & raró V. an bona dilapidaverit, egentibus domesticis?

P. *Inobediens fui Marito.* C. In quibus? si in rebus domesticis, simulque causa fueris blasphemiarum rixarum & gravis damni; peccasti peccato inobedientiæ, scandali & injust. si in de-

bito conjug. eſt M. marito juſtè exigente, multumque invito. F. 385.

Contra V. Præceptum.

P. *Odio habui proximum.* C. An gravi? M. contra charitatem. An cum deſiderio nocendi graviter? M. contra juſt. An & quoties odium depoſuerit, atque renovaverit? toties P. M. F. 189.

P. *Rixas habui.* C. An cum animo nocendi? an grave odium inde ſecutum? his ſeclusis eſt plerumque V.

P. *Imprecatus ſum proximo.* C. An deliberatè, ut malum eveniret? an ex ira ſolùm ad incutiendum terrorem filiis, domeſticis &c. Si primum, eſt M. ſecundum V. abſente ſcandalo. F. 196.

P. *Optavi mihi mortem.* C. An ex mala intentione? & juxta hanc eſt peccatum.

P. *Optavi aliis mortem.* C. An deſiderio efficaci & abſoluto? M. Quibus, an parentibus, ut acciperes hæreditatem? M. contra IV. præceptum.

P. *Mortem intuli.* C. An voluntariè & injuſtè? M. injuſtitiæ. Quot, & quibus perſonis: an uxori, proli? M. contra pietatem illis debitam. An clerico? Sacrilegium.

P. *Cauſa defenſionis alium occidi.* C. An defenſio juſta, & cum moderamine inculpatæ tutelæ? F. 48.

P. *Oc-*

P. *Occidi ad defendendum honorem, conſervanda bona.* C. An non potuerit aliter? an honor & bona illa fuerint magni momenti, tibi tuiſve omninò neceſſaria. F. 46.

P. *Provocatus in duello occidi.* C. An debuerit comparere, aliàs privandus honore & officio, vitæ moraliter conſervandæ neceſſariis? ſi ita, an uſus moderamine inculpatæ tutelæ? his ſtantibus excuſaris à M. & excom. aliàs minimè. F. 238.

P. *Procuravi Abortum.* C. An fœtûs animati? & eſt parricidium. An inanimati? eſt M. contra naturam. F. 47. P. *Sed vim paſſa ſum.* C. adhuc M. nam directè procurare abortum nunquam licet, nec ſemen receptum ejicere. La Croix *11. l. 3. num. 928.*

Contra VI. Præceptum.

P. *Impuras habui cogitationes.* C. An voluntariè? *ita.* An cum deſiderio carnaliter peccandi? *non.* An tamen cum delectatione carnali? *ita.* eſt M. circumſtantiam tamen perſonæ circa quam exprimi per ſe non eſt neceſſe. F. 199.

P. *Turpia locutus ſum.* C. An ſolùm ex joco? V. an animo libidinoſo, & circa quam perſonam? M. an cum ſcandalo & quot perſonarum? F. 204.

P. *Tactus habui impudicos.* C. An animo venereo? cum deſiderio carnali & circa quam perſonam? in alieno corpore diverſi ſexûs ordinariè ſunt M. excuſantur ancillæ veſtiendo tan-

tangentes impudicè pusiones, secluso affectu venereo. Sporer.

P. *Motus habui carnales.* C. An voluntariè procuratos? si non, an cum consensu & complacentiâ? utrumque per se M.

P. *Pollutionem procuravi.* C. Quoties? An cum imaginatione alterius personæ & cujus? si solutæ, simul est fornicatio? si conjugatæ, adulterium &c. si procurans ligatus voto castitatis insuper est sacrilegium.

P. *Pollutio mihi contigit in somno.* C. An ex causâ M. in materiâ luxuriæ, & prævisa? M. si ex alia causa per accidens v. gr. cibo vel potu, an intenta? si absque causa? an postea de ea delectatus? si ita, M. F. 203.

P. *Sollicitavi puellam, sed tantùm ex joco & causâ tentandi animum.* C. est M. propter scandalum & sæpe propter periculum proprium.

P. *Luxuriam commisi.* C. An & cum qua persona? P. *Cum soluta & conjugatâ.* C. Quoties cum soluta? tot fornicationes; Quoties cum conjugata? *tot adulteria.* An pœnitens etiam conjugatus? *adulterium duplex.* Attendendum, an proles nata ex adulterio? *restitutio* F. 65. An impedita seminando extra? *pollutio.* An confitens in consuetudine vel occasione proxima? *deserenda.* F. 345.

Contra VII. Præceptum.

P. *Furatus sum.* C. An in quantitate notabili. F. 53. An sacrum vel de sacro? Sacrilegium. F. 137.

P. *Fu-*

P. *Furatus sum modicum.* C. An animo auferendi multum, si potuisses? *ita.* Peccatum est grave, non gravis obligatio restituendi. F. 53.

P. *Sæpe modicum abstuli.* C. An pervenerit ad quantitatem notabilem? M. *cum obligatione restitut.* An pervenire voluerit? quoties hoc volens modicum abstulit distinctis moraliter vicibus, aut quantitatem notabilem continuavit, toties P. M.

P. *Sæpe aliquid surripui parentibus.* C. An tantum, ut parentes quoad substantiam judicaverit graviter invitos? M. cum restitutione.

P. *Sartor de panno retinui.* C. An frequenter, vel animo continuandi, & qua de causa? est M. nisi fiat in compensationem justæ mercedis, vel petitæ à dominis non curentur, & aliis indigentibus applicentur. F. 55.

P. *Usus sum injusto pondere.* C. An pervenerit aut pervenire voluerit ad lucrum notabile? est M. esto nec hic, nec ille sit graviter læsus. Restitutio facienda pauperibus vel piis causis.

P. *Abstuli rem alienam, non animo retinendi, sed solum ad tempus utendi.* C. An Dominum judicaverit rationabiliter & graviter invitum?

P. *Equum bonâ fide emi, postea resciens esse furtivum, retinui, quia pretium recipere non potui.* C. Tuus non est, sub M. restituendus. Imò si sciens furtivum, statim vendidisses alteri, huic restituendum esset pretium.

P. *Damnum grave intuli.* C. An voluntariè? M. injuſtitiæ; reparandum quoad omne, quod inde domino abeſt. An ex gravi odio? M. contra charitat.

P. *Ex incendio mihi eripui mobilia, aliàs tamen peritura.* C. Manent domino ſuo (niſi habuerit pro derelictis) eique reſtituenda. P. *Sed alius tamen ſurripuiſſet.* C. ſi alius, alius reſtituere deberet. Si verò rem, quæ certò peritura absque alicujus injuſtitia, conſumas, ne pereat; ad nihil teneris. F. 72.

P. *Merces pluris æquô vendidi.* C. An fuerint ſubhaſtatæ? *licuit* F. 94. Si non, an ultra pretium juſtum ſummum notabiliter excedendo, vel ſæpius cum damno communitatis? M. *cum reſtitutione.*

P. *Aliis domeſticis eſculenta, poculenta & ſimilia ſurripientibus, ego pariter ſurripui.* C. An ex communi conſilio? ſi ita, eſt M. reſtitutio in ſolidum. F. 76. ſi non, an multum? & eſt M. aliàs non.

P. *Ego ancilla fregi vitrum valde pretioſum.* C. An tuâ culpâ? ſi non, ad nihil teneris. *Sed ſubtrahitur mihi à ſalario, an uti licet compenſatione?* licet, iſtius ſubſiſtentibus conditionibus. F. 55.

P. *Non accipiens debitam mercedem, uſus ſum occultâ compenſatione.* C. An illius verè ſubſint conditiones? damnata propoſitio 37. ab Innocent. XI. *Famuli & famulæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam; quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

P. *Ho-*

P. *Horologium portatile inveni, retinui non ſciens dominum factâ inquiſitione.* C. An judicâſti licitum? retine animo reſtituendi domino, ſi comparuerit? vel reſtitue, ut habes. F. 42.

Contra VIII. Præceptum.

P. *Dextravi.* C. An injuſtè & graviter? M. an ad nocendum? *iterum* M. nocumento ſecuto præter famam reparanda ſunt damna.

P. *Audita contra alterius famam retuli aliis.* C. An nondum de illis fuerit rumor? ſi non, an ita retulerit, ut audientes crediderint, & fama ſit graviter læſa? M.

P. *Delictum quoddam occultum dixi uni viro prudenti, non revelaturo.* C. An judicaſti licitum? non fiat deinceps abſque juſta cauſa. F. 49.

P. *Narravi de aliquo delictum, ſed alibi notum.* C. An alibi notum jure vel injuriâ? ſi primum: ſolum eſt contra charitatem, ſequente damno. Si ſecundum: contra juſtitiam. *ibidem.*

P. *Amico narravi irrogatam mihi à Titio injuriam.* C. An conſilii vel ſolatii causâ? & licuit; ſicut licet ad avertendum damnum proprium vel alienum. *ibidem.*

P. *Recordor, me graviter detraxiſſe ante 10. Annos.* C. An fama redintegrata, vel delictum infamatorium abierit in oblivionem? ſi ita, ſilendum. An aliàs confeſſus? ſi non, cur?

P. *Grave delictum narravi coram pluribus, putans eſſe publicum.* C. Non peccaſti, fama tamen reparanda. F. 66.

P. *Alium*

P. *Alium in sua arte contempsi, lucrum impediturus.* C. An graviter detrahendo? M. dup. in materia detract. & furti. An damnum actu secutum? estque reparandum, sicut & fama. P. *Alium impedivi à consecutione officii.* C. An alteri jam fuerit debitum? M. contra justitiam. Si non debitum, quomodo impedivisti, an fraudulenter, injustè? iterum M. contra justit. an consilio, suasione sine justâ causâ? M. contra charitatem.

P. *Audivi graviter detrahentem.* C. An cooperatus? M. contra justit. an potuerit impedire, & advertens se debere, tamen omiserit? M. contra charitatem. F. 51.

P. *Defectus naturales & crimina alteri objeci.* C. An sine justa causa? *& læsus est honor.* An aliis audientibus & credentibus? *& læsa est fama;* facienda reparatio honoris & famæ. F. 66.

P. *Temerè judicavi.* C. Utrum in re gravi, certò, absque ratione? M. F. 49.

P. *Infamatoria de alio audita, eidem retuli, unde inimicitiæ.* C. An absque justâ causâ? an inimicitiæ prævisæ? si ita, dedisti scandalum, reus inimicitiarum & aliorum, si quæ inde, malorum.

P. *Scandalum præbui.* C. In qua materia? quot personis? F. 238.

Contra IX. Præceptum.

P. *Desiderium habui carnale.* C. Circa quam personam? si circa solutam, est fornicatio inter-

terna; circa conjugatam, adulterium; idque duplex, si & concupiscens sit conjux.

P. *Optavi mortem alicujus mariti ex desiderio ducendi viduam relictam.* C. An optaverit efficaciter & absolutè? M. contra charitatem. An mortem machinatus factâ cum uxore conspiratione? M. contra justitiam dirimens matrimonium. An de præsenti uxorem istam carnaliter concupierit? adulterium; si non, an venereè circa eam delectatus? M. delectationis.

Contra X. Præceptum.

P. *Concupivi vicini mei prædia &c.* C. An efficaciter & cum illius damno, utpote modo injusto? an inefficaciter? primum est M. secundum V.

P. *Optavi proximo malum.* C. An grave, quod & quatenus malum ipsi? M. F. 236.

P. *De malo alteri obveniente complacui.* C. An de gravi, deliberatè & injustè? an ex gravi odio? utrumque M. contra charitatem. Folio 237.



MONI-

MONITORIUM
ad Sacerdotem
Sacerdotalibus fungentem Ministeriis, & ea, quæ Status postulat Clericalis, facientem: ut hæc exemplariter faciat, illis ritè, & digne fungatur, apud homines habiturus æstimationem, & ædificationem, apud Deum meritum, & præmium.

PRÆFATIO.

SAcerdos *Malach.* 2. *dicitur* Angelus Domini, *à Christo Matth.* 5. Sal Terræ, Lux Mundi, Lucerna. *Ut Angelus, Angelicâ nitere debet puritate ; Ut Sal Terræ, animas servare debet à corruptione peccati ; Ut Lux, & Lucerna, fideli populo lucere debet luce sanctitatis, & doctrinæ. Magna Sacerdotis est dignitas, sed & magna obligatio, ut dignitati vita, & mores respondeant. Monet S. Ambros. lib. de Dignitat. Sacerdot.* Attende ô Sacerdos, attende: ne honor sit sublimis, & vita deformis, ne sit Deifica Pro-

Professio, & illicita Actio. *Errat proinde, & graviter errat, qui ad sustinendum Sacerdotis nomen sibi sufficere putat, à Laicis veste distingui, & horas, ac sacrificium cursim absolvere; sciat is, nullos magis nocere, nullos graviori judicio à Deo esse puniendos, quàm malos Sacerdotes. O quàm multis in Judicio tolerabilius foret! fuisse mendicos, quàm Canonicos, Pastores ovium, quàm animarum, gestasse claves templi, quàm cœli, stetisse in harâ, quàm arâ!*

Sacerdos igitur quisquis es, Sacerdotalem serva dignitatem, sed & obligationis tuæ atque officii ne obliviscaris; Attende, ut dignitati vita, & mores respondeant; respondebunt: Si ut Angelus Angelica niteas puritate, ut Sal animas serves à putredine, ut Lux luceas Sanctitate, & doctrinâ, Sacerdotalibus ritè, dignèque fungens ministeriis, & ea benè faciens, quæ Status postulat Clericalis.

Hunc in finem ex probatis Authoribus eo, quo dantur, animo sequentia accipe Monita, vide, lege, sequere.

MONI-

MONITA
Ad Recitantem Horas Canonicas.

PSallite Deo nostro: psallite Regi nostro, psallite quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Psal. 46. Ubi quinquies repetito verbo *psallite* insinuatur, psallendum esse Deo, quoad vocem *distinctè*, quoad memoriam *attentè*, quoad intellectum *diligenter*, quoad voluntatem *ardenter*, quoad habitum corporis *reverenter*. Hinc qui obligaris ad Horas Canonicas.

I. Recitaturus præpara animam tuam per orationem: Aperi Domine os meum &c. ut in Breviario, vel per similem.

II. Juxta *c. dolentes. de celebrat. Missar.* recitabis studiosè pariter ac devotè. *Studiosè*, quantum ad officium oris, omnia verba bene pronunciando; *Devotè*, quantum ad officium cordis, ferventer attendendo.

III. Debitam habeas intentionem, & attentionem: Intentio eáque saltem implicita sit laudandi Deum, & applicandi pro felici statu S. Ecclesiæ, ejúsque indigentiis. Attentio, eaque saltem virtualis, sit vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum, sive quod melius, ad sensum, & Deum simul. Scito: si cor non orat, tunc frustra lingua laborat.

IV. Advertens te distractum, attentionem renova maximè ad *Gloria Patri &c.* repetitionibus autem, si non fuerint volunta-

riæ,

riæ, noli aſueſcere: ſunt enim fomentum ſcrupulorum.

V. Officium Canonicum non poſtponas aliis, niſi urgeant, occupationibus, minùs compotationibus, & recreationibus: nonne anima plus eſt quàm eſca? Audi S. Auguſtinum: Orare ante tempus, eſt providentia, in tempore, eſt obedientia, poſt tempus, eſt negligentia.

VI. Non præcipites verba, nec mutiles, nec abſorbeas, nec indecorè feſtines: ſic ora, ſicut poſtulat Majeſtas, quam adoras; ſic pete, ut merearis accipere.

VII. Elige locum pietati tuæ magis congruum, & à ſtrepitu, atque interpellatione remotiorem: Domus Dei Domus orationis, eáque pro poſſe eligenda, ſive oratorium, aut ſaltem locus orationi conveniens.

VIII. Adhibe decentem corporis ſitum, videlicet ſi vires ferant, ora nunc flectendo, nunc ſtando conformiter choro: ſic poſtulat Dei Majeſtas, & noſtra exinanitas.

IX. Oculorum evagationes, aliáſque diſtractionum cauſas ſtudioſè devita: Volens diſtractionis cauſam vult diſtractionem.

X. Officium ad cujuſque adventum, aut opus incidens non facilè & ſtatim interrumpas, te convertens à Deo ad hominem, à Creatore ad creaturam: etenim has cedere oportet Majori.

XI. Cogita te in conspectu Divinæ Majestatis, & Sanctorum Angelorum eam laudantium atque vivâ fide in Deum præsentem tende cum affectu amoris, gratulationis, zeli Deum laudandi, eique per omnia placendi.

XII. Ad verba, quæ significant Deum, ejúsque attributa, beneficia, opera &c. conare elicere affectus congruos amoris, adorationis, reverentiæ, admirationis, laudis, spei, timoris &c. ad verba miserias humanas indicantia elice affectus humilitatis, contritionis, compassionis, postulationis, & similes.

XIII. Psalmos recita eo affectu, quem verba præ se ferunt, nempe juxta S. Augustinum amando, cùm amat Psalmista, laudando cùm laudat, benedicendo cùm benedicit, timendo cùm timet, postulando cùm postulat. Similiter Antiphonas, Versus, Orationes recita cum affectibus, & desideriis congruentibus.

XIV. Post recitationem offer tuum officium etsi imperfectum in unione orationum, & Meritorum Christi, B. Virginis, atque Sanctorum; Defectus admissos stude expiare actu contritionis, vel per orationem: *Sanctissimæ & Individuæ Trinitati &c.* atque propone deinceps emendare.

MONITA
Ad Concionantem.

I. EXcogita propositionem, de quâ dicturus es, eámque ut thema constitue. 2. Inveni

veni materiam, & argumentum ad probandum idonea. 3. Inventa ordinatè dissona: primò statue Exordium tanquam caput, idque breve, & conformè materiæ; deinde propositionem perspicuam, exponendo, quid sis dicturus; & quid in qualibet concionis parte; deinde confirmationem, rationes validiores ponendo in principio, graviores in fine, infirmiores in medio; denique Epilogum, apposìtè concitando affectus, qui concionis sunt finis, & Concionatoris triumphus. 4. Omnes concionis partes præcipuè confirmationem insignioribus tropis, & figuris exorna, easque gratis amplificationibus exorna. 5. Attende à Dictionis scopo, vide, ne declines.

II. Scito, fructuosam prædicationem non consistere in vanâ, & verborum, aut ingenii ostentatione, sed potius in bono exemplo, & sanctæ vitæ conversatione: vide ergò, ne exemplo destruas, quod verbo ædificas.

III. Devita quæstiones difficiles, curiosas, & subtiles Auditorum captum superantes, utpote ad eorum ædificationem, & instructionem parùm aut nihil conducentes.

IV. Stude, non hominum, maximè Magnatum aures vanis eloquentiæ verbis demulcere, neque fabularum, & fictionum enarratione detinere, aliisque nugis, & impertinentiis, sed potiùs omnium animas spirituali pabulo reficere.

V. Non affectes magnis, & doctis prædicare, ubi plerumque vana gloria, sed libentiùs

rudibus, & ſimplicibus: tum quia non tantùm pro illorum, ſed & horum animabus pretioſum Chriſtus ſanguinem fudit; tum quia ſæpe majori fructu, & majori merito prædicatur his, quàm illis.

VI. Si Auditores ſint rudes, præcipua tibi cura erit, eos rebus neceſſitate tum medii, tum præcepti ad ſalutem neceſſariis debitè inſtruere, deinde vitia extirpare, & virtutes implantare. Contra neminem in particulari dices, minùs contra Principes, & Dominos, zelo indiſcreto eos offendendo, ſed omnibus debitor, omnibus prædicabis, eos ſuaviter, & efficaciter obſecrando, & increpando.

VII. Concionem paratam memoriæ firmiter manda, clarè, gravíque actione ſuo tempore pronunciaturus. Ad hoc 1. Divinum implora auxilium. 2. Mentem à curis mundanis, aliiſque negotiis expurga. 3. Concionem totam lege, & perfectè intellige, mox remoto in loco diſtinctè ediſſe, nec ad aliam ejus partem progredere, priori non poſſeſsâ. 4. Veſperi diſce, & manè expergefactus animo revolve: per nocturnam enim quietem ſpecies magis collocantur, & per matutinam repetitionem magis firmantur. 5. Priùs tacitè diſce, ne vocis ſonus mentem perturbet, poſtea, ſi opus ſit, cum geſtu clam, & clarè prolude, nec in publicum prodi, donec perfectè didiceris. 6. Inter concionandum, ſi fortè contingat oblivio, poteris pluribus verbis idem explicare, vel aliqua

qua hunc in finem excogitatâ transitione aptâ immiscere, donec oblita occurrant.

VIII. Concionem facturus stans in medio suggesti utramque manum absque jactantiâ supra suggestum pone, Auditores benignè respice, primas periodos absque ullo gestu pronuntia, postmodum gestus incipe, manus non nisi leniter, & paululum ultra signum protende, oculis manum, & gestum sequentibus.

IX. Vocem accommodabis loco: in parvis non sit nimis clamorosa, nec in magno nimis submissa; Si sit imbecillis: Raro exalta eam affectu violento, sed familiari tono orationem variabis.

X. In Exordio sit vox clara, & æquabilis, semper tamen sine affectatione, aut cantilatione; in Confirmatione sit elatior, & incitatior, quantum vires, & materia postulant; In Epilogo, si instituatur ad deprecandum, vel placandum, sit suavis, & lenis; si ad miserendum, flexibilis; si ad lætandum, plana, & sonora; si ad hortandum, & terrendum, concitatior, & vehementior; quam vocis varietatem disces, observando, quo tono passim loquantur homines, dùm irascuntur, rogant, dolent, minantur, lætantur &c.

XI. Cave nimiam in dicendo tarditatem, quæ dictionem reddit languidam, cave & nimiam linguæ volubilitatem, quæ verba truncat, & confundit. Ultimas quoque syllabas clarè pronuntia; & in fine periodi modicè

reſpira: id enim dicentem reficit, & audientem afficit.

XII. Geſtum non ſemper ad unam dirige partem, ſed nunc ad hos, nunc ad illos, tùm ob gratam varietatem, tùm ut à pluribus audiri, & videri poſſis. In Exordio ſit lenior, & modeſtior, niſi fortè ſit invectiva; in Confirmatione acrior, & pugnatior; in Epilogo vehementior, & ſuavior, prout materia, & affectus, ſive finis intentus poſtulant.

XIII. Vultus, oculus, & aſpectus non ſit erectus, & alacer, nunc demiſſus, & triſtis pro rerum, ſeu materiæ varietate.

XIV. Uti cavenda eſt geſtuum nimia lenitudo, & tarditas; ita etiam nimia celeritas, & levis geſticulatio, nimiáque vaſtitas, quâ brachia nimiùm extenduntur, & manus ultra caput extolluntur.

XV. In ſupplicando utrámque manum prætende, vel attollendo, vel ſubmittendo, ſive quod magis congruit, manus junge inſtar Orantis. In averſando, vel negando caput ad unam partem converte, manus ad alteram, rem quaſi à te propellendo; vel caput leniter concute per modum renuentis. In interrogando manum paululum erige, in demonſtrando reipſum, manum unam ad pectus converte; in demonſtrando alias res, manum plerumque protende, & ſurſum, vel deorſum, vel aliò converte, prout res eſt ſupra, vel infra, quam deſignare cupis, raрò autem id ſolo digito facies.

XVI.

XVI. Dum declaras: quiesce innixus super suggestum, & voce elatâ, verbísque incisis, ad modum præcepta tradentis enuclea. Dum laudas, vel extollis: os aperi, vocem & oculos serena, sinistram manum in pectore firma, & alteram per aëra eleva. Dum vituperas, vel deprimis: te ipsum contrahe, utramque manum ad pectus extende, & aspero vultu, vocéque interruptâ loquere. Dum hortaris: brachia inter se necte, & vultum componens vocem trahe ex corde, ut auditorum viscera penetret. Dum dehortaris: voce altâ, suspiriis interruptâ, agili manu, inflexo corpore incede. Dum consolaris: manus eleva, & voce vividâ, vultúque instar medici confortantis exhilara. Dum pudorem injicis, imitare vocem infirmi, humilem gere vultum, caput inclina, & manus dimitte. Dum irasceris: fiat pugno compresso, voce acri, & vultu aspero, pulpitum manu leniter percutiendo. Dum pœnites: digitos manu preme, & pectori admove. Dum doles: manus inter se complica, vel deorsum utrimque dejice, & expande. Dum vocas, aut alium tibi sistis: manum sursum eleva, & ad te inflecte. Dum repellis: manum celeriter protende digitis explicatis. Dum minaris: digitum erige, & parùm concute, hostili vultu, accensis oculis, voce asperâ, atque terribili. Dum reprehendis: sis iratus in vultu, rigidus in sermone, velox in manibus Patrisfamilias in morem servos objurgantis.

XVII. Cavebis 1. Ne ſit nimis diuturna omnium geſtuum intermixtio, & ne idem geſtus præſertim in eadem periodo nimis ſæpe reperatur. 2. Ne unquam ingenii tui acumen, vel eruditam inventionem jactites; neque in detrahentes concioni tuæ, aut ſugillantes invehas. 3. Ne Hiſtrionum actiones imiteris, aut inanes facias vociferationes; quibus nonnulli nativæ vocis tenorem, & accentum adulterantes, crebróque brachia projicientes, aërem, non aures feriunt.

XVIII. Amicum eruditum conſule, eúmque precare, ut ſincerè aperiat, num in aliquo offendas, vel deficias, non auditurus propriam laudem, ſed bene dicturus ad majorem DEI gloriam, & hominum ſalutem.

MONITA
Ad Catechizantem.

I. COnaberis imperrare à Magiſtratu, vel Satrapâ, ut populus junior ante Catecheſim non conveniat ad luſum, non exeat ad prata, campos, vel nemora; à parentibus verò & heris, eos opportunè monendo, ut filii & filiæ, famuli & ancillæ vadant ad Catecheſim.

II. Catecheſis certâ horâ incipiat, & non ultra horam duret, ne pueri & puellæ tædio affecti eam abhorreant.

III. Doctrinam Catecheticam tractabis per ordinem juxta Catechiſmum in Diœceſi tuâ uſu receptum.

IV. Cu-

IV. Curabis, ut in Ecclesia seu loco Catechesis pueri & puellæ non sint intermixti, sed pueri pueris, puellæ puellis, juniores junioribus, & adultiores adultioribus associentur, & suo quisque in loco permaneat.

V. Dato ad Catechesim ultimo campanæ signo, & præmissâ, ubi solet, cantilenâ, Catechista stans versùs populum, qui flectat versùs Altare, formes signum crucis, & orationes consuetas recites alternativè, ita, ut populus verba Catechistæ repetat, sicque juniores crucem formare, & orationes recitare addiscant.

VI. Post orationes, si qui sint caput vel capita ex Catechismo de memoriâ recitaturi, recitabunt, te sedente ante Altare.

VII. Post recitationem dices de quâ materiâ priór fuerit Catechesis, eámque surgens & accedens ad populum repetes per interrogationes, puncta leviora proponendo parvulis, graviora magnis; eósque, si hæsitent, adjuvabis, ut non confundantur, & propter confusionem atque erubescentiam aliâ vice emaneant.

VIII. Post repetitionem doctrinæ prioris sedens alium, vel alios explicabis articulos, & doctrinam immiscebis moralem, nec non exempla adduces eò pertinentia, quibus potissimum afficitur & tenetur populus.

IX. Post novam explicationem accedens ad populum de punctis explicatis breviter interrogabis.

X. Non omittas ſub catecheſi etiam inſtruere tenellos, quosdam docendo formare crucem, alios interrogando de articulis ſcitu magis neceſſariis & obviis.

XI. Bene reſpondentibus aut prœmiolum dabis, aut ſuaviter laudabis cum promiſſione illius: quia ſic animantur, ut Catecheſim libenter frequentent, atque diligenter addiſcant.

XII. Poſt hæc jubeas, populum flectere; formato ſigno crucis preces conſuetas modo jam dicto recites; atque datâ benedictione omnes dimittas.

MONITA
Ad Exorcizantem.

I. NOn judicabis quemquam obſeſſum, vel obſeſſam, nec exorciſmos adhibebis, niſi habitis priùs obſeſſionis ſignis; certa illius ſunt: Si linguâ ſibi ignotâ loquatur; ſi remota, & occulta revelet; ſi diverſorum animalium voces imitetur; ſi faciat, quod viribus naturalibus non poteſt. Probabilia ſunt: ſi ad verba ſacra contremiſcat; ſacras Reliquias, & res benedictas horreat; ſi torſiones, & motus furentes patiatur; ſi corpus vel membrum aliquod præter morem inflетur; ſi linguam tumidam, & nigram protendat; ſi ſpumet ore, in terram eliſus volutetur, per totum corpus inſtar animalculi aliquid diſcurrat &c. Specialiter mulieribus non facilè crede, eſſe obſeſſas: ſæpe enim mentiuntur, præſertim pauperes; quan-

quandoque propter affectus muliebres patiuntur convulſiones, maniam &c. aliásque viſu & communicatione inficiunt. Unde

II. Antequam exorcizes, diligenter attende, & ſi poſſis, Medicum, vel alios conſule: an affectus ſive ſtatus exorcizandi ſit ex morbo, vel complexione hypochondriacâ? an ex ſimulatione? an ex factione Diabolicâ?

III. Ad exorcizandum non accedas temerè, non, niſi de licentiâ aut obedientiâ tuorum, ad quos pertinet, Superiorum; non niſi bonâ conſcientiâ, aut exiſtens in ſtatu gratiæ, Dœmone priùs expulſo ex temetipſo; exorciſmosque non adhibeas, niſi approbatos, & in Eccleſiâ Dei uſurpari ſolitos; idémque eſt de Reliquiis.

IV. Non quæſtûs gratiâ fungaris officio tuo; non loquaris, nec inquiras, aut facias, quod eſt impertinens.

V. Exorcizatio non fiat in domibus privatis ſæcularium, ſed in Eccleſiâ vel Oratorio, & ubi poteſt, ante Sacratiſſimum Sacramentum; non in conſpectu multitudinis, ſed in præſentiâ quarundam tantùm perſonarum, quæ, & quot videntur neceſſariæ. Si exorciſmum adhibeas energumeno, aſſiſtant viri quidam Eccleſiaſtici, ſive Religioſi; ſi energumenæ, aſſiſtant duo vel tres viri probatæ vitæ, itémque mulieres quædam pariter probatæ vitæ, quæ energumenæ ſint conſanguineæ, vel affines.

VI. Dœ-

VI. Dœmonium ſæpe non ejicitur niſi in jejunio & oratione, adeoque dum opus videtur, ad exorcizandum jejunio & oratione te munias, ipſúmque exorcizandum vel exorcizandam ad eadem, & ſimilia devotionis exercitia inducas.

VII. In adjuratione Dœmonis petere licet illius nomen, cauſam & tempus ingreſsûs; an unus, vel plures; an corpus obſideat, vel quam partem &c. alia verò, quæ curioſa, & quæ ad Dei gloriam non faciunt, nec ad hominum ſalutem, nec ad Dœmonis expulſionem, per ſe loquendo petere non licet; minùs jocos facere, aut permittere.

VIII. Cavendum, ne quid intercurrat ſuperſtitionis, aut vanæ obſervantiæ; néve certa & infallibilis tribuatur efficacia exorciſmis, rebúsque benedictis, ſed omnis fiducia in adjutorio Altiſſimi collocanda eſt.

IX. Si afflictus quædam portet involucra, aut brevia, ea examinabis: unde, à quo, ad quid; & prout inveneris, auferes, vel permittes.

X. Adhiberi poſſunt fœtores ex herbis, flagella, ſputa, alapæ, item Dœmonis nomen in chartâ comburi: ut ſuperbus Diabolus inde confuſus abſcedat.

XI. Sanctiſſima Euchariſtia corpori obſeſſi non admoveatur, niſi ſuadente neceſſitate, & ceſſante irreverentiæ periculo.

XII. Cavebis à variis deceptionibus Dœmonum: aliqui enim faciunt obsessum post multos exorcismos apparere non esse Dœmoniacum, vel esse liberatum; alii persuadent, esse infirmitates naturales; alii infirmum faciunt dormire, aliáque conjurationibus ponunt impedimenta; alii se occultantes ad tempus quiescunt; alii ostendentes esse maleficium, inducunt ad illud alio maleficio solvendum &c. contra has similésque deceptiones sis in exorcizando constans, circumspectus, devotus, fide, spe, & charitate plenus; donec desiderata sequatur liberatio.

XIII. Exorcismos adhibiturus contra maleficia, aut veneficia, priùs attende & inquire, num verum sit maleficium, aut veneficium; & compertâ veritate exorcismos adhibe devotè & zelosè ante imaginem Crucifixi, & ardentibus candelis, aliáque ut suprà, quæ huc pertinent, observa.

MONITA
Circa Spirituum Apparitiones.

Discernere Spiritus donum Dei est, non omnibus, sed quibusdam concessum; non rarò tamen contingit, Confessarios à pœnitentibus consultari, adeoque his quædam sunt scitu necessaria.

I. Possunt quidem hominum Spiritus redire, & ex singulari Dei dispensatione aliquando solent;

ſolent ; non tamen niſi rariſſimè, & ex causâ graviſſimâ id à Deo permittitur : proinde rem attentiſſimè examina, nec leviter crede eſſe ſpiritum, niſi certiſſimis ſignis cognoveris rei veritatem.

II. Ubi ergo certis indiciis conſtiterit, extraordinariè apparere ſpiritum, maturo examine inquirere : quis, aut qualis ſit ? quid petat? quomodo juvari queat ?

III. Cùm notæ ſint malignorum ſpirituum fraudes, omnem inſolitam apparitionem meritò habebis ſuſpectam, adeoque ſi ubi ſpiritum tumultuantem audieris, adverſus eum tanquam dœmonem armaberis.

IV. Obſerva indicia mali ſpiritus : Sunt 1. Si fugiat ad præſentiam & uſum rerum ſacrarum, v. gr. ſigni crucis, aquæ benedictæ, Nominis JEſu &c. 2. Si prætendat ſuæ apparitionis cauſam pravam, aut falſam. 3. Si aliquid dicat contra fidem aut bonos mores. 4. Si apertè & ſubdolè mentem hominis excitet, vel inducat ad malum. 5. Si appareat in formâ deformi, & horrificâ, cum tumultu, vel in ſpecie ſordidi animalis &c. 6. Si, poſtquam præſtitum eſt, quod petiit, ſubſidium, rurſus quæſitis aliis cauſis redeat.

V. Si animæ ſimplici & devotæ appareat ſpiritus in formâ Angeli, vel alicujus ſancti aut ſanctæ, non facilè credas, imò vix unquam : Dœmon enim ad decipiendum ſæpe transfigurat ſe in Angelum lucis ; Proinde moneas, non

non ſtatim eum audire, ſed adhibendas eſſe res ſacras, v. gr. ſignum crucis, aquam benedictam, invocationem Nominis JEſu &c. donec ex his, ipſiúsque ſpiritûs doctrinâ verâ, & revelationibus bonis conſtet non latere fraudem, aut fallaciam dœmonis.

MONITA
Ad Baptizantem.

I. AD Sacramenta adminiſtranda, quandocunque vocatus ex parte conſcientiæ ſis paratus. Si verò, quod ſummopere cavendum, peccati mortalis tibi ſis conſcius, & ad vitâ periclitantem, ſive prolem baptizandam, ſive moribundum abſolvendum voceris, in viâ elicias contritionem perfectam; extra autem neceſſitatem, habitâ copiâ Confeſſarii, & morâ temporis permittente convenit confiteri.

II. Pro neceſſitatis caſu vocatus nullam interponens moram, admonito etiam populo, ut quacunque diei, & noctis horâ, ſi neceſſitas poſtulet, te vocare non pertimeſcat.

III. Dum ſacramentum miniſtras, ſacris veſtibus, prout poſtulat, decenter ſis indutus: ſingula verba, maximè quæ ad illius formam pertinent, attentè, diſtinctè, & clarè pronunciabis: Cæremonias, & Ritus ad populi ædificationem devotâ, graviſque actione perages.

IV. Pro materiâ baptiſmi adhibenda eſt, ſi haberi poſſit, aqua ex fonte baptiſmali, ſi minus

nus sit sufficiens, in minori quantitate admisceri potest non benedicta; si omnino deficiat, vel aliunde est accipienda, vel benedicenda juxta formam in Rituali. Si congelata sit, aut nimis frigida, resolvatur, & tepefiat, sic non nocitura infantulo.

V. In defectu aquæ naturalis adhibendus est quicunque alius liquor ad lotionem aptus, tametsi materia sit dubia, subintellectâ tamen conditione: *Si baptizare valeo, ego te baptizo &c.*

VI. Formam Baptismi, quæ est: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen*, clarâ voce pronunciabis sub trinâ super caput infantis affusione aquæ in modum crucis, sic, ut prima affusio fiat sub verbis: *in Nomine Patris.* Secunda sub verbis: *& Filii*, tertia sub verbis: *& Spiritûs Sancti.* Cavendum proinde, ne affusio aquæ verba præfata præcedat, aut sequatur, quæ sub ipsis verbis facienda.

VII. In dubio, an parturiens sit editura prolem vivam, dic obstetrici: si quâ ratione possit vel digito, vel instrumento, conetur aquam, sed calidam, immittere ad infantem, formam baptismi pronunciando conditionatè; si prodierit membrum aliquod, rursus baptizet sub conditione; si totus prodeat vivus, tu ipsemet, qui præsens es Parochus, vel Sacerdos, baptismum repete conditionatum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* non enim intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. *c. finali. de Presbytero non baptizato.*

VIII. Si

VIII. Si parturiens moriatur, os ejus ſervetur apertum, ne infanti, qui ſtatim extrahendus, & baptizandus, obſtruatur via reſpirationis. Quod ſi prodeat mortuus, nec baptizari poteſt, nec in loco ſacro ſepeliri. *Rituale.*

IX. Scito, baptiſmi adminiſtrandi locum eſſe Eccleſiam, ex Concilio Viennenſi, adminiſtrari tamen poteſt in locis privatis, ſi infans ad Eccleſiam deferri nequeat abſque periculo, vel acceleratione mortis; item in nobilium oratoriis, aut aliis locis decenter ad hoc ornatis, ſi fortè ſint perſonarum illuſtrium filii, id ipſis ita depoſcentibus, ut habet Agenda Moguntina, & conſuetudo.

X. Vitâ periclitante prole, non ſis multùm ſolicitus de ſexu illius, aut patrinis: quia error in ſexu exigui eſt momenti, & patrini tunc non ſunt neceſſarii.

XI. Baptiſmum iterare nullo modo licet, ſi tamen de valore illius prudens oriatur dubium, vel ratione materiæ, aut formæ, vel quia infans præcipitanter, & tumultuariè eſt baptizatus ſine certitudine, an neceſſaria omnia fuerint adhibita; vel quia in neceſſitate baptizavit obſtetrix; vel quia in neceſſitate ablutum eſt membrum aliud quàm caput; vel quia infans expoſitus & inventus ſine certo teſtimonio baptiſmi collati &c. repetendus eſt ſub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

XII. Quia Sacerdotem ad parturientem ingredi non decet, nisi fortè in articulo mortis versetur, & absolvenda sit, hinc curare debes, si Parochus sis, ut obstetrix rectum baptizandi ritum probè sciat, & servet.

XIII. Pater in necessitate propriam prolem baptizare potest, & nullam tunc contrahit cognationem, quæ matrimonii usum impediat.

XIV. Baptismus quandóque conferendus est sub conditione: in dubio, an infans vivat, sub hac: *Si vivis, ego te baptizo &c.* In dubio, an animatus, vel monstrum, sub hac: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* In dubio, an baptizatus sit, ut supra, sub hac: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* In dubio, an adsit materia valida, vel alia essentialiter requisita, sub hac: *Si baptizare valeo, ego te baptizo &c.* In necessitate, si plures simul absolutè baptizandi, sub hac: *Ego vos baptizo &c.*

XV. Baptizaturus extra necessitatem, priùs inquire, quis, vel qui sint patrini, sciens ex Decreto Concilii Tridentini admitti posse unum, vel unam, sive ad summum unum, & unam; debéntque patrini orthodoxæ esse fidei, & bonorum morum, adeóque arcendi sunt hæretici, nisi ubi consuetudo admittit, secluso tamen in fide, si adolescat, perversionis periculo.

XVI. Baptizaturus in alienâ Ecclesiâ; si Parochus sis; vel in pago, aut alibi, si Religiosus sis, de modo baptizandi in Ecclesiâ illâ usitato

tato apud loci æditum, vel alium Ecclesiæ Ministrum prius te informa.

XVII. Baptizaturus solemniter habeas aquam baptismalem, vascula cum sacris oleis catechumenorum, & chrismatis, vasculum cum sale benedicto, vel benedicendo, & gossipium ad abstergenda loca oleis sactis inuncta, & quæ de oleis sacris accipiendis, conservandis, & renovandis in Agendâ, seu Rituali sunt præscripta, observato.

XVIII. Post baptismum collatum nomen baptizati, nomina parentum, & patrinorum in librum baptismalem referre memento.

MONITA
Ad Celebrantem.

I. ANte celebrationem considera: quâ potestate fungaris, quam personam repræsentes, nempe Christi, cui, & in cujus conspectu sacrifices, nempe Dei, quæ sit victima, & quam sumpturus sis, nempe Sanctissimum Corpus, & Purissimum Sanguinem Christi Domini cum Divinitate. Quanta proinde in te requiritur cordis, & corporis munditia!

II. Panem sumis Angelorum: vide, num Angelus sis puritate, & castitate, prout Sacerdos nuncupatur *Malach. 2. Angelus Domini*; An verò porcus, & fœtidissima cloaca. Scias: *Qui manducat, & bibit indignè, Judicium sibi manducat, & bibit. 1. Corinth. 11.* Scias: *Non est sanctum,*

quod sit sanctum; nisi sanctè fiat, quod sanctum est. S. Chrysost. Sanctè proinde tractes, quod sanctum est, ut tibi sanctum sit.

III. Recommendata tibi habe tria puncta à Sancto Carolo in Synodo Mediolanensi instituta: 1. Ut Sacerdotes quò puriores ad rem Divinam faciendam accedant, singulis hebdomadibus peccata sua confiteantur, etsi graviora (quod absit) non occurrant. 2. Ut ante celebrationem sese recolligant, quid facturi, & in quo statu; atque orantes mentem in tanti mysterii cogitatione defigant. 3. Ut sacris vestibus induti nemini loquantur, nemini dent aures; oculos verò, & mentem ab omni, quod distrahit, amoveant.

IV. Sacerdotibus competente modestiâ, & gravitate ibis ad Sacristiam, lavans manus orabis: *Da Domine virtutem &c.* ex Missali.

V. Sumens paramenta Sacerdotalia, ad Amictum recordare illius fasciæ, quâ oculi Christi Domini fuêre velati, & coronæ spineæ, quâ caput fuit coronatum. Ad Albam, illius albi indumenti, quo fuit illusus. Ad Cingulum, & Manipulum, funium, quibus fuit ligatus. Ad Stolam in modum crucis formandam, crucis quam portavit. Ad Casulam, purpureæ vestis, quâ ut Rex fuit illusus. Sub his compassivos elice affectus, téque stude Christo, quem paramentis illis indutus repræsentans, conformare:

VI. Sacerdotalibus indutus sume calicem, cum velo, & corporali; Calix denotat sepul-

chrum

chrum Christi, velum sudarium in sepulchro super caput ejus positum, corporale linteum, cui corpus Christi fuit involutum.

VII. Sumpto calicè, incessu gravi, & modesto sine cursitatione, oculis dimissis, accede ad Altare, memor introitûs Christi in hortum Gethsemani, simulque ora: *In Nomine Sanctissimæ Trinitatis accedo ad Sacrificium Missæ cum intentione celebrandi, consequendi illius fructus, & lucrandi omnes, quas possum, indulgentias.*

VIII. Debitam reverentiam Altari, debitas ad terram genuflexiones, & ritum celebrandi, quem præscribit Missale, ritè observato.

IX. Missâ perquisitâ, stans in medio Altaris attentionem, & intentionem renova, dicens: *Domine Deus, digneris intellectum meum illuminare, & voluntatem inflammare, ut piè, devotè, & attentè celebrare valeam, tibíque sit acceptabile Sacrificium meum, quod offero in honorem . . . ad intentionem . . . vel pro . . .*

X. Factâ cruci capitis inclinatione descende, & Missam incipe voce mediocriter altâ, altiori, si solus, vel in pago celebres.

XI. Verba omnia clarè, & distinctè pronuncia, eliciens sub illis pios, & correspondentes affectus, cavens autem ab indevotâ festinatione; unde nulla spiritûs dulcedo, nulla animi affectio; sed ex merâ consuetudine, & cursim celebrantibus mentis ariditas, & voluntatis tepiditas. Sacerdos non properat in convivio profano, cur properaret in sacro?

XII. Sub Sacrificio Missæ sis memor mysteriorum vitæ, & Passionis Christi, quæ sacrificium hoc incruentum cruenti commorativum significat, & quidem

Primò *Confessio, & preces* ante gradum Altaris repræsentant lapsum Adami, & misericordiam Dei. *Introitus Missæ*, & *Kyrieeleison* significant desiderium Sanctorum Patrum ad Messiam, & preces, quas fundebant. *Gloria in Excelsis* repræsentat hymnum, quem cecinerunt Angeli nato Christo. *Dominus vobiscum* indicat Filium Dei, Deum de Deo, qui Emmanuel, esse nobiscum in carne. *Orationes* significant illas, quas Christus fudit ad Patrem pro populo, & quia mediator est inter Deum, & hominem, per ipsum petendo finiuntur, vocantur *Collectæ*: quia Sacerdos eas dicit nomine populi collecti. *Epistola* significat Dei mandata, in quibus debere nos ambulare denotat *Graduale*, & sic cœli gaudia nos consecuturos designat *Alleluja*.

Secundò *Evangelium* significat Christi prædicationem, dicitur ad Aquilonem, ubi sedes Luciferi: quia contra ipsum. *Credo* significat fidem nostram. *Oblatio Hostiæ* oblationem Christi, quâ se Patri pro genere humano obtulit; *Oblatio calicis* calicem passionis, quem acceptavit; *Ablutio digitorum*, lachrymas Magdalenæ pedes Domini abluentis; *Orate Fratres* excitationem Discipulorum ad orandum; *Orationes secretæ* Christi orationes in horto. *Præfatio* triumphalem

lem Christi ingressum in Jerusalem in die Palmarum, & ingressum ad Passionem.

Tertiò *Canon*, latinè regula nempe sacrificii, repræsentat seriem Passionis Christi; legitur voce submissâ: quia Christus tanquam agnus non aperiens os suum est immolatus. *Consecratio* significat Christi immolationem, *& Hostiæ elevatio* crucis in monte Calvariæ cum Christo erectionem, *Calicis autem elevatio* effusionem Sanguinis Christi crucifixi. *Cruces quinque* significant quinque vulnera, *& tres sequentes* tres horas Christi in cruce; *Nobis quoque peccatoribus* petitionem boni latronis; *Pater noster*, continens septem petitiones, designat septem verba Christi in cruce; *Fractio Hostiæ* separationem animæ Christi à corpore; *Dimissio particulæ in calicem* descensum animæ Christi ad inferos, corpore manente in cruce; *Agnus Dei* quorundam Judæorum conversionem, percutientium pectora; *Sumptio Hostiæ* sepulturam Christi; *Post communio* lætitiam Sanctorum Patrum in limbo ob descensum Christi; *Dominus vobiscum* resurrectionem Christi; *Orationes*, Christi interpellationem ad Patrem pro nobis; *Ite missa est*, mysterium esse completum; *Benedictio* benedictionem Christi ascendentis; *Ultimum Evangelium* prædicationem Apostolorum, juxta præceptum Christi *Marci 16. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium &c.*

XIII. Non obliviscaris applicare fructum sacrificii, isque necessariò ante consecrationem applicandus. Non autem sufficit ex pluribus sacris

cris v. gr. pro diversis defunctis, vel ex distinctis intentionibus velle legere unum, sed determinandum est: quodnam velis v. gr. primum secundùm ordinem constitutionis, & sic consequenter, si intentiones non scias individualiter, an sint diversæ, & quæ.

XIV. Tenens Hostiam consecraturus, intentionem mentaliter renova, v. gr. *volo consecrare, sicut Christus instituit, & Sancta Ecclesia facit*; statímque verba consecrationis reverenter, distinctè, & submissè pronuncia.

XV. Sacram elevans Hostiam cogita: *Clementissime Pater respice in faciem Christi tui, & miserere nostri.* Elevans verò Calicem: *Te ergò quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

XVI. Ad primum *Domine non sum dignus* cogita te indignum propter vilitatem tuam; ad secundum propter peccata tua; ad tertium propter excellentiam Christi.

XVII. Sacras species sume reverenter, devotè, & affectuosè, solicitus, ne quid remaneat, aut ulla committatur irreverentia.

XVIII. Sacro finito, recessum devotè orabis, in pios erumpens affectus, necessitates tuas Dulcissimo JEsu exponens, téque, alíosque, pro quibus orare soles, & debes, pro salute animæ, & corporis recommendans, potissimum necessitates occurrentes; unde cavendum, ne depositis paramentis quasi à convivio profano mox ad garrulitates, jocos, vanitates, evagationes, & hujusmodi dilabaris.

MONITA

MONITA
Ad Absolventem.

I. INgressurus Confessionale debitam formes intentionem hac vel simili oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, sicut Christus Dominus, Salvator noster, Sacramentum pœnitentiæ instituit, & Sancta Ecclesia administrat, sic ego servus & minister tuus administrare intendo, idque ad majorem tuum honorem, meam & animarum salutem; peto ad hoc tuam sanctam Benedictionem, in Nomine Patris &c.* Ingressus confessionale Sacramentum devotè, reverenter, & fructuosè administres, sis prudens in interrogando, adhortando, remedia præscribendo. Sis mansuetus, ne deterreas pœnitentem; si tamen hic duræ sit cervicis, increpes opportunè importunè; sis patiens: quod tibi fieri velles, si esses pœnitens, id facias Confessarius. Sis diligens: ad quid vivis de Altari? frueris fidelium eleëmosynis aut collectis, aut fundatis? missus es in messem Domini operarius?

II. Pœnitens rudis, ignorans necessaria, si juvenis non habens M. in confluxu pœnitentium parentibus est remittendus. Si adultior habens M. breviter instruendus circa necessaria necessitate medii, contritionem, propositum, & absolvendus, cum adhortatione, ut meliùs addiscat.

III. Pœnitentem non facilè interpellabis, etsi immisceat impertinentia. Si tamen confessio sit longior, expedit intra actualem con-

fessionem interrogare de numero & specie peccatorum, dictare obligationem restituendi, deponendi odium &c. ne obliviscaris, & fortè pœnitens indispositus absolvatur.

IV. Abstineas ab exprobrationibus, ne pœnitens perterritus reticeat peccata, aut odiosa reddatur confessio. Si danda admonitio, vel correctio, sit suavis, & paterna, fiátque post audita peccata.

V. Dubitans, ne lateat adhuc grave peccatum, aut advertens defectum examinis in pœnitente, examinare debes, aliàs non.

VI. Ubi interrogatione opus, fieri debet attento statu pœnitentis, servatâ cautelâ circa peccata carnis, ne sibi, aut pœnitenti sit scandalo.

VII. Si pœnitens per plures annos confessiones fecerit sacrilegas, non dimittatur se præparaturus ad confessionum repetitionem; juvetur quærendo: quoties sacrilegè confessus, & communicaverit; quoties tempore Paschali? An alia Sacramenta in tali statu susceperit? quæ peccata M. in confessionibus sacrilegis habuerit, an peccata carnis, odium &c. & sic cognito statu pœnitentis absolvas, monendo, ut dicat in confessione seq. si quod adhuc peccatum M. sacrilegè confessum incidat.

VIII. Si pœnitens casum habeat reservatum, absolvere potes indirectè in casu necessitatis, dum celebrare debet, aut communicare, nec adest, qui directè absolvat; aliàs remittere

debes

debes ad habentem potestatem, nisi ipse eam petere velis suppresso pœnitentis nomine.

IX. Si invenias matrimonium invalidè contractum, prævideásque ex manifestatione impedimenti scandala, & peccata; pœnitens, si in bonâ fide, relinquendus est; donec occultè impetratâ, si impetrabilis, dispensatione matrimonium possit, debeátque ratificari.

X. Si nequeas judicare, an peccatum M. vel V. nec pœnitens dicere, quâ conscientiâ sit operatus, absolvas, quantum est reus. Si confiteatur mera dubia quoad substantiam, cures addi peccatum certum; si non adferat materiam sufficientem absolutionis, examina; si nihil accipias, pete peccatum aliàs confessum sive M. sive V. si nec hoc, datâ benedictione dimitte.

XI. Tempore absolutionis non requiritur distincta memoria peccatorum, nec quandò imponenda pœnitentia; sufficit nosse statum pœnitentis.

XII. Pœnitentia sit accommodata statui pœnitentis; proportionata tamen, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit. *Trident. Sess. 14. can. 8.* Misericordia superexaltet judicium: ne unquam imponas, quam pœnitens fortè non est impleturus.

XIII. Quid si pœnitens pœnitentiam priorem omiserit? ignoret, quam acceperit? quæras, an habuerit peccatum M. & iteratâ accusatione imponatur alia.

XIV.

XIV. Quoad consuetudinarios caveas nimiam severitatem, & nimiam clementiam; si post tentata remedia, inter quæ optimum est frequens apud eundem Confessarium confessio, emendationis spes nulla appareat, differatur absolutio juxta proposit. 60. damnatam ab Innocentio XI. pœnitente interim disposito ad perfectam contritionem. Imò consuetudinarius absolvendus non est, nisi Confessarius prudenter credere possit, quod non ore solùm se dolere dicat, sed & corde doleat, ex proposit. damnatâ cit.

XV. Si pœnitens nolit restituere, dum potest, occasiones proximas non vitare, non ignoscere &c. omnem moveas lapidem ad persuadendum; si pertinax, dimittendus est sinè absolutione.

XVI. Dubius de pœnitentis dispositione, teneris eum disponere, non absoluturus, nisi de sufficiente dispositione fueris moraliter certus.

XVII. Dubius de obligatione pœnitentis, absolvas, si pœnitens obligationi suæ satisfacturus de eâ inquirere, aut eam auditurus redire promittat. Quid si obligaveris, vel deobligaveris, ubi non debuisti? vide fol. 344.

XVIII. Non facilè externis te immisceas pœnitentis negotiis. Si quando in causâ pœnitentis oportet agere, eam petas tibi manifestari extra confessionem.

XIX. Si

XIX. Si erraveris judicio tuo circa peccatorum gravitatem, numerum, ſpeciem &c. non ideo abſolutio eſt invalida. Si pœnitentem malè inſtruxeris, in proximâ confeſſione, vel aliâ occaſione errorem tollas.

XX. Si pœnitentem ex inadvertentiâ, oblivione, vel ſimili causâ non abſolveris, aut aliunde invalidè; redeuntem moneas ut de omnibus peccatis aliàs confeſſis doleat, eúmque abſolvas; Si non ſperetur rediturus, moneas eum, ſi poſſis absque gravi ſcandalo, & incommodo. Quod ſi verſetur in articulo mortis, omnino teneris eum accedere, & diſponere ad novam abſolutionem.

XXI. Vocatus ad infirmum, ſi hic confiteri poſſit integrè, teneris per ſe loquendo (non enim tempore contagionis) audire; ſi periculum mortis ſit in morâ confeſſionis, abſolvas audito uno, alteróve peccato; ſi confiteri nequeat, ſigna tamen det doloris, aut dediſſe conſtet, aut Confeſſarium petierit, abſolvendus eſt abſolutè; ſi horum nihil, conditionatè.

XXII. Conſultus non facile ſuadeas vota perpetua v. gr. caſtitatis, abſtinentiæ &c. Sed tempus, quo elapſo poſſunt repeti. Conſultus in causâ Matrimoniali conſulentem mittas ad bonos ámicos, aliósve rei gnaros, te ipſum non immiſcens.

XXIII. Pœnitentem habens ſcrupuloſum: 1. Conſideres ſcrupulorum cauſas, eáſque conneris tollere; exercitia corporalia ſuadeas, jejunia,

junia, & austeritates dissuadeas. 2. Moneas, ut in omnibus sine examine sequatur consilium confessarii, ejúsque præcepta, & hunc non facilè mutet. Item ut scrupulos contemnat insistens resolutioni confessarii, & nunquam judicet esse peccatum M. vel se consensisse, nisi certò constet, imò quandoque, nisi jurare possit. 3. Non permittas confiteri scrupulos, nec confessiones de peccatis præteritis iterare, & si aliam non habeat materiam ad S. Communionem à te sinè absolutione repellas. 4. Firmas ingere resolutiones absque ratiocinationibus, ne scrupulus scrupulo superinducatur, adstringásque scrupulosum, ut per omnem modum sequatur.

XXIV. Peracto ministerio, si benè, gratias age; sin minùs, doleas, studeásque emendationi. Denique Ministerium tuum Deo oblaturus hac vel simili uti poteris oratione: *Omnipotens, sempiterne Deus, suscipere digneris hoc obsequii mei Ministerium. Defectuum commissorum peto humillimè remissionem; Omnesque, & singulos, quos absolvi, gratiæ tuæ commendo, rogans: ut in novâ vitæ sanctitate ambulent, in eâ perseverent, & sic salvi fiant. Amen.*

MONITA
Ad Assistentem infirmis.

I. Si cura animarum tibi incumbat, audito, quempiam è tuis ægrotare, etiam non rogatus eum invise, visurus, an periculum subsit.

Voca-

Vocatus autem, sepositis omnibus, ad eum propera, ne culpâ tuâ anima negligatur, & pro neglectâ tibi in die judicii reddenda sit ratio.

II. Veniens ad infirmum, aquâ benedictâ eum asperge: non statim de Confessione, vel de periculo loquere, nisi extremum adsit periculum, sed blandè per asceticum discursum, quod à felici morte felix dependeat æternitas, ut se disponat, si fortè avocandus, persuade.

III. Curabis ob oculos decumbentis poni imaginem Crucifixi, & aquam adesse lustralem, quâ æger, & lectus frequentèr aspergatur; si ægrotus magnis cruciatur doloribus, non multum loquere, sed breviter ad patientiam, & resignationem excita, proponendo dolores Christi.

IV. In promptu habeas salutares hortationes, item remedia contra timorem mortis, contra impatientiam &c.

V. Propones infirmo actus fidei, spei, charitatis, contritionis, resignationis &c. v. gr. an credat omnia, quæ Deus revelavit, & quæ S. Ecclesia proponit credenda? an speret per Dei gratiam, & merita Christi æternam beatitudinem? an Deum summum bonum diligat super omnia &c.

VI. Non ultra mediam horam, nisi sit periculum, apud infirmum moram trahe, ne visitatio tua reddatur odiosa.

VII. Si periculum mortis advertas, impedias amicorum accessum, & multò magis præsen-

ſentes eorum gemitus, & ploratus; periclitanti confeſſionem ſuade, vel ſtatim, ſi opus, vel poſt tempus aliquod, ſi morbus permittat, faciendam.

VIII. Ad Confeſſionem generalem non urgeas, niſi fuerit neceſſaria; timidis verò, & ſcrupuloſis eam non permittas; ſufficit confeſſis confitendis de aliis in genere dolere, ſéque accuſare.

IX. Auditâ Confeſſione, antequam des viaticum, ſi tempus permittat, aliquid cum ægroto orabis.

X. Si medicus, vel amici ægrum de propinquo mortis periculo monere nolint, tu ipſe ſuaviter, & benignè moneas, proponens inſuper: *An ſit adhuc aliquid ordinandum ratione bonorum, an habeat debita, vel credita occulta, an teneatur votis, an omnibus ignoſcat, ſibíque ignoſci poſtulet?*

XI. Teſtamento condendo te non immiſceas, memor tuarum partium aliud non eſſe, quàm animæ providere.

XII. Ab ægro receſſurus da benedictionem, & hortare priùs: ut ſpem ſuam in Chriſti meritis ponat; actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis frequenter eliciat; pia ſuſpiria emittat, preces jaculatorias fundat dicens: *Agnus Dei, qui tollit &c. Deus propitius eſto mihi Peccatori. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum &c.*

XIII. Rediens ad infirmum, ſubinde orationem aliquam, vel Litanias prælegas, ſed non diu,

diu, ne infirmus defatigetur, aut reddatur impatiens.

XIV. Ex moribundo interroges: *An doleat de omnibus peccatis suis, cupiátque in ultimis adhuc semel absolvi?*

XV. Ægrotum ad agonem declinare advertens, cereum trade, aquâ benedictâ asperge; recommendationem animæ ora; quandoque interrumpens des benedictionem, actum contritionis suggeras, signum contritionis petas, & denuo absolvas.

XVI. Si exspiravit, oculos ei claude, preces Ecclesiæ præscriptas prosequere, post eas aquâ benedictâ mortuum asperge; deinde discessurus ad circumstantes dices: *Benignissimus Deus defuncto det requiem, vobis autem suam gratiam & consolationem.*

XVII. Si morbus sit infectivus, habe remedia præservativa, & diligenter attende, ne stes, vel sedeas, ubi infirmi habitum ore excipere possis; neque in cubiculo subsistas, donec mortuus ex lecto deponatur.

XVIII. Si mortuus quædam tibi commiserit animæ salutem concernentia, mox iis, ad quod pertinet, aperias.

MONITA

Ad Ungentem oleo infirmorum.

I. SI infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem danda sunt pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta.

II. In promptu habeas, & diligenter custoditum in bombacio, ne effundatur, sacrum oleum infirmorum, quod singulis annis Feriâ 5. in Cœnâ Domini accipiendum est ab Episcopo novum, veteri combusto. *Si* videatur non posse sufficere, & aliud benedictum haberi nequeat, affundi potest modicum non benedictum.

III. Sacramentum hoc præberi debet infirmis, qui ad rationis usum pervenerunt, & in mortis periculo censentur constituti; etiam amentibus, vel deliris, vel sensibus destitutis: Si aliquando petierint, aut dederint signa contritionis, aut Christianè vixerint.

IV. Præberi non debet impœnitentibus in manifesto peccato, & excommunicatis; neque prælium ituris, aut alia pericula subituris; neque reis ultimo supplicio afficiendis, neque prægnantibus non infirmis.

V. Non statim conferas extremam unctionem ad initium cujuscunque morbi, te molestiâ viæ ad redeundum exempturus; nec differas ad extremum, donec infirmus sit sensibus destitutus. Non primum: quia requiritur periculum mortis; non secundum: quia secus postulat fructuosa Sacramenti susceptio.

VI. Si infirmus cunctetur sacram admittere unctionem ex falsis imaginationibus, putans se inde moriturum, non licere amplius saltare, nec nudis incedere pedibus &c. ejusmodi imaginationes elimina dicens, ita non esse, sed unctio-

ctionem præter alios salutares effectus sæpe conferre pristinam sanitatem.

VII. Infirmum ungere volens, pollice oleo intincto in modum Crucis inunge S. organa sensuum, & intra digitos bombacium tene ad abstergendum, simúlque organo correspondentem profer formam, v. gr. dum oculos ungis: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum.* Dum autem paria ungis organa, v. gr. duos oculos, observare debes: ut sub pronuntiatione formæ ungatur utrumque, v. gr. uterque oculus.

VIII. Videns infirmum animam agere, subitò inunge unum oculum, aurem, os, nares, manum, pedem, vel si hoc tempus non permittat, solam frontem sub unâ hac formâ: *Per istam sanctam unctionem . . . indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum;* vel breviùs: *quidquid deliquisti per omnes sensus.*

IX. In periculo mortis, omissis orationibus, statim incipe ab unctione; eâ factâ, si infirmus supervivat, omissas supple, & quæ in Rituali sequuntur, adde.

X. In dubio de vitâ, unge sub conditione: *Si vivis, per istam sanctam unctionem &c.*

XI. Si in necessitate facta sit unctio unius membri sub conditione, & infirmus supervivat, unctionem sub conditione repete, ungendo singulos sensus.

XII. Organa ungas in modum crucis, manus interiùs (nisi infirmus sit Sacerdos, cui exteriùs) & pedes superiùs; si membrum aliquod sit destructum, v. gr. oculus erutus, unge in parte viciná.

XIII. Si infirmus laboret morbo contagioso, tibique timeas, ungere licet instrumento, imò omittere, si vita Pastoris sit aliis necessaria.

XIV. In eadem moraliter infirmitate hoc Sacramentum non licet iterare; licet: si infirmus aliquamdiu convalescat, & postea in periculum mortis recidat.

XV. Si cura animarum tibi incumbat, scito, non satis esse infirmo Sacramenta administrâsse, quid enim prodest gratiam Sacramentalem accepisse, si eam perdat, & damnetur? sed cura tibi commissa postulat, ut infirmum quandoque visites, & in gratiâ conservare coneris, & maximè si vel levis sit suspicio relapsûs.

XVI. Opus facies maximæ charitatis, si infirmo assistas in agone: tunc enim *descendit Diabolus habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet. Apocalyps. 12.*

MONITA
Ad Educentem captivos.

I. VOcatus ad incarceratum primò coneris animum ejus tibi devincire, compatiendo, familiariter loquendo, charitatem exhibendo.

II. Con-

II. Consolaberis dicens: humanum esse seduci, & errare, si quis autem seductus fuerit, & malum fecerit, gloriosum, & laudabile esse, agere pœnitentiam, & pœnas potiùs subire temporales, quàm reservari ad Judicium ultionis æternæ.

III. Moneas, ut justitiæ, & potestati patienter sese submittat: nam *qui resistit potestati, Dei Ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom. 13.*

IV. Foro externo judiciali te non immisceas: unde nec captivum inducere debes, ut se reum fateatur, nec judicialem procedendi modum coram eo improbare, aut querelis assentiri; sed dices: similia non pertinere ad confessarium, te solùm ei assistere velle, & debere pro æternâ salute animæ, non tamen defuturum in bonum ipsius, si quid commodè possis.

V. Inducendus est captivus ad frequenter orandum, séque committendum Divinæ dispositioni, quæ utique erit pro meliori bono animæ.

VI. Ad Confessionem Sacramentalem captivum non admittas, nisi post latam sententiam, quamvis antecedenter sit disponendus.

VII. Si sponté confiteri velit, forté innocentiam suam sperans à Confessario demonstrandam; dicas: confiteri posse, Confessionem tamen nihil conferre ad sententiam; nec

pro, nec contra; eo quod ex Confeſſione nihil dicere valeas, nec ipſum reum eſſe, nec innocentem, & ſi quid diceres, non credi.

VIII. Si quærat: *utrum teneatur crimen fateri:* reſponde: non teneri, ſi non interrogetur juridicè, nimirum non exiſtente ſemiplenâ probatione, ſi autem interrogetur juridicè, tutius eſſe, & juſtitiæ conforme, ut crimen fateatur, moriturus ſub aſſiſtentiâ Confeſſarii morte bonâ, quâ fortè aliàs non.

IX. Non expedit, auxilio, vel conſilio juvare ad captivi fugam, vel liberationem, ſi non ſit ſpes emendationis, ſed potiùs periculum mortis alibi, & aliàs malæ.

X. Poſt cauſam liquidatam hortaberis reum, ut peccata ſua confiteatur, eáque integrè, prout ſunt in conſcientiâ, certus, quod omnia ſint ſervanda ſub ſtrictiſſimo ſigillo, & confiteri non noceat, negare autem minimè proſit.

XI. Si in Confeſſione neget, quæ in judicio faſſus eſt, conare eum inducere ad ſinceram confeſſionem proponendo probationes, quibus convictus in judicio, obligationem ſigilli Sacramentalis, gravitatem ſacrilegii, æternam animæ damnationem &c.

XII. Si conſtanter neget crimen, dicens, torturâ, vel metu illius, falsò eſſe extortum &c. dicas, te ipſius relinquere conſcientiæ, & velle abſolvere, prout confitetur, & negare in confeſſione Sacramentali non juvare in Foro exter-

no,

no, sed innocentiam esse Deo commendandam, & mortem, si sustinenda, pro aliis peccatis esse oppetendam, vel in meritum juxta exemplum Christi innocentis, & sanctorum Martyrum.

XIII. Si quispiam in Confessione deprehendatur innocens, plerumque non expedit denunciare in foro externo: tum quia non creditur; tum quia est contra sigillum, nisi pœnitens repetierit extra confessionem; tum quia alii sument ansam, peccata negandi.

XIV. Si captivus alios falsò denuntiaverit, tenetur sub peccato mortali revocare, idque si nolit publicè metu novæ torturæ, inducendus est, ut faciat in carcere coram aliquot testibus, qui post mortem ejus propalabunt, nisi falsò denuntiati sint simul afficiendi ultimo supplicio, tunc enim revocatio omnino facienda ante executionem.

XV. Si reus sit ad mortem damnatus; Sacra communio danda est pridie ante executionem, & solutis vinculis.

XVI. Ultimâ nocte ante supplicium apud captivum vigila, eúmque piis admonitionibus, orationibus, exemplis ad bonam mortem dispone.

XVII. Dum legitur sententia, cavendum est, ut non reclamet, vel alios incuset: quia frustraneum.

XVIII. In eductione cavendum, ne reum præcedas, aut citiùs ire jubeas, quin potius re-

tarda, ut plùs cum reo orare valeas, eúmque magis ad mortem disponere.

XIX. Reus non circumspiciat, inter orandum quandoque pauset, osculetur Sacra Christi vulnera, actúsque charitatis, & contritionis, quos propones, eliciat.

XX. Si reus petat bibere, non detur nimium, ut maneat sibi præsens.

XXI. Quod si innocentem se dicat, innocentiámque protestari velit, observandum est, ut addat: omnibus tamen se ignoscere, mortémque ad satisfaciendum pro aliis peccatis suis patienter subire velle.

XXII. In loco supplicii reus ad novam disponendus est contritionem, & factâ unius, vel alterius peccati confessione adhuc semel absolvendus.

XXIII. Dum fit executio, prope sis, quantum licet, crucifixum reo ostendas, cum eo ores, cruce signes: *ecce crucem Domini, fugite partes adversæ &c.* & sub actuali supplicio piè inclames, donec exspiraverit.

XXIV. Demum circumstantes adhortaberis, ut orent pro animâ illius, sibíque caveant à tali supplicio.

MONITA

Ad servientem peste, vel alio morbo infectis.

I. AGgressurus opus tam excellens charitatis, rectam forma intentionem: quâ vitam

tuam pro salute proximi exponere velis, amore illius, qui vitam suam pro humano genere exposuit in cruce.

II. Diligentissimè cura, ut semper sis in statu gratiæ, semper paratus mori, si fortè inficiaris.

III. Nunquàm periculo contagionis te exponas, nisi quando urget necessitas, & salus proximi.

IV. Non sis apprehensivus, & timidus, aliàs ex apprehensione, & imaginatione inficiendus, teste experientiâ.

V. Utere, si possis, vino, sed modicè sumpto; eodémque tempora, nares, & manus sæpè lava, quod & bono aceto quandoque faciendum.

VI. Si Parochus sis, populum admonebis 1. Ut quilibet conetur esse in statu gratiæ, sibique tempestivè prospiciat per Sacramenta, etiam dum sanus est, Eucharistiam sumendo per modum viatici. 2. Ut quisque studeat Deum placare orationibus &c. 3. Ut peste infecti sese domi contineant. 4. Ut, qui in Ecclesiâ confitentur, os non vertant ad Sacerdotem, sed versùs parietem. 5. Ut, antequam Sacerdos vocetur, fenestram aperiant, suffitum faciant, & aërem igne ex odoriferis lignis purgent. 6. Ut, si infectus in Ecclesiâ antea sumpserit Sanctissima Sacramenta, sitque in bono statu, amore proximi non petat Sacerdotem.

VII. Per hebdomadam utere præservativis, nimirum semel pilulis rufis ex pharmacopolio, duobus aliis diebus utere theriacâ, & reliquis mithridatico, vel prout Medici præscripserint.

VIII. Non utaris veste novâ, & pilosâ, sed antiquâ, & attritâ, quæ igne purgetur, postquam ab infecto redieris.

IX. Tecum habeas malum citreum cum cariophyllis, vel spongiam aceto madefactam, & impositam pomo ligneo sparsim perforato, quo usus S. Carolus Borromæus.

X. Cura, si possis, tibi fieri cauterium, quod optimum censetur præservativum.

XI. Excipiens Confessiones in Ecclesiâ, adhibeas præservativa, ut infra.

XII. Oleo scorpionum, vel simili manè ungas aliquas corporis partes, ut circa cor, sub axillis, post aures, pulsus &c. accedens ad ægrum balsamo, vel aceto inungas labia, nares, & tempora.

XIII. Non exeas, nec visites infectos, nisi sumpto jentaculo; quod esse poterit panis cum butyro, & rutâ, vinúmque medicatum, vel absinthio intincto, si jentare nequiveris, utere pomo ligneo, ut supra, theriacâ ad nares, vel aceto &c.

XIV. Sciens aliquem infectum, ut primùm potes, tuo fungere officio.

XV. Exiturus manus, & fauces lava aquâ, cui permixtum sit acetum, vel vinum, in quo mace-

maceratæ fuerint herbæ odoriferæ, v. gr. abſinthium, ſalvia, meliſſa, majorana, hyſſopus &c.

XVI. Incedens per plateas poteris in ore habere, vel maſticare aliquid radicis angelicæ, vel ex caryophillis.

XVII. Veniens ad ægrum, ſi opus ſit confeſſione, audies eum à longè, & curabis, ut accedat ad feneſtram, vel portam, vel hortum, & ſemper ſtabis ab illâ parte, unde ventus flat versùs infirmum.

XVIII. Quando æger confitens loquitur, non loquaris, ſed ſtrophiolum aceto madefactum, vel pomum odoriferum, ut ſupra, ori adhibeas.

XIX. Si domum cogaris ingredi, ſuper lapides coctos, in igne poſitos, in medio domûs fundatur acetum ad fumigandum, aut odor fiat ex combuſtis cornibus, detritis calceis, ſive pulvere tormentario, & quinque, vel ſex pedibus ſtes à lecto infirmi, iſque vertat faciem versùs aliam partem, & tegumenta lecti non moveantur.

XX. Ut declines halitum infecti, inter te, & ipſum ſemper ſit ignis ex juniperis, vel ſaltem faculam ardentem teneas, aut teneri facias, téque citò expedias.

XXI. Sufficit Confeſſio formaliter integra, nimirum unius, vel alterius peccati juxta circumſtantias; Unde infirmo dices: ipſum non teneri ad dicendum omnia peccata, & tamen ab omnibus abſolvi.

XXII.

XXII. Quando plures in eodem sunt cubiculo, sufficit dicere peccatum aliquod leve, vel solùm, si circumstantiæ petant, eliciendo contritione, absolvi possunt simul, dicendo: *Ego vos absolvo à censuris, & peccatis in Nomine Patris &c.*

XXIII. Si infectus rudis sit, elice breviter cum eo actum contritionis; si confiteri nequeat, tamen absolvi debet; & si sacram Communionem sumere possit, eam porrige vel manu, vel si timeas, per cochlear argenteum, etiam cum jusculo, vel vino, vel aquâ, si necessitas postulet; ita Neusser, & alii.

XXIV. In loco, ubi quis exspiravit, collocetur vas amplum cum aquâ frigidâ, postea in foveam fundenda; solet enim pestis ad humores attrahi.

XXV. Domum rediens, vestes ad ignem ex juniperis purga, faciem aceto aquâ mixto lava, te excita, & auram liberiorem capta.

XXVI. Si aliquam alterationem sentias, rediens ab ægro, haustum sume aliquem odoriferum, & theriacâ, vel simili sudorem provoca, quod etiam, tametsi bene habeas, qualibet hebdomadâ expedit.

XXVII. Manè celebrans sacram Hostiam semper sumas per modum viatici, ut non sit opus, si fortè in vitæ discrimen venias, illud sumere, quamvis absente alio Sacerdote sibi ipsi viaticum præbere liceat, juxta Gobat, & alios.

XXVIII. Si ſanus evadas, Deo gratias age, & pro omnibus peſte ſublatis eum exora.

MONITA
Ad Clericum, præcipuè Regularem.

QUisquis Religioſus es, vide, quomodo dignè ambules in vocatione tuâ; Religioſus haberis, vide, an ſis. Ad hoc neceſſe eſt: ſis in mundo, ſed non de mundo; ſis cum hominibus, ſed quaſi ſine hominibus. Veniſti ſalvare animam, ſed non ſalvabis, niſi vitam vixeris verè religioſam; igitur ſic vive ſicut vivere Religioſum decet, ìſque tenetur; ut autem ſic vivas, vive ſecundùm monita, quæ ſequntur:

I. In nullo te ipſum quæras, ſed ſolum Deum, ejúſque honorem. Scias: quia non es propter te, ſed propter Deum. *Eſto tu Dei, & Deus erit tui.* S. Cyprianus.

II. Eſto infenſiſſimus hoſtis peccati. Quomodo potes hoc facere, & peccare in Deum tuum? Deus te creavit, cùm nihil eſſes; te redemit, cùm perditus eſſes; te vocavit ad ſtatum Religioſum, ad Sacerdotium &c. quanta beneficia! víſne reddere pro bono malum? abſit.

III. Fac, quod poſtulat profeſſio tua, quodque noviſti placere Deo; eſto ſit tibi difficile, eſto diſpliceat aliis, ſtultum eſt enim velle potiùs placere hominibus, quàm Deo.

IV. Ad-

IV. Adverſitates cum lætitiâ ſuſcipe de manu Dei. Tú ne non vis pauca ſuſtinere ex amore Chriſti, qui tot, & tanta ſuſtinuit ex amore tui? ille crucifixus eſt, tu nondum crucifigeris. Cogita, quid ſuſtinuerint Sancti; quid ſuſtineres in ſæculo?

V. Pacem habe cum proximo: Fratres tuos honore præveni; abſit à te ſpiritus contradictionis, omnium te viliſſimum reputa. Memento ut facias aliis, quod tibi fieri velles; ſi vis amari, ama.

VI. Nunquam conqueraris, nec internè conturberis in propriâ causâ, ſcias, & cogites, quod peccata, & defectus tui deteriùs quid mereantur. Et quis es tu, qui omnia vis tibi fluere ad votum? juſtum non conturbavit, quidquid acciderit ei.

VII. Aliorum dicta, & facta tu temerè neque judices, neque diſcutias: quid ad te? noſce te ipſum.

VIII. De omnibus non niſi bene; ubi factum non potes, intentionem excuſa; Si quid diſpliceat, cogita: ſi Deus non daret tibi gratiam, minùs bene faceres.

IX. Quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.

X. Sobrius eſto, & temperans: multa fercula, multi morbi. *Subtrahatur voluptati, quod futurum eſt oneri* S. Leo.

XI. Fac modò, quæ moriens facta fuiſſe voles, *ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis.* 2. Cor. 6. *Tempus non erit amplius.* Apocal. 10.

XII.

XII. Religioſum ſilentium tibi habe recommendatum. *Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio. Jacobi 1.*

XIII. In piis lectionibus, & meditationibus frequens eſto, & fervidus: ab iis pendet vita religioſa, & perfectio.

XIV. Nunquam ſine legitimâ causâ te abſentabis à communitate, maximè, dum adeſſe teneris: ovis, quæ à grege, perit.

XV. Non quæras ire extra conventum, imò nec cellam: qui ſæpè exit, ſæpè minor redit. Cellam ama, in hac age cum Deo, aut pro Deo: O beata ſolitudo, ô ſola beatitudo! S. Romualdus.

XVI. Integerrimè fac ea, quæ tui ſunt muneris in choro, in cellâ, in communitate, in cathedrâ, in confeſſionali, intus, & foris; dic: quare hìc? ad quid veniſti? ad quid Ordo tibi ſubminiſtrat neceſſaria? ad quid piorum, & omnium pauperculorum frueris eleëmoſynis? quid non facerent alii, quorum tu locum occupas? S. Franciſcus non voluit ſibi ſoli vivere, ſed & aliis proficere; cur tu, ſi filius, non ſimiliter?

XVII. Cogita ferè continuò te Religioſum eſſe, ſic non facies, quod Religioſum dedecet. Quod Superior vult, fac, & libenter; nunquam neges, quod potes.

XVIII. Paucis contentus eſto, & tranquillus eris. Cave, ne contra paupertatem religio-

ſam

ſam quidquam habeas non neceſſarium, aut quidquam ſine licentiâ.

XIX. Devita familiaritatem cum perſonis diſparis ſexûs. Quid ab illis? tentationes, cogitationes impuræ, motus pravi, etiam nolentibus. *Mulieres faciunt apoſtatare Sapientes.*

XX. Cave, ne laxæ ſis conſcientiæ: lata eſt porta, & ſpacioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem.

XXI. O anima! *Statutum eſt ſemel mori. Hebr. 9.* igitur præ omnibus cura: ut, quod fieri neceſſe eſt, & factum corrigi nequit, bene fiat, & feliciter. Poſt modicum quid proderunt, ubi erunt: dignitas, officium, privilegium, commoditates, recreationes? erunt, quaſi non fuiſſent. Attende, ne fuiſſe doleas.

XXII. In te ipſo ſolicitè emenda, quod diſplicet in aliis.

XXIII. Túne mori velles in ſtatu animæ tuæ præſenti? Si non: diſpone domui tuæ; vigila, quia neſcis, quâ horâ Dominus venturus ſit. *Mors peccatorum peſſima. Pſal. 33.* ſic vive, ut non timeas mori.

Hæc Monita ſæpè relege, & vide, num ea obſerves; ſi obſervaveris, conſervabunt te ad vitam, ſed conſtans eſto: qui perſeveraverit ... ſalvus erit. *Matth. 24.*

MONI-

MONITA
Ad Superiorem Regularem pro felici Regimine.

I.

STudeat mutuo amori; amet ſuos, ut ametur. Verſetur proinde inter ſuos ſuperior, ut inter filios Pater: moneat ut Pater, corrigat ut Pater, ubique & in omnibus Pater. Si fuerit Pater, ſubditi erunt filii.

II. Quod poteſt & vult, ſine moroſitate concedat; quod non poteſt, ſine indignatione neget, memor comitatis, & humanitatis, ſed & authoritatis.

III. In converſatione vultus, oculi, frons, & omnia præ ſe ferant modeſtiam, & benignitatem ſine elatione, moroſitate, aſperitate.

IV. Ita clementiam rigoribus permiſceat: ut imperia plus referant clementiæ, quàm rigoris.

V. Priùs moneat, quàm puniat, memor verborum S. Bonaventuræ: plus proficies fratres tuos paternè monendo, quàm furore indignationis perſequendo.

VI. Promptus ſit in ſuorum neceſſitatibus, paratúſque in omnem horam animus.

VII. Sincerè, & candidè procedat ſine dolo, ſine fuco, ſine duplicitate; *Candore* agat & *Amore*.

VIII. Gratum gerat in benefactores, & bene operantes animum. Gratitudo benefacto-

res provocat ad nova beneficia, laboris recompensatio laborantes ad novos labores.

IX. Fidem, & promissionem non nisi à maturâ deliberatione dabit. Dedit? servabit.

X. Sit observantissimus secretorum sibi commissorum, item suorum. Si propalet secreta commissa, tollit inferiorum confidentiam; si propalet sua: durum est mutare, & in honorum, non assequi intentum.

XI. Si domesticam quietem amat superior, si obsequentes desiderat, si ad ardua promptos; si nolit oblocutiones, murmurationes, fraudes, insidias &c. liberalis sit superior, non tamen prodigus, memor paupertatis Religiosæ.

XII. Fortis sit in adversis: cogitet hostes domi, foris, pro vero, pro bono, pro virtute non timidus mori. Deum cogitet, & felicem æternitatem, laborum, constantiæ, patientiæ præmium, nec aliud. Imperat? virum se præbebit. Exuitur imperio? lætus fruetur otio.

XIII. Utatur discretorum consilio: tacitus antè apud se rei momenta discutiet; proponétque suis, ne quis in unam magis, quàm alteram partem propensum illius animum percipiat. In rebus gravioribus, si moram patiantur, deliberandi tempus concedet; gaudebítque in sententiis ferendis suorum in dicendo libertate, respiciens non ad privata commoda, sed ad id, quod optimum. Ex hac agendi ratione, si quis intercurrat error, non imputabitur superiori, is factorum suorum habebit propugnatores, & laudatores.

XIV. Superior pari studio feratur in omnes, omnino impartialis. Ut prudens tamen Medicus pro complexionum varietate varia sciat medicamenta, dùm unus solo obtutu corrigitur, alius solo verbo, alius vix minis, & pœnitentiis. Non semper in quovis delicto statim procedat ad pœnam, solâ sæpe delicti confessione contentus erit. Si delictum sit puniendum, cogitabit se patrem, delinquentes filios. Post pœnitentiam frons, oculi, vultus indignationem omnino non referent; sed patris personam induens mœrorem filii absterget; nisi frequentata delicta, vel illorum gravitas aliud suaserint.

XV. Si suos superior temperantes, & sobrios esse velit, ducem se præbeat, & sequentur. Sin ipse indulgere dapibus, & calicibus velit, similiter suis concedat, necessum est; & quid inde? cujúsque ventrem statuet Deum. Si negat, quid tunc? Oblocutionibus domum replebit, imparatósque ad imperata habebit.

XVI. Profiteatur superior publicè & verbis, & vel maximè factis, se amatorem observantiæ, ac disciplinæ regularis, etiam in minimis; séque ostendat zelosum; ut & alii, quæ disciplinæ sunt, observent, nullo timore, nullo humano affectu abducatur.

Hæc de universâ Theologiâ subjecta sint Censuræ & Correctioni S. Ecclesiæ, cedantque ad majorem Dei Gloriam, & animarum Salutem.

INDEX RERUM.

Numerus denotat Paginam.

non

Diſpen-

Euchariſtia

Excommunicatio

Extrema Unctio.

Fama

Famulus

Feſtum

Feudum

Fidejuſſio

cuique

CONTROVERSIÆ FIDEI PRINCIPALIORES

Sive

In materia Fidei

DOCTRINA ACATHOLICA, DOCTRINA CATHOLICA, OBJECTIONES ACATHOLICÆ,

Doctrina Acatholica falſa & reſpuenda, Catholica vera & tenenda, Objectiones inſufficientes & ſolutæ :

Quas pridem privato Diſcipulorum uſui, publicæque omnium utilitati nunc tertiâ Editione ſub Approbationibus & Cenſurâ priorum dedit

F. ANGELINUS BRINCKMANN,
Ord. S. Franciſci FF. Min. Recollect. SS. Theologiæ Lector Jubilatus, Provinciæ Thüringiæ S. Eliſabethæ Miniſter Provincialis Actualis.

Anno MDCCL.

*

* *

Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulla hujus mundi major est substantia, quàm est fides Catholica: Hæc in æterna hæreditate cum Sanctis Angelis collocat. S. Augustinus de *verbis Domini.*

*


* *



CENSURA ORDINARII.

PRæsentes Controversiæ Fidei, cùm Doctrinam Acatholicam solidè impugnent, Catholicam propugnent, ut typis ad multorum utilitatem publicentur, censeo ac permitto. Fuldæ 13. Januarii 1728.

Petrus Schärpff, SS. Theolog. Doct. Pro-Vicarius & Officialis.




APPROBATIONES THEOLOGICÆ.

EX commissione A. R. P. Ildephonsi Stumpff, Provinciæ nostri Thüringiæ S. Elisabethæ Ord. S. Francisci Min. Recollect. Vicarii Provincialis legi Controversias Fidei pro Doctrina Catholica necessariò tenenda, eaque contra Acatholicam defendenda, ab A. V. P. Angelino Brinckmann,

præfati Ord. SS. Theologiæ Lectore Jubilato & Conventûs Mariano-Fuldenſ. Guardiano clarâ & gratâ methodo concinnatas; Quas, quia Sanctæ Doctrinæ, morúmque honeſtati minimè repugnantes inveni, ad communem Catholicorum & Acatholicorum utilitatem prelo dignas cenſeo. Dabam Limburgi ad Lahnam die 8. Septembris 1727.

F. Ludovicus Eiſenbach,
SS. Theologiæ Lector Emeritus, præfatæ Provinc. Exprovincialis & Pater perpetuus.



PRæſentes Controverſiæ Doctrinam Orthodoxam clarâ methodo propugnant: quare, ut pro inſtructione multorum in publicum prodeant, digniſſimas judico, non dubitans, quin aberrantes ſint viam veritatis & ſemitam ſalutis reperturi. Dabam in Conventu Epiſcopio-Tuberano die 18. Octobris 1727.


F. Medardus Wolff,
SS. Theologiæ Lector Jubilatus & Conv. Guardianus.

LICEN-

LICENTIA
A. R. P. Vicarii Provincialis.

UT Controversiæ à V. A. P. Angelino Brinckmann, SS. Theologiæ Lectore Jubilato & Conventûs Montis Mariani supra Fuldam Guardiano tractatæ & à duobus Theologis approbatæ prelo subjiciantur, permitto. Dabam Limburgi ad Lahnam die 15. Decembris 1727.

F. Ildephonsus Stumpff,
Provinc. Thüring. Vicarius Provincialis.



AD LECTOREM.

SCire tuum nihil eſt, niſi ſcias (1.) An aliquis verus exiſtat Deus: Isque certâ Religione ſit colendus; ut non ſis Atheus. (2.) Si Deus exiſtat: an Unus ſit in Eſſentia, Trinus in Perſonis; ut non ſis Mahometanus. (3.) An Meſſias in Lege promiſſus jam venerit; ut non ſis Judæus. (4.) Si venerit; quæ Fides in Chriſtum & inter Chriſtianos ſit tenenda; ut non ſis Hæreticus. Hæc à quibus æterna pendet felici-

tas, ſcire, prima tibi & maxima eſſe debet cura: Hæc ſi non ſcias, ſcire tuum nihil eſt ad ſalutem. Ut autem ſcias, quid credendum & ſciens rectè credas & rectè credens bene vivas, ſicque ſalvus fias, recommendatum tibi habe Tractatum Controverſiſticum, ſive hunc, ſive alium. Ante hunc

Nota 1. Citationes ex Operibus Lutheri Jenenſibus eſſe ex illis, quæ edita Jenæ Anno 1590. quod monere volui, quia poſterioribus in editionibus Lutherani Doctorem ſuum & Magiſtrum Lutherum correxerunt, quædam, quæ aut erronea, aut bonarum aurium offenſiva, aut alibi dictis oppoſita, omittendo. Quæ autem ex præfatis Operibus citavi, teſtor in illis contineri, utpote quæ in illis ipſe legi, lecta exſcripſi.

Nota 2. Ad legendum Abbreviationes Prob. & P. ſignificare probatur, R. reſpondeo, N. nego, C. concedo, D. diſtinguo, maj. majorem, min. minorem, Ant. antecedens, conſ. conſequens vel conſequentiam, Tranſ. & Tr. tranſeat; ſic lege & intellige veritatem.



QUÆ-



QUÆSTIUNCULÆ PROOEMIALES.



Uæst. I. *Quodnam sit objectum Tractatûs Controversistici?* ℞. Est Fides vera, sumpta pro dogmatibus à Deo revelatis. *Ratio*: Quia circa eam ut asserendam & defendendam versatur, ostendendo: quid credendum sit, quid non, & quare.

Quæst. II. *Quid sit credendum & quare?* ℞. Omne, quod Deus revelavit & quia revelavit, credere debemus, sive scriptum sit, sive traditum: credimus enim omne revelatum, non quia scriptum, sed quia revelatum. Hinc

Inferes: objectum fidei materiale, quod creditur, esse omne à Deo revelatum; Formale motivum, propter quod creditur, esse Veracitatem Dei, ut Infallibilis est in cognoscendo & loquendo.

Quæst. III. *Quid sit Fides Divina?* ℞. *Habitualis* est habitus à Deo infusus, inclinans hominem ad credendum, quidquid Deus revelavit, propter authoritatem Dei revelantis. *Actualis* est actus intellectûs, quo propter autho-

authoritatem Dei revelantis quis credit ea, quæ Deus revelavit & Ecclesia credenda proponit.

Hinc ut elicere possis actum fidei (1.) Tibi proponi debet objectum à Deo revelatum: quomodo credes, non sciens quid credendum & quare? (2.) Proponi debent motiva evidentia credibilitatis: qui facilè credit, facilè decipitur. (3.) Formare debes judicium credenditatis: nam fides cadit sub obligationem, sed non nisi formato tali judicio. (4.) Sequitur pia affectio ad credendum: ut fidei sit libertas & meritum. (5.) Sequitur assensus intellectû & habetur actus fidei.

Quæst. IV. *Quam necessaria sit Fides in Deum?* ℟. Necessaria est ad æternam Salutem necessitate medii: Nam *sine fide impossibile est, placere Deo. Hebr. 11. Qui non crediderit, condemnabitur. Matth 16.*

Quæst. V. *Cum quibus controversiam habeant Catholici?* ℟. Habent cum Paganis de Existentia Dei, cum Mahometanis de SS. Trinitate & Incarnatione, cum Judæis de Adventu Messiæ, cum Hæreticis de quibusdam Fidei Christianæ Articulis; in Germania potissimùm Controversia est cum Lutheranis & Calvinistis: Primi se dicunt Evangelicos, Secundi Reformatos, sed Utríque malè. Nova Lutheranorum Dogmata, v. gr. *Hominem carere libero arbitrio; Præcepta DEI non posse servari, hominem justificari solâ fide &c.* sunt Evangelio

con-

contraria: ergo malè se vocant Evangelicos. Dogmata Calvinistarum, ex Authore suo Calvino homine impio, de libertate, de authore Peccati, de Præceptis, de Prædestinatione &c. sunt falsa & impia; imò Ecclesia vera non potest reformari, quia nequit deficere: ergo malè se vocant Reformatos. Quid? si Lutherani sint Evangelici; cur non & Calvinistæ? si hi Reformati; cur non & isti? Utrique sunt Protestantes, quatenus contradicunt Catholicis; Utrique prætendunt se purum servare Evangelium, séque reformâsse Ecclesiam; utinam non constituissent novam deformatam!

Quæst. VI. *Quid sit Hæresis?* ℟. Est error contra fidem in homine Christiano. Ut sit *formalis*, requiritur ex parte intellectûs judicium erroneum contra veritatem fidei sufficienter propositam; ex parte voluntatis requiritur pertinacia se nolentis submittere Ecclesiæ. Hinc

Inferes: Hæreticos aliquos esse formales, alios materiales: *Formalis* est, qui scienter & pertinaciter adhæret errori contra Veritatem Catholicam sufficienter propositam. *Materialis* est, qui adhæret quidem errori contra fidem, sed absque assensu interno, vel sine pertinacia, utpote ex ignorantia & paratus est errorem deponere, si instruatur: quod, si deponere culpabiliter differat, peccat graviter, formaliter tamen non est pertinax, nec Hæreticus.

Quæst. VII. *Qualiter procedendum sit cum Hæreticis?* ℞. 1. Catholicus in Controversiis non versatus disputationem non ineat cum aggressore Acatholico, sed eum ad rerum Polemicarum peritos amandet.

2. Si incidas in Hæreticum materialem, qui inculpabiliter existimat se non errare, séque salvandum in fide sua; attende, an prudenter sperare possis conversionem ejus: si ita, ostende viam veritatis; si non, relinque in bona opinione, ne ex materiali peccatore facias formalem; docendus tamen est, quomodo elici debeat contritio perfecta, vi cujus, si peccaverit, justificari poterit & salvari.

3. Si defensivè te habere velis & argumentum quodcunque Adversarii infringere, sic respondeas: juxta te nihil est credendum, nisi quod continetur in Sacra Scriptura: necessè igitur est, ut ostendas, te Sacram habere Scripturam & incorruptam & verba allegata in ea contineri & habere sensum, quem intendis; hoc cum non possis, ex ipsa Scriptura, nec ego tuæ possum assentiri doctrinæ.

4. Si oppugnare velis, abstineas à rixis, gravibus censuris, convitiis & verbis asperis; quibus animi exacerbantur & in sua opinione obfirmantur.

5. Si Hæreticus sit pertinax, devita; si zelosus, Deo commenda; si frigidus, necessitatem fidei inculca; si dubius, instrue & moti-

motiva credibilitatis pro Fide Catholica, quæ infrà, propone.

6. Oppugnaturus aliquem, non descendas ad articulum particularem, sed manens in principiis generalibus, ostende: quæ sit vera Ecclesia, cui conveniant aut non conveniant illius notæ & signa; si ostenderis convenire Ecclesiæ Catholicæ, ostendisti veros esse Articulos, quos Ea proponit credendos, Eamque veram esse Ecclesiam.



CAPUT I.

Controversiæ cum Atheis, Paganis, Mahometanis & Judæis.

CONTROVERSIA I.

Cum Atheis & Paganis de existentia Veri & Unius DEI.

DOctrina Atheistica est: *Nullus existit Deus.* Nomine DEI intelligitur Ens à se, Opt. Max. quod omnia creavit, conservat, gubernat & reddet unicuique secundùm opera sua. Tale Ens negant moderni temporis Pseudo-Politici, exteriùs simulantes, sed dicentes in corde suo aut in opere: *Non est Deus.*

Doctrina Paganorum fuit: *Plures existunt Dii.* Aliqui Deos conflabant ex lignis, lapidi-

pidibus &c. de quibus *Psal. 113. Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Alii, turpitudinem istam excusare volentes, dicebant: Deos in Simulachris solùm dare responsa; sed Dœmones erant, qui responsa dabant, juxta illud *Psal. 95. Quoniam omnes Dii Gentium Dæmonia.*

DOCTRINA CATHOLICA:

Existit Verus & Unus DEUS.

PRob. I. Dantur entia producta, cœlum & terra: In cœlo conspicimus regulatissimum syderum motum, in terra accuratissimas temporum vicissitudines, in vere flores, in æstate fruges, in autumno uvas, in hyeme nives &c. Dicat Atheus, unde hæc omnia? à quo gubernantur & conservantur? an à se? nihil potest se ipsum producere, nec duo se mutuò: ergo sunt ab alio, ídque est Ens primum & improductum, quod produxit omnia & est DEUS.

Dicet Atheus: Entia esse producta sic, ut unum ab alio & hoc ab alio in infinitum. ℟. De possibilitate talis processûs non constat, imò permissa, Atheum non juvat: nam omnia Entia successivè producta, quamvis in infinitum, sunt verè producta: ergo ab alio extra collectionem istorum Entium; aliàs aliquid se ipsum produxisset, vel duo se mutuò; ergo producta sunt ab Ente improducto; productum enim

nim extra collectionem omnium Entium productorum non datur.

Prob. II. Multa ſunt facta miracula, naturæ vires excedentia, v. gr. diluvium ſuper univerſam terram, diviſio maris rubri & alia in libris *Exodi*, *Numer. Jud. &c.* atqui hæc non potuerunt fieri caſualiter, nec ab alio, quàm à vero Deo: ergo. Quod ſi Atheus credere nolit Bibliis tanquam Verbo Dei, ſaltem credere debet tanquam Hiſtoriis, vel negare omnes Hiſtorias.

Prob. III. Ex duabus ſententiis, quarum una affirmat, altera negat, eſſe Deum, negativa tenetur cum periculo æternæ miſeriæ, affirmativa eſt ſine periculo ullius mali: ergo hæc præ illa tam periculoſa eſt tenenda.

Prob. IV. *Unitas Dei*: Plures Dii eſſent æqualiter potentes, quia æqualiter Dii; dicere autem plures Deos æqualiter potentes, eſt juxta Athanaſium; dicere plures æqualiter impotentes, adeóque non Deos.

Objectiones Atheorum.

I. MUlti ignorant vel negant Deum: ergo non eſt evidens, quod detur. ℞. Ignorant non inquirentes, negant inſipientes.

II. Gentiles non agnoverunt Deum Verum. ℞. Agnoverunt tamen Deum.

III. Si detur Deus, eſt Cauſa perfectiſſima; unde ergo mala & defectus? ℞. Eſt Cauſa perfectiſ-

fectissima ; mala & defectus inde, quia est Causa libera permissiva.

IV. Si existeret Deus, se manifestaret omnibus. ℟. Omnibus in communi *C.* in particulari & privatim, *Subd.* per revelationem internam *C.* per externam *N.*

CONTROVERSIA II.

Cum Mahometanis de existentia SS. Trinitatis.

DOctrina Mahometanorum, à Mahometh in Arabia, adjuvantibus quodam Monachô Apostatâ Sergiô & perfidô quodam Judeô, ex Christianismo & Judaismo compilata, atque in libro, quem appellavit Alcoranum, conscripta, est hæc: 1.) Datur verus Deus, sed non Personarum Trinitas. 2.) Christus est verus Propheta natus ex Virgine, non Deus. 3.) In sua quisque Religione salvari potest. 4.) Fides gladio propagari debet. 5.) Licitum est plures habere uxores & uxorem ad libitum dimittere. 6.) Mahometani in Paradyso assequentur omne genus voluptatum carnalium, maximè Mulierum &c.

Ex his patet: Mahometh non fuisse Prophetam à Deo missum, utpote cujus vita fuit luxuriosa & scelerata, doctrina impia.

DO-

DOCTRINA CATHOLICA:

In Divinis Tres sunt Personæ.

PRob. I. Tum ex motivis credibilitatis, de quibus infrà, quæ sunt pro Ecclesia Catholica, id ipsum docente. Tum ex apparitionibus Divinarum Personarum, *Marc. 1.* Tum ex Miraculis, donis & gratiis secutis ad invocationem SS. Trinitatis, de quibus Historiæ authenticæ.

Prob. II. Contra Judæos: *Genes. 1.* dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Ubi per verbum *faciamus* à Viris Sanctis intelligitur Pluralitas Personarum, per verbum *Deus* Unitas Essentiæ.

Objectiones Mahometicæ &c.

I. IDem nequit esse unum & multiplex. ℞. Addere debes: secundùm idem & concedo. Deus Unus in Essentia, Trinus in Personis; Unus & Trinus non secundùm idem.

II. Christus dicit *Joan. 14. Pater major me est.* Quomodo ergo Deus? ℞. Loquitur ibidem de se secundùm humanitatem, loquens autem de Divinitate sua, dicit *Joan. 10. Ego & Pater unum* unitate Essentiæ *sumus*, distincti quoad Personas.

III. Si Christus Verus Deus, non diceret *Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum Deum Verum.* ℞. Dicit solum Deum,

um, ad excludendum Idola & Deos falsos. Ita Chrysost. Cyr. &c.

CONTROVERSIA III.

Cum Judæis de Vero Messia.

DOctrina Judæorum est: *Messias nondum venit.* Plures eorum errores & fabulæ continentur in Thalmud Hierosolymitano & Babylonico, qui sunt duo Tomi à Rabinis editi.

DOCTRINA CHRISTIANA:

Messias in Lege promissus jam venit; Isque fuit Christus Dominus, Mariæ Virginis Filius.

PRob. I. De Messia prædictum est *Isaia 7. Ecce Virgo concipiet & pariet &c.* Item *Michææ 5. Bethlehem Ephrata! ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël.* Item *Genes. 49. Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est.* Item *Isa. 53.* quod patraturus sit miracula: *Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt.* Item *Isa. 11. Erit sepulchrum Ejus gloriosum &c.* Atqui hæc & alia sunt in Christo impleta, ut constat ex Evangeliis: ergo fuit Messias.

Sed Judæi non admittunt Evangelia tanquam Verbum Dei. ℞. Sufficit, quod negare non possint Ea per orbem terrarum à Viris Sapientissimis esse credita, miraculis confirmata, & ipsi Judæi non possint docere contrarium.

II. Chri-

II. Christus plurima fecit miracula, v. gr. Lazarum resuscitando, aquam in vinum mutando &c. Item evidentissima facta sunt miracula in morte Christi, de quibus etiam *Josephus Hebræorum Historicus lib. 18. Antiq.* jam sic: miracula non possunt esse nisi à Deo, & Deus nequit facere in testimonium approbativum doctrinæ falsæ: ergo, cùm facta sint in testimonium doctrinæ Christi, hæc est vera.

Dicunt Judæi: Moyses etiam fecit miracula & tamen non fuit Messias. ℞ Fecit, sed non ad docendum, se esse Messiam & Filium Dei; Christus autem sic fecit.

III. Ad invocationem Christi adhuc plurima fiunt miracula; fides in Christum per totum orbem est propagata & quidem per Apostolos, homines aliàs illiteratos, qui faciebant signa & prodigia multa; persecutores Fidei Christianæ de cœlo variè sunt puniti; Martyres sæpe servati illæsi; Judæi, qui Pragæ præsumebant Christum in Hostia cultris configere, igne de cœlo sunt consumpti; Ipsi sunt Gens abjecta & despecta, postquam Christum crucifixerunt & clamaverunt *Matth. 27. Sanguis Ejus super nos & super filios nostros.* Hæc & similia Judæus sine pertinacia negare non potest; quid autem sequitur? certissimè hoc: vel Messiam jam venisse & fidem in Christum esse tenendam, vel Deum impostorem; hoc esse nequit: ergo illud esse debet.

Objectiones Judæorum.

I. SCriptura de Messia non est impleta in Christo, signanter illa *Isa. 11. Congregabit profugos Israël & dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ.* ℟. Fuit impleta; quia loquitur de filiis Israël spiritualibus congregandis in fidei unitate & reducendis in terram viventium, ex qua per peccatum ejecti.

II. Messias Rex erit potentissimus, ùt habet Prophetia *Num. 24. Reædificabit civitatem Jerusalem & templum:* ùt habet Prophetia *Zach. 6.* Neutrum autem impletum est in Christo. ℟. Scripturam loqui de regno & templo spiritualibus: nam Messias fuit promissus & exspectatus statim post lapsum Adami, ut liberaret populum suum, non à jugo hominum, sed dœmonis & peccati, non per regnum temporale, sed mortem suam *Isa. 53.* Sic impleta est in Christo, qui Jerusalem cœlestem & Ecclesiam militantem ædificavit ex lapidibus vivis, seu fidelibus *Matth. 16.* Gubernat & judicabit in fine mundi *Actor. 10.*

CONTROVERSIA IV.

De abrogatione Legis Veteris.

DOctrina Judæorum est: *Lex Vetus nec abrogata est, nec abroganda.* Lex Vetus, seu scripta & Mosaica est illa, quæ post Legem naturæ à Deo populo Israëlitico fuit data, in 5. libris Moysis conscripta & ab eo promulgata, conti-

continens præcepta moralia, cæremonialia & judicialia; erat ante Christum Lex vera, sicut & Synagoga Ecclesia vera, nunc verò

DOCTRINA CHRISTIANA:

Lex Vetus à Messia, Christo Domino, est abrogata.

PRob. I. Danda fuit à Messia Lex Nova, tum juxta illud *Jerem. 32. Ecce dies venient, dicit Dominus & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum.* Item juxta illud *Isa. 2. Venite & ascendamus ad montem Domini, quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jerusalem &c.* ergo data est à Christo; cùm Is fuerit Messiás, ut suprà; & Lex Illius, non verò Moysis, in Sion primùm sit promulgata & in Jerusalem divulgata.

II. Judæi post Christum occisum vagantur per orbem sine summo Sacerdote, sine Principe, ubique sunt sub jugo, sunt plebs abjecta & despecta, in Thalmud docent valde impia & absurda de Deo, de Cete, maximo Bove &c. ut refert *Nicol. de Lyra* ex Judæo Christianus in *cap. 40. Job.* ergo non est credibile, Legem eorum adhuc tenere.

Objectiones Judæorum.

I. LEx Mosaica dicitur *Baruch 4. Lex in æternum.* Item fuit bona: ergo non abroganda. ℟. Dicitur Lex in æternum, non absolutè, sed usque ad tempus Messiæ; quia sic longo tem-

pore duravit. Bona fuit pro ſtatu Legis ſcriptæ, ſed ordinata ad meliorem, ſcilicet Evangelicam, ſicut figura ad figuratum.

II. Chriſtus non venit, Legem ſolvere *Matth. 5.* ℞. *Non ſolvere* intellige *non violare*; eam enim ſervavit, quamdiu viguit.

III. Si Lex Vetus abrogata, cur Chriſtiani obligantur ad præcepta Decalogi? ℞. Obligantur non vi Legis Moſaicæ, ſed Evangelicæ *Matth. 19.* & quatenus præcepta illa ſunt juris naturæ.

IV. Synagoga fuit Vera Eccleſia & hæc eſt indefectibilis: ergo non defecit. ℞. Eccleſia Vera eſt indefectibilis, ut nequeat abrogari à Deo quoad præcepta poſitiva *N.* ut non abrogata nequeat tota errare in fide *C.* Synagoga defecit per abrogationem à Deo.



CAPUT II.

De Controverſiis cum Hæreticis in communi.

CONTROVERSIA I.

De neceſſitate Unius Fidei.

DOctrina quorundam, ſi non ore, in corde dicentium, eſt: *Quilibet, ſive Chriſtianus ſit, ſive Judæus aut Turca, ſalvari poteſt in ſua fide, modò in Deum credat, Eúmque colat.* Sic dicentes, propter libertatem & indifferentiam ad crede-

dendum, appellantur *Libertini* & *Indifferentistæ*: Secta eorum *Indifferentismus*.

Alii sunt *Indifferentistæ strictiores*, volentes ad beatitudinem non requiri Fidem Christianam certam, sed sufficere quamcunque; sic: ut Catholicus in Fide Catholica, & quilibet Sectarius sive Lutheranus, sive Calvinista, aut alius in sua Secta possit salvari, modò præcipuos credat Fidei Christianæ Articulos, quos vocant *fundamentales* & *essentiales*, & plerique asserunt contineri in Symbolo Apostolorum; alios verò Articulos, quos vocant *arbitrarios* & *accidentales*, credere vel non credere, ignorare vel negare juxta illos est perinde. Sed contra est

DOCTRINA CATHOLICA:

Una inter Christianos Vera est Fides & Religio, sine qua impossibile est placere Deo & salvari.

PRob. I. Impossibile est, plures Religiones inter se in fidei articulis oppositas esse simul veras, aliàs contradictoria essent simul vera, v. gr. *Messias venit*, *Messias non venit &c.* atqui distinctæ Religiones sunt inter se in fidei articulis, oppositæ: ergo impossibile est esse simul veras: ergo vel non in qualibet earum potest obtineri salus, sed eâ tantùm, quæ vera: vel falsa Religio salvificat; hoc posterius est impossibile, quia falsa Religio idem ac nulla in ordine ad salutem: ergo prius tenendum.

Confirm. Si Deus diverſas vellet Religiones, revelâſſet & credi vellet oppoſita v. gr. *Chriſtus eſt Deus, non eſt Deus; eſt in Euchariſtia, non eſt in Euchariſtia &c.* quod impoſſibile.

II. Chriſtus miſit Apoſtolos in univerſum mundum, prædicare Evangelium omni creaturæ, dicens *Matth. 16. Qui non crediderit, condemnabitur.* Primæva Chriſti Eccleſia & Concilia magnis ſumptibus congregata damnârunt hæreſes. Martyres pro fide fuderunt ſanguinem, à Deo miraculis illuſtrati &c. Ad quid hæc omnia, ſi quilibet in ſua fide poſſit ſalvari? ergo non poteſt. Et datô poſſe: peſſimè ergo fecerunt Lutherus, aliíque Hæreſiarchæ deſerendo Eccleſiam Catholicam, in qua ſalvari potuerunt; injuſtiſſimè fecerunt Tyranni contra Eccleſiam Catholicam gerendo bella, Templa & Monaſteria evertendo, poſſeſſiones diripiendo &c.

III. Ad *Epheſ. 4.* dicitur: *Una Fides, unum Baptiſma, Unus Deus & Pater omnium.* Quomodo una fides? non una ſimpliciter, ſunt enim multæ; ſed Una Vera, in qua ſalvari oportet.

IV. Articuli, quos Indifferentiſta vocat *accidentales*, ſunt à Deo revelati, ideóque veri & certi. Jam ſic: negans articulum à Deo revelatum injuriam facit Deo revelanti: ergo articulos, ſint quicunque, à Deo revelatos negare non licet. Aliquos tamen non tenetur quilibet ſcire & credere explicitè; modò credat implicitè, paratus credere explicitè, ſi proponantur; & eatenus dici poſſunt *accidentales.*

Con-

Confirm. Ad ſalutem non ſufficit ſervare duo vel tria mandata, ſed neceſsè eſt ſervare omnia: ergo etiam non ſufficit duos, tres, vel plures articulos credere, ſed neceſſe eſt credere omnia, quæ Deus revelavit & Eccleſia credenda proponit. Audi *S. Athanaſium in ſuo Symbolo: Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quisque integram inviolatámque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.*

V. Denique ſi Indifferentiſta ſit obſtinatus, ſic contra eum arguo: Si tu Indifferentiſta eligas fidem pro beneplacito, exponis te periculo damnationis; quia contra te fermè totus clamat orbis: non ſufficere quamlibet fidem ad ſalutem; ſi amplectaris Fidem Catholicam, te ipſo judice, in ea ſalvari poteris: ergo imprudenter facis, ſequendo Indifferentiſmum; prudentiſſimè, amplectendo Fidem Catholicam.

Objectiones Indifferentiſtarum.

I. JUdæi, Turcæ & Sectarii poſſunt errare inculpabiliter; atqui ſic errantes poſſunt ſalvari: ergo. ℞. Sic errantes poſſunt ſalvari vi ſuæ ſectæ *N.* per accidens, ſi parati ſint facere, quod ad ſalutem neceſſarium & de peccatis, ſi quæ habent, perfectè contrici *C.*

II. Apoſtolus ſuadet: *1. Cor. 7. Unusquisque in qua vocatione vocatus eſt, in ea perſeveret:* ergo. ℞. Loquitur de vocatione ad certum vitæ ſtatum v. gr. Religioſum, matrimonialem &c. non verò ad falſam Religionem.

III. *Omnis, qui invocavit Nomen Domini, salvus erit. Joël. 2.* Sed quilibet in sua fide invocat Nomen Domini: ergo. ℞. Quilibet invocat, sed non sicut oportet, credendô & faciendô, quæ Deus vult.

IV. Non displicet Regi terrestri à diversis nationibus coli diversis ritibus: ergo nec Deo displicere videtur diversis coli Religionibus; tolerat enim. ℞. *C. Ant.* si Rex ille non præceperit certos ritus. *N. Conf.* Ut cultus placeat Deo, Deicola credere debet omnia saltem implicitè, quæ Deus revelavit, & facere, quæ præcepit. Tolerat quidem Deus diversas Religiones, sed non approbat.

V. In primitiva Ecclesia fuerunt dissensiones inter fideles *Actor. 15.* fuerunt inter Petrum & Paulum *ad Gal. 2.* & hodie sunt inter Theologos Catholicos: ergo non obstant saluti. ℞. Fuerunt dissensiones in articulis fidei *N.* in rebus facti vel quæstionibus fidei nondum definitis *C.* & hæ non obstant.

VI. Multi articuli accidentales non sunt clarè expressi in Sacra Scriptura: ergo Deus non vult obligare ad credendum illos. ℞. *T. Ant.* ergo Deus non vult obligare ad credendum illos implicitè *N.* explicitè, *subd.* ante Definitionem Ecclesiæ *C.* post eam *N.* In quatuor primis Conciliis, quæ admittunt Acatholici, multa proponuntur credenda explicitè, quæ priùs tantùm credebantur implicitè v. gr. Consub-

ſubſtantialitas Filii, Proceſſio Spiritûs Sancti à Patre, Filióque &c.

VII. Catholici ſunt valde pauci, Acatholici multi & quandoque probi; ſed non eſt credibile, hos omnes damnari, illos ſolos ſalvari. ergo. ℟. Si Catholici, qui tamen reperiuntur per orbem terrarum, ſint pauci, ſcias: *Pauci ſunt electi Matth. 20.* Si Acatholici ſint probi, non eſt credibile, eos damnari, ſi ſint Acatholici ex errore invincibili *C.* ſi ex vincibili & culpabili *N.*

CONTROVERSIA II.

Quæ Fides & Religio ſit capeſſenda?

VEra Religio, Eáque tenenda, eſt Una; ſed quæ illa? Lutherus reſpondet eſſe ſuam, Calvinus ſuam; cuíque Hæreſiarchæ, quod ſuum, pulchrum eſt. Contra quos

DOCTRINA CATHOLICA:

Fides ad ſalutem neceſſaria, eáque tenenda, eſt ſola Romano - Catholica, Apoſtolica.

QUare hoc: Motiva ſequentia impaſſionato & indifferenti animo conſidera & intellige veritatem.

Motivum I. *Ex Antiquitate.*

HÆc dicit Dominus (*Jerem. cap. 6.*) *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in*

ea : ergo Religio antiqua eſt tenenda. Quæ illa ? non Lutherana; quæ ſæculo decimo ſexto fuit in cunis Lutheri & Catharinæ, Monachi & Monialis; nec Calviniſtica, quæ nata eodem ſæculo, parente Calvino Canonico; nec *ulla* alterius Hæreſiarchæ poſt tempora Chriſti: Catholica eſt, quæ à temporibus Chriſti & Apoſtolorum; ùt patet ex continua ſucceſſione Epiſcoporum & Summorum Pontificum uſque ad Apoſtolos; aut ſi quis neget hanc antiquitatem, aſſignet, quando Religio Catholica inceperit, & à quo.

Confirm. A temporibus Apoſtolorum uſque modò nec Pagani, nec Hæretici, nec Portæ Inferi potuerunt prævalere contra Eccleſiam Catholicam; quare non ? quia eſt Eccleſia Vera, Eccleſia Chriſti; ſi hæc non eſſet, utique prævalere potuiſſent. Ubi jam Ariani, Pelagiani, Manichæi ? ubi poſt modicum moderni Hæretici ? audi Chriſtum *Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Reſpondent Lutherani : ſe habere Fidem, quæ fuit quinque primis ſæculis, adeoque antiquam; quæ, poſtquam defecerat & mille circiter annis ſopita fuerat, à Luthero eſt reſuſcitata. *Contra eſt* (1.) Idem dixerunt Ariani, Manichæi, &c. Idem dicunt Calviniſtæ; an omnes verum ? certè non; an Lutheranis credendum & non illis ? minimè: non ſunt veraciores. (2.) Si ita : ergo mille annis uſque ad Lutherum Vera Fides non fuit in mundo; quis ſibi perſuadeat

deat (3.) Ergo à tempore, quo Fides defecerat, uſque ad Lutherum nullus, exceptis infantibus, potuit ſalvari? ubi ergo Majores noſtri? (4.) Articuli Sectæ Lutheranorum ſunt: *Sacrificium eſt Idololatria: Mandata non poſſunt ſervari: ſola fides juſtificat: non datur liberum arbitrium, non Purgatorium, non præſentia Chriſti in Euchariſtia ante uſum, non invocatio Sanctorum &c.* Oſtendant primos Chriſtianos ſic credidiſſe; omninò non poſſunt: quomodo ergo Fides eorum antiqua? (5.) In Eccleſia Catholica à tempore Chriſti uſque ad Lutherum & poſt ſemper fuerunt Sancti, facta ſunt miracula &c. ergo ſemper Vera fuit Eccleſia; & hodie eſt eadem, quæ fuit tempore Apoſtolorum, additis ſolùm ritibus & cæremoniis, quæ Fidem non variant.

Motivum II. *Ex Sanctitate.*

ILla Religio eſt præferenda, quæ Sancta eſt in doctrina Fidei & morum; item Sancta in Membris ſuis, habens Sanctos, qui in ea vixerunt; nam Eccleſia in Symbolo Apoſtolorum dicitur *Sancta*; ſed quæ illa? Catholica eſt: Hæc (1.) Sancta in doctrina Fidei & morum; quia non ſolùm nihil credit aut docet Deo, Sacræ Scripturæ, vel rectæ rationi contrarium & falſum, ſed credit omnia, quæ à Deo revelata; docet, quod pium eſt & ſanctum v. gr. *Servare mandata; vitare vitia; facere opera bona; confidere de meritis Chriſti; eáque ſibi applicare per frequentem Sacramentorum uſum; colere Sanctos, non verò adorare &c.*

Quid

Quid plura? Utrum Ecclesia Catholica contra Fidem & bonos mores aliquid doceat, impartialis quisquis scrutetur: certè nihil inveniet, modò non falsò imponat.

(2.) Sancta est in Membris suis: nónne Sancti sunt Augustinus, Ambrosius, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Elisabetha, Catharina &c. &, post tempora Lutheri, Carolus Borromæus, Franciscus Salesius, Ignatius, Petrus de Alcantara, Theresia, Catharina Bononiensis &c. utique Sancti sunt: sanctitatem eorum testantur miraculorum gloria, corporum incorruptio, vitæ innocentia &c. & fatentur Acatholici, ponentes eos in Calendariis; sed, in qua vixerunt Religione? certè non in Lutherana, nec in Calviniana, quarum vel neutra tunc fuit, vel constat fuisse Episcopos, Monachos, aut Moniales in Ecclesia Catholica: ergo vixerunt in ea, adeoque habet Sanctos & consequenter est Sancta; eámque tene, si & tu sanctus esse velis.

Motivum III. *Ex Miraculis.*

CHristus dixit *Matth. 16. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient &c.* & *Joan. 10. Si mihi non vultis credere, operibus credite:* ergo ex miraculis propriè dictis vera dignoscitur Religio; atqui miracula illa sunt facta & adhuc fiunt in Ecclesia Catholica, ùt constat ex Historiis, Annalibus, vitis, rebùsque gestis Sanctorum: apud Acatholicos nec ullum

illum eſt, nec eſſe poteſt? aliàs Deus miraculis teſtaretur & probaret, ſimul veros eſſe articulos oppoſitos.

Reſpondent Acatholici (1.) Miracula eſſe conficta. *Contra eſt:* Facta ſunt impetratoriè à Viris Sanctis, approbata publicè, auditis teſtibus juratis, commendata Annalibus authenticis &c. quomodo ergo conficta?

Reſpondent alii (2.) Miracula eſſe facta ope Dœmonis. *Contra eſt* 1. Quod facta ſint à Viris Sanctis. 2. Quod ſuperent vim Dœmonis v. gr. ſuſcitatio mortuorum. 3. Si miracula Catholicorum fiunt à Diabolo ad retinendos homines in falſa Religione, cur non facit ſimilia in aliis falſis Religionibus? vel dic: in qua Religione fiunt à Deo? certè non in Lutherana, Calviniana, aut ſimili.

Motivum IV. *Ex Succeſſione.*

ILla Religio eſt Religio Chriſti, quæ verum habet ſacerdotium; Illa habet, cujus Miniſtri omnes ab Apoſtolis deſcendunt, vel ab eorum Succeſſoribus Ordinationem acceperunt; atqui talis eſt Religio Catholica: ergo. *P. min.* Quia in Eccleſia Catholica omnes Sacerdotes Ordinantur ab Epiſcopis, Epiſcopi ſuum Ordinem acceperunt ab aliis Epiſcopis & hi rurſus ab aliis uſque ad Apoſtolos; idémque eſt de ſucceſſione Summorum Pontificum; Qui negat hanc ſucceſſionem, aſſignet, ubi & quando fuerit interrupta.

Moti-

Motivum V. *Ex Conversione Gentium.*

ILla Religio eſt Apoſtolica & tenenda, ad quam per Apoſtolos & poſtea per Viros Religioſos facta eſt converſio Gentium; atqui hæc facta eſt ad Religionem Catholicam: ergo. *P. min.* Quia ad Fidem Catholicam converſi ſunt Græci, Romani, Hiſpani, Germani, Galli, Sueci, aliíque populi & manſerunt in Fide iſta, donec quidam per Hæreſiarchas & Apoſtatas fuerunt perverſi, non tam prædicatione Verbi Dei, quàm ope gladii, vel prædicando non veritatem, ſed mendacia, non quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, illis ad guſtum v. gr. *Peccata non eſſe confitenda; Bona Eccleſiaſtica occupanda, mandata & vota non ſervanda; non jejunandum; authoritatem Eccleſiaſticam eſſe apud quemlibet regentem in ſuo regno, principatu &c.* Si hominum inclinationi contraria prædicâſſet Lutherus, certè vix ullus eidem adhæſiſſet.

Motivum VI. *Ex Certitudine Salutis.*

NOn tantùm aſſerunt Catholici, ſed etiam plerique confitentur Acatholici, Romano-Catholicos ſalvari poſſe in ſua Religione: ſic Ego ipſe à Magiſtris Lutheranis, eorum mentem expiſcaturus interrogans, reſponſum accepi non ſemel; ſic declaraverunt Superintendentes Brunſwicenſes ante converſionem modernæ

Imperatricis Elisabethæ, quæ è Domo Wolffenbüteliana: negant verò Catholici, quemquam extra Ecclesiam Catholicam salvari posse. Jam sic: in Fide Catholica, affirmantibus etiam Acatholicis, salvari poteris; in alia Secta, negantibus Catholicis, non poteris: ergo tutiùs est, amplecti Fidem Catholicam: ergo amplectere, qui non habes & salvari poteris, nemine te condemnante.

Respondent Acatholici: Illa motiva fuisse pro Ecclesia Catholica ante sextum sæculum pro tempore, quo nondum defecerat, non probare pro hoc tempore. *Contra est* (1.) Ecclesia Vera non potest errare & deficere, ùt infrà. (2.) Si Ecclesia Catholica ante sæculum sextum Vera fuerit Ecclesia: ergo manet in possessione, quod sit Vera; manent pro illa præfata motiva, donec Adversarii demonstrent, eam defecisse, quod nec fecerunt, nec facere possunt. (3.) Si Notæ & motiva allata non conveniant Ecclesiæ Catholicæ, cui ergo conveniunt? certè nulli: nulla enim præter Catholicam est antiqua, nulla habet Sanctos, nec miracula, nec successionem Ministrorum ab Apostolis &c. ergo vel Ecclesia Catholica non defecit & est Vera adhuc Ecclesia; vel Ecclesia Vera hodie non datur in mundo.

Corollar. His notis ac motivis bene perpensis, resolve te ad id, quod post mortem coram Deo judice vis fecisse & cogita. (1.) An non potiùs vivere velis & mori in Religione antiqua Majo-

Majorum tuorum, quàm in nova & damnata, ſicut Hæreſes priores. (2) An non ſecurius, vivere in Religione à Chriſto & Apoſtolis deſcendente, quàm in nova à Luthero Monacho Apoſtata conficta, vel à Calvino Apoſtata Canonico? Utrumque eſſe miſſum à Deo, eſt impoſſibile; unum potiùs eſſe miſſum, quàm alterum, eſt incredibile. (3) An non potiùs mori velis in ea Religione, in qua mortui ſunt omnes, quotquot ſcimus, & ipſi Acatholici agnoſcunt, Sancti? certè nunquam audivimus de Sancto Luthero vel Calviniſta; & quomodo tu primus eris? Religio Catholica eſt, in qua vixerunt Majores tui; ea eſt, quæ deſcendit à Chriſto & Apoſtolis; in ea vixerunt Sancti; ea coruſcat miraculis, ſanctitate doctrinæ & Membrorum: proinde ſtatuas, in ea & vivere & mori.

CONTROVERSIA III.

De Notis & Signis Religionis falſæ.

SIcut Catholicæ Fidei Veritas ex variis Notis ac motivis facilè innoteſcit, ita etiam Acatholicæ falſitas; proinde

DOCTRINA CATHOLICA:

Quælibet falſa Religio ex variis Notis & Signis facilè poteſt dignoſci.

SIgna illa falſitatis potiſſimùm ſunt ſequentia:

Sig-

Signum I. *Ex Novitate.*

FAlsa Religio est & hæretica, quæ nova; quæ non à temporibus Apostolorum, consequenter non à Christo; sed Religio Lutherana & quævis Acatholica est talis: ergo. *P. min.* Nova est: quia assignare possumus illius auctorem, qui Lutherus; assignare possumus locum & tempus, ubi & quando - item: modum, quo introducta, quibus tumultibus. Si non est nova, dic: ubi, in quo angulo ante Lutherum fuerit? quis antiquus Scriptor illius faciat mentionem? quæ Natio crediderit omnia Lutheranorum dogmata, scil. *Christum esse in Eucharistia tantùm in sumptione; Humanitatem illius esse ubique; Sacrificium esse Idololatriam; duo tantùm esse Sacramenta &c.* Certè ante Lutherum nullibi fuit, nullus de ea scripsit, nullus ita in omnibus credidit, sicut modò Lutherani: ergo Secta eorum non est antiqua. Lutheranismum fuisse ante Lutherum, est prolem esse ante patrem, ovum ante gallinam.

Respondent: Religionem seu doctrinam antiquam, quæ fuerat collapsa, à Dre. Luthero esse resuscitatam, séque nunc habere eam. *Contra est*, quod *suprà pag. 26.* Item quæro: an Religio Vera aliquando cessaverit esse in mundo? si ita: ergo non omni tempore potuerunt homines salvari; si non: ergo non opus fuit Reformatione. Ad hoc

Respondent: Religionem Lutheranam ante Lutherum fuisse in infantibus & simplicibus Catholi-

tholicis, quibus error non imputatus ad hæresim. *Contra* (1.) Infantile est Prædicantium commentum. Infantes apud Catholicos sunt baptizati, adulti quique Fidem Catholicam per omnia capita sunt professi; quomodo ergo fuerunt Lutherani? (2.) Ergo vera Fides nullibi per aliquot sæcula fuit prædicata, nullus ad eam se se potuit convertere, Sacramenta non sunt legitimè administrata, non fuit ullum veræ Religionis exercitium: adeóque hæc miserabilior Synagogâ Judæorum &c. sed quis credat? (3.) Idem commentum allegare possunt quivis Sectarii; sed quis probat? nullus.

Respondent alii: In Papatu quidam, qui non erant de Papatu, tenuerunt Fidem Lutheranam, sed occultè; sicut Nicodemus fuit discipulus Christi, sed occultè. *Contra* 1.) Ubi scriptum est? undè probatur? idem quilibet Sectarius de Secta sua somniare potest. 2.) Externè omnes professi sunt Fidem Catholicam, nullus Lutheranam: ergo non hanc, sed istam præsumuntur tenuisse, etiam internè. 3.) Ergo Vera Fides nullibi fuit prædicata &c. vide *suprà.*

Signum II. *Ex defectu Successionis.*

REligio aliqua non est Apostolica, nisi Ministri illius continuam habeant successionem ab Apostolis; sed hanc non habent Lutherani, nec Calviniani: cui enim Lutherus successit? quis ante eum Lutheranæ Religionis Anti-

Antistes fuit? quis ante Calvinum Calvinianæ? nec hic in Calvinismo, nec ille in Lutheranismo ulli successit; nullus extitit ante eos Superintendens. Calculent Lutherani suos in Suecia, Dania & alibi Superintendentes; quàm citò ad Catholicos pervenient, minimè ad Apostolos.

Signum III. *Ex defectu Missionis.*

SI Ecclesia Christi reformari possit, ut sit bene reformata, necessè est, Reformatores esse missos à Deo. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10.* Lutherus fatetur *in Epist. ad Müllhusianos: Sathan non nisi errones mittit, qui neque à Deo missos se probare possunt, neque ab hominibus vocati sunt, sed suâ sponte veniunt*; sed nec Lutherus, nec Calvinus, nec ambo sunt missi ad reformandam Ecclesiam: ergo. *P. min.* Quia missionem suam nec miraculis, nec vitæ sanctitate probaverunt; vel maximè autem probârunt Apostoli, quibus Christus dixit *Matth. 10. Euntes autem prædicate, infirmos curate, mortuos suscitate, dæmones ejicite &c.*

Lutherus & Calvinus eodem pene tempore venerunt: si uterque sit missus; *infero*: ergo Deus sibi contradicit, idem v. gr. *præsentiam Christi in Eucharistia* per unum affirmans, per alium negans. Si unus sit missus, quæro ex Lutherano: cur Lutherus sit missus, Calvinus non? ex Calvinista: cur Calvinus, non Lutherus? ma-

jorem rationem nec hic pro ſuo Calvino, nec iſte pro Luthero afferre poterit unquam. *Inſero:* ergo neuter eſt miſſus á Deo, neuter audiendus, uterque ex illis, de quibus Chriſtus *Matth. 24. Multi venient . . . & multos ſeducent.* Lutherus *Tom. 2. Germ. Wittenberg. fol. 66.* de ſe fatetur: *Gloriari non poſſum, me à Deo immediatè de cœlo miſſum.*

Reſpondent 1. *aliqui:* Lutherum non eſſe miſſum miſſione ſpeciali, quæ deberet probari, ſed generali, quâ quilibet, videns proximum ſuum eſſe in errore, tenetur eum reducere. *Contra* (1.) Fictitium eſt, quod non magis Luthero ſuffragatur, quàm Ario, Calvino, Zwinglio &c. ergo nulli. (2.) Si Eccleſia defecerit ſtatim poſt ſæculum quintum, ùt fingunt Acatholici, quis credat, Deum illius reformationem per octo vel novem ſæcula diſtuliſſe uſque ad Lutherum & Calvinum?

Reſpondent 2. *alii:* Luthero miraculis opus non fuiſſe; quia non prædicavit doctrinam novam, ſed quæ Chriſti & miraculis dudum eſt confirmata. *Contra* 1.) Idem eodem jure Calviniſtæ aſſerunt de Calvino, quilibet hæretici de ſuis Hæreſiarchis: an propterea omnibus credemus? 2.) Lutherus faſſus eſt ipſemet, doctrinam ſuam eſſe novam. *In Brevi Confeſſ.* 3.) Si doctrina non eſſet nova, novum tamen & extraordinarium fuit opus reformationis, adeòque ſignis probandum, quod ſit à Deo.

Reſpon-

Respondent 3. *alii* : Signum Vocationis & summum esse miraculum, quòd doctrina Lutheri, resistentibus Regibus, Principibus & vel maxime Imperatore Carolo V. tam velociter per Germaniam sit propagata. *Contra est* (1.) Præcipuæ Sectæ v. gr. Arianismus, Mahometismus &c. similiter & magis sunt propagatæ; an ideo pro Veris Religionibus habendæ? omnino non: ergo nec Lutheranismus. (2.) Doctrina Lutheri multa continet dogmata falsa, impia, blasphema, hæretica, ùt *infrà* : ergo propagatio illius nequit esse à Deo. (3.) Quid est miraculi, si velociter recipiatur doctrina tam amica carni, abolens quidquid asperum, factúque difficile? vide *pag. 30.*

Signum IV. *Ex Sectariorum mendaciis & fraudibus.*

NOn est censenda vera Religio, cujus Auctores & Prædicantes utuntur mendaciis & fraudibus; sed hoc faciunt Auctores & Prædicantes Religionis Lutheranæ & Calvinianæ, nam Catholicis ad infamandam eorum Religionem falsò imponunt, *eos adorare Sanctos, statuas; adorare panem in Eucharistia; fiduciam ponere in meritis propriis & Sanctis, non in meritis Christi &c.* Hæc & similia meræ & malitiosæ sunt imposturæ: adeòque Religionem Catholicam arguere nequeunt falsitatis, neque Acatholicorum obstare conversioni.

Signum V. *Ex vitiosa Origine.*

OPus Reformationis in Fide non est à Deo, quando Reformator est pessimæ vitæ; (quis enim credet Deum Ecclesiam, sponsam dilectam, reformare voluisse per hominem impium, Diaboli mancipium? malum ovum, malus corvus) sed nullus extitit ab Ecclesia Catholica Apostata, nullus cujuscunque Sectæ Auctor, qui fuerit vitæ sanctimoniâ celebris; nullus, quem non superbia, inobedientia, luxuria, aliáve vitia ad novitates impulerint, atque infamem reddiderint: ergo nullius Secta est Ecclesia Christi. *Minorem* qui negat, assignet Sectæ cujuspiam Auctorem, qui famâ sanctitatis sit celebris aut Thaumaturgus approbante vel non improbante orbe Christiano. Modernos quod attinet,

Lutherus fuit 1.) Apostata, superioribus suis rebellis & votifragus contra illud *Deuteronom. 23. Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere:* fuit Violator Monialis Deo obstrictæ per votum castitatis, in damnato Apostasiæ & irriti inter se Monachum & Monialem matrimonii statu exspiravit.

2.) Fuit Falsificator Sacræ Scripturæ *Rom. 3.* habetur: *Arbitramur hominem justificari per fidem*, addidit: *solam.* Rogatus à quodam ex suis, cur id fecisset? quid respondendum Catholicis? respondit *Tom. 4. Germ. Wittenberg. 1551. fol. 475. Si Papista morosum & difficilem se præbere vo-*

let

let de voce ſola, *ſtatim dic: Papiſta & aſinus eadem res eſt; ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas: Lutherus Doctor eſt omnium Doctorum in Papatu.* Item *2. Petr. 1.* habetur: *Quapropter fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* In verſione omiſit verba: *per bona opera:* quare? quia non amabat, ùt *infrà.*

3.) Fuit ſuperbus valde & ambitioſus, *Libr. contra Regem Angliæ* ſcribit: *Reges, Principes, Pontifices non eſſe dignos, qui ſolvant ipſius corrigiam calceamenti; ſe pro Sancto Viro habere velle, velint, nolint homines.* Et *ibid. Se non magni facere mille Cyprianos mille Auguſtinos. In lit. ad Electorem Saxoniæ* dicit: *ſe à Chriſto nominari Evangeliſtam;* & *ſuprà: ſe Doctorem omnium Doctorum in Papatu;* ſed Doctor ille

4.) Fuit Pſeudo-Doctor, docuit blaſphema: *Tom. 2. Wittenberg. 1548. pag. 266.* ſcribit: Iſt es doch nicht möglich, daß wir uns der geringſten Sünd entwehren möchten, ſintemal wir des Teufels gefangen ſeynd als unſers Fürſten und GOttes. Docuit apertè contra Sacram Scripturam: *in Reſolut. contra Eckium;* & *in Aſſert. artic. 31.* docet: *Juſtus in omni bono opere peccat. Lib. de vita conjug.* dicit: *uſum fœminæ magis eſſe neceſſarium, quàm edere, bibere & dormire. Serm. de Matrimon. licitum eſſe uti ancillâ, ſi uxor debitum recuſet.*

Docuit oppoſita, ſibi contradicens, ſui immemor: *in Poſtilla Eccleſ. ſuper Dom. 1. poſt Epiph. edita Wittenberg. 1584. pag. 168.* docet: *Eccleſiam errare poſſe in rebus fidei:* oppoſitum docet *in Tractat.*

de veteri vera Eccles. Tom. 7. Wittenberg. Germ. 1554. pag. 562. dicens: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia & errores docere, ne in unico quidem articulo, cùm os Dei sit os Ecclesiæ.* Plura *D. Cochlæus in lib. cui tit.* Lutherus septiceps.

Docuit peccare: *Tom. 1. Jen. lat. fol. 345. in Epist. ad Melanchtonem* scribit: *Pecca fortiter, sed fortiùs fide & gaude in Christo; peccandum est, quamdiu hic sumus: sufficit, quòd agnovimus Agnum, qui tollit peccatum mundi, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies uno die fornicemur.*

Docuit, quæ voluit, sive vera essent, sive falsa, modò contra Catholicos: *lib. de formula missandi* ait: *Si quod Concilium statueret aut permitteret utramque Speciem, nos nequaquam utrâque uti vellemus, sed in despectum Concilii, ejúsque statuti, aut unâ aut neutrâ uti vellemus, maledicturi universos, qui ex Statuto Concilii utrâque uterentur.*

Docuit, quæ ipse non credidit: *in Colloq. mens. lat. Tom 1. fol. 34.* fatetur: *Ego ita credere non possum, sicuti doceo, attamen homines alii fidem me habere firmissimam judicant.* Nihilominus quamvis hæc & similia falsa docuerit, scribit tamen *in lit. ad Electorem Saxoniæ datis: Qui meam doctrinam non admittit, non potest salvus fieri: quia ipsa est Dei, non mea.* At Luthere! si Doctrina Dei est, cur credere non potes, sicuti doces? an Deus fallax est, aut fallibilis? vel ergo doctrina tua Dei non est; vel si est & credere non possis, Deum fallacem facis aut fallibilem; utrumque ex te & contra te.

Vitam

Vitam Calvini & doctrinam nihilo meliorem qui volet, legat *Bolseum in vita Calvini*; Is refert *cap. 5.* Calvinum Novioduni per sententiam damnatum de crimine sodomitico, aliisque, & publicè cremandum fuisse, nisi ad preces Episcopi pœna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum & ferri candentis in tergo ustulationem. Idem & pejora habet *D. Schlüsselburg Prædicans Lutheran. lib. 2. Theol. Calvinist. art. 9. fol. 122.*

Quis nunc sibi persuadeat, Deum hujusmodi hominibus, quorum vita turpissima, doctrina blasphema, falsa, scandalosa &c. uti voluisse ad reformationem Ecclesiæ? Appello te, quisquis amas salutem: nonne Ecclesia Catholica primis saltem temporibus Vera fuit Christi Ecclesia? fatentur Reformatores: nonne Scriptura Sacra monet *Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces?* nonne prædicit *Matth. 24. Multi venient . . . & multos seducent?* utique: quinam ergo sunt illi? unde constat Lutherum, Calvinum & similes non fuisse ex numero illorum? imò fuisse, ex fructibus eorum cognoscimus: quis prudens ergo adhæreat illis? nullus.

Respondent Lutherani: Quid ad nos Lutherus, vita fuerit qualiscunque, etsi mala, non hanc sequimur, sed puram doctrinam: sic multi dicunt ab ipso Magistro suo Luthero edocti *Tom. 2. Jen. fol. 92.* dum

 ait:

ait: Alſo muſt du ſagen, der Luther ſey ein Bube oder heilig, da liegt mir nichts an, ſeine Lehr aber iſt nicht ſein, ſondern Chriſti ſelbſt. Quibus verbis præoccupans, qualis ſit, inſinuat. *Contra eſt* (1.) Moyſes, per quem data eſt Lex Vetus; Apoſtoli, per quos prædicata eſt Lex nova, Viri fuerunt probi & ſancti, ſanctitate & miraculis probantes ſe miſſos eſſe à Deo: quis ergo credat, Deum Eccleſiam reformâſſe per hominem impium, ſacrilegum, Veneris mancipium? Si Deus reformare voluiſſet, non defuerunt Auguſtini, Ambroſii, Cypriani, aliique Viri ſancti. (2.) Si Lutherus non fuerit alicujus ſanctitatis, nec fecerit miracula, unde conſtat tibi doctrinam ejus eſſe puram & ex Deo; Arii & aliorum, quos dicis hæreſiarchas, non eſſe? (3.) Lutherus docuit apertè contra Sacram Scripturam, docuit oppoſita, docuit peccare, docuit, quæ ipſe non credidit &c. ùt *ſuprà pag. 38. ſeqq.* ergo ſicut vita, ita nec doctrina ejus eſt ex Deo; & mentitur, *in Tom. Jen.* jactanter ſe nominans *Evangeliſtam Chriſti*, item dicens: *Os meum Os Dei.* (4.) Lutherus ipſe contra præfatos Lutheranos *loc. citat.* dicens: Du muſt den Luther nicht ſo gar hinwerffen, du wirffeſt ſonſt ſeine Lehr auch mit hin. Ita eſt, qui Lutherum rejicit, rejicit & doctrinam ejus; rejicimus Lutherum tanquam votifragum, ſacrilegum, luxurioſum, blaſphemum, calumniatorem &c. ùt patet ex propriis ejusdem Tomis Jenenſibus: ergo & doctrinam ejus tenentes doctrinam Ec-

cleſiæ

clesiæ Catholicæ superædificatæ super fundamentum Apostolorum *Ephes. 2.* donec hanc à veritate defecisse demonstraverint Acatholici. Abjiciat pariter Lutherum & doctrinam ejus, hæresiarchas & hæresim, quisquis amat salutem.



CAPUT III.

Controversiæ de vera Ecclesia, Summo Pontifice, & Ecclesiæ Ministris.

CONTROVERSIA I.

De Notis Veræ Ecclesiæ.

VEra Ecclesia est Congregatio omnium in Christo baptizatorum eandem Fidem sub uno Capite, Christi in terris Vicario, profitentium. Hujus proinde Membra non tantùm sunt justi, ùt volunt Lutherani; nec tantúm prædestinati, ùt volunt Calvinistæ; sed etiam injusti & reprobi, quamdiu manent in vera fide & obedientia. Diversis existentibus Ecclesiis, quæ sit vera, ex certis Notis (ùt fatentur Adversarii) cognosci potest; sed quæ Notæ illæ? cui Ecclesiæ conveniunt?

DO-

DOCTRINA CATHOLICA:

Vera Ecclesia est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica; eàque est Romana.

PRimum est de fide ex Symbolo Constantinop. Secundum de consequenti.

I. Vera Ecclesia est *Una*, nempe unitate fidei cum Ecclesia primitiva, & unitate Membrorum inter se in iisdem fidei articulis. Hæc Unitas reperitur in Ecclesia Romana, ùt *suprà*; minimè in Lutherana, vel alia. Lutherani (idem est de aliis) in fidei articulis non conveniunt cum Ecclesia primitiva Apostolica, *suprà pag. 33. de Novitate.* Nec conveniunt inter se, aliter docentes in Germania, aliter in Suecia, aliter in Dania: Sacramenta aliqui admittunt duo, alii tria; bona opera aliqui negant, aliqui affirmant ad salutem necessaria; Sacrificium alicubi litant, alibi dicunt Idololatriam &c. Vix ullus hodie reperitur Lutheranus, qui cum Luthero; vix Calvinista, qui cum Calvino in omnibus consentiat; sunt hodie (Testem provoco vel unicam Angliam) Anabaptistæ, Ubiquistæ, Pietistæ, Impanatores, Sacramentarii, Quackeri &c. universim plures, quàm ducentæ ex Lutheranismo & Calvinismo Sectæ, de quibus *Floremundus lib. 2. cap. 14.* Quid mirum? ex uno absurdo sequuntur plura.

II. Est *Sancta*, nempè sanctitate doctrinæ & sanctitate Membrorum. Hæc *Sanctitas* reperitur

tur in Ecclesia Catholica, de qua *pag. 27.* minimè in Acatholica: nullius Acatholicæ doctrina est sancta, utpote quà opposita Catholicæ contra Sacram Scripturam & ab Ecclesia Universali damnata. Nulla habet Sanctos: edissérant Lutherani aut Calvinistæ vel unicum, qui omnia Lutheri aut Calvini dogmata sit professus & ab orbe Christiano habeatur verè sanctus, cujus sanctitatem morum integritas, corporis incorruptio, aut alia miracula authentica manifestent; non potuerunt, nec poterunt unquam.

III. Est *Catholica*, hoc est *Universalis.* Talis est (1.) *Ratione loci*, quia per totum orbem diffusa, postquam Christus præcepit, Evangelium prædicari omni Creaturæ *Marc. 16.* (2.) *Ratione temporis*: quia duravit à tempore Christi, durabítque usque ad consummationem sæculi *Matth. 28.* Ecclesia Romana est *Catholica*: quia utraque Universalitas illi convenit & ab ipsismet Acatholicis *Catholica* appellatur.

IV. Est *Apostolica*: Quia per Apostolos propagata; sequitur Apostolorum doctrinam & successionem Episcoporum habet ab Apostolis sicut & Summorum Pontificum in Cathedra Petri. Hæc omnia conveniunt Ecclesiæ Romano-Catholicæ: etenim quem alium habet Auctorem, quàm Christum & Apostolos? quo alio tempore est fundata, quàm Apostolorum? ergo *Apostolica* est & *Vera.* Aliæ sectæ nec fundationem habent ab Apostolis, nec successionem;

nem ; sed à Luthero , Calvino , vel similis farinæ Apostatis : quomodo ergo *Apostolicæ* sunt & *Veræ* ?

CONTROVERSIA II.
De Veræ Ecclesiæ Visibilitate.

DOctrina Lutheranorum & Calvinistarum est : *Ecclesiam Visibilem totam deficere posse & extingui, ut nullibi sit publica Verbi Divini vera prædicatio, nullibi vera Sacramentorum administratio.* Extinctâ Ecclesiâ totâ Visibili remanere volunt veram Ecclesiam invisibilem , scilicet aliquos soli Deo notos, purum Verbum Divinum & veram fidem retinentes in corde , ab erroribus fundamentalibus immunes: cùm enim doceant, Veram Ecclesiam Visibilem defecisse sæculo quinto & sexto & reformatam esse à Luthero vel Calvino sæculo decimo sexto, coguntur dicere per mille annos vel nullam in mundo fuisse Veram Ecclesiam, vel invisibilem : primum nolunt, fingunt ergo secundum. Sed *Contra est*

DOCTRINA CATHOLICA:
Ecclesia Christi in terris militans semper est Visibilis.

PRob. I. Omnia, quæ in Sacra Scriptura habentur de Ecclesia, conveniunt Visibili: ergo Christus fundavit Visibilem ; & qualem fundavit, talis perseverat. *P. Ant.* De Ecclesia habe-

habetur *Matth. 18. Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit &c. Actor. 20. Attendite vobis & universo gregi &c. Ephes. 4. Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes &c.* Item Ecclesia dicitur *Matth. 5. Civitas supra montem posita. Matth. 13. Sagena congregans bonos & malos Pisces &c.* atqui hæc omnia non conveniunt nisi Ecclesiæ Visibili; nec possunt Prædicantes vel unicum afferre textum, qui certò conveniat invisibili: ergo.

II. Ex S. Augustin. qui *Epist. 174. ad Severinum* scribit: *Ipsa Ecclesia Catholica per totum terrarum orbem diffunditur; hanc ignorare nulli licet: ideo secundùm Verbum Domini abscondi non potest.* Unde

III. Juxta SS. Patres extra Veram Ecclesiam nulla est salus: ergo quilibet volens salvari tenetur se illi aggregare: ergo debet semper esse Visibilis & Conspicua. Quomodo Gentilis eam inveniet, si nesciat, in quo mundi angulo lateat? quomodo credet sine prædicante veram doctrinam? quomodo hæc prædicabitur, si publicum ministerium sit corruptum?

IV. Occulti Orthodoxi, qui constituerunt, juxta Adversarios, Ecclesiam Invisibilem, vel professi sunt exteriùs fidem, vel non, simulantes & communicantes cum Papistis in externo Religionis exercitio? si primum: ergo Ecclesia fuit Visibilis; si secundum: ergo peccarunt, negandi à Christo, qui dicit *Matth. 10.*

Omnis,

Omnis, qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.

V. Confessio Augustana, Lutheranorum Alcoranum, *artic. 7.* docet: *Una Sancta Ecclesia perpetuò est mansura, in qua Evangelium purè docetur & rectè administrantur Sacramenta.* Hinc *infero* duo: 1.) Ergo Ecclesia est Indefectibilis; quomodo deficere potest, si perpetuò mansura? 2.) Ergo est semper Visibilis; quomodo invisibilis, si perpetuò Evangelium purè doceatur & rectè administrentur Sacramenta? nonne prædicatio & administratio actus sunt externi? errant proinde vel hunc articulum asserendo, vel visibilitatem Ecclesiæ negando.

Objectiones Acatholicæ.

I. Ecclesia *1. Petri 2.* dicitur *Domus Spiritualis. Matth. 13.* comparatur *Thesauro abscondito. Luc. 17. Regno Dei, quod intra nos.* ℞. Dicitur *Domus Spiritualis* quoad fidem, quam habere debent fideles *C.* quoad ipsos fideles Ecclesiam constituentes *N.* Comparatur *Thesauro abscondito* quoad se *N.* quoad inventorem, qui priùs ignoravit *C. Regnum Dei est intra nos* potestate, nimirum gratiâ & donis spiritualibus, quibus acquiri potest.

II. Fides, quæ efficit fideles & Ecclesiæ Membra, est invisibilis: ergo etiam Ecclesia. ℞. *Retorq.* Anima, quæ efficit hominem, est invisibilis: ergo etiam homo. *Negatur* utrobique *consequentia*: convenit concreto, quod non formæ.

III. So-

III. Soli justi & prædestinati constituunt Ecclesiam: ergo est invisibilis. *P. Ant.* Quia Ecclesia *Ephes. 2.* dicitur: *Non habere maculam aut rugam. Hebr. 12.* dicitur *Primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis. 1. Petri 2.* fideles vocantur *Genus electum. Joan. 10.* dixit Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt, & nemo rupiet eas de manu mea.* ℟. *N. Ant.* nam Ecclesia comparatur *Matth. 23.* Sagenæ congreganti pisces bonos & malos. *Matth 25.* Virginibus prudentibus & fatuis: ergo etiam injusti sunt Membra Ecclesiæ. Non habet quidem *maculam* in doctrina fidei, habet tamen in aliquibus Membris. Dicitur *Primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis:* Per primitivos intellige primos Christi discipulos & Apostolos, quorum nomina revelante Christo *Luc. 10.* scripta sunt in cœlis; ab his vocatur Ecclesia *Primitivorum*, sed malè *infers:* Primitivi Ecclesiæ sunt scripti in cœlis, seu prædestinati: ergo omnes, qui sunt in Ecclesia Primitivorum. Fideles vocantur *Genus electum* electione ad gratiam, fidem & cultum Dei, sive justi sint, sive injusti; sic electus fuit Judas, de quo Christus *Joan. 6. Nonne ego vos duodecim elegi & unus ex vobis diabolus est?* Aliqui baptizati sunt oves Christi, *solâ fide*, ùt injusti; alii *fide & charitate tantùm*, ùt justi; alii *fide, charitate & finali perseverantiâ*, ùt prædestinati; de his ultimis ovibus juxta S. Augustin. loquitur Christus *Joan. 10. suprà.*

IV. Ecclesia fuit invisibilis tempore Eliæ: nam *3. Reg. 19.* deficientibus à Domino filiis Israël,

reliquit sibi Dominus in Israël 7. Millia Virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal; sed fuerunt occulti, quia Elias queritur, se solum relictum. ℟. (1.) Esto occulti fuerint Eliæ, non propterea etiam omnibus aliis. (2.) Quamvis tunc non in Israël, in Judæa tamen floruit Ecclesia sub Rege Josaphat. (3.) A Synagoga ad Ecclesiam Christi non valet consequentia.

V. Credimus Sanctam Ecclesiam: ergo non est Visibilis; *quæ enim apparent, jam fidem non habent*, inquit *S. Gregor. homil. 11. in Evang.* ℟. Credimus Ecclesiam secundùm quid, non simpliciter, aliud videntes, aliud credentes: Cœtum hominum fidem profitentium, qui est Ecclesia, videmus; Cœtum illum fidem habere & Veram esse Ecclesiam credimus. S. Thomas Apostolus vidit & credidit (teste Christo *Joan. 20. Quia vidisti me, credidisti.*) Hominem vidit, Deum credidit.

CONTROVERSIA III.

De Veræ Ecclesiæ Infallibilitate.

DOctrina Acatholica est: *Visibilem Christi in terris Ecclesiam in rebus fidei & ad mores pertinentibus totam seu universalem posse errare errore formali, sícque ante annos circiter 1200. sensim erràsse & ab errore vel à Luthero*, juxta Lutheranos, *vel à Calvino*, juxta Calvinistas, *vel ab alio*, juxta alios, *esse expurgatam & reformatam.* Contra hanc Acatholicam de Ecclesia Christi Visibili tota seu universali, quæ sunt

ſunt omnes fideles cum viſibili Ecclesiæ Capite, Romano Pontifice, vel cum eo omnes Epiſcopi in Concilio generali congregati, eſt

DOCTRINA CATHOLICA:

Ecclesia Christi militans nec unquam tota erravit in rebus fidei, nec errare poteſt.

PRob. 1. Pars: Ecclesia Catholica moderna nihil credit, nec docet, quod ſit contra primitivam; vel oſtendant Adverſarii (quod debent tanquam actores) quando & in quo erraverit, non credendo, quod credidit Primitiva, vel credendo oppoſitum; hoc non poſſunt: ergo non erravit.

Dicent: Nunc aliquos articulos credi, qui olim non. ℞. Nunc poſt definitionem Ecclesiæ credi explicitè, olim implicitè.

II. Si Ecclesia defeciſſet ſæculo ſexto, uſque ad reformationem (rectiùs deformationem) Lutheri: ergo omnibus illis ſæculis à ſexto uſque ad Lutherum nullus potuiſſet ſalvari; quia non fuiſſet vera Ecclesia; hoc autem impium eſt dicere & incredibile: ergo non defecit.

Reſpondent: Homines ſalvari potuiſſe in Ecclesia inviſibili, quæ juxta Lutherum non defecit. *Contra:* Homines non potuerunt ingredi Ecclesiam inviſibilem; quomodo enim quis ingredietur Ecclesiam, quam ignorat: ergo non potuerunt in ea ſalvari. Si dicant, ingreſ-

sos esse per Baptismum; *Dico*: egressos rursus vel perversos esse per professionem saltem externam doctrinæ corruptæ: ergo iterum non potuerunt salvari.

Prob. 2. Pars I. Ecclesia dicitur *1. Timoth. 3. Columna & firmamentum veritatis.* Item de ea dicit Christus *Matth. 16. Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Joan. 14. Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Matth. 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Luc. 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* hæc autem omnia essent falsa, si Ecclesia deficere posset: ergo non potest.

Respondent Adversarii 1.) Textus allatos esse intelligendos de Ecclesia invisibili, quam volunt non deficere, sed manere, deficiente & non manente visibili. *Contra* 1. Ecclesia Christi non est invisibilis, ùt *suprà*. 2. Christus *loc. citat.* locutus est ad Apostolos & discipulos, qui utique fuerunt Ecclesia visibilis. 3. Christus jussit *Matth. 18. Luc. 10.* audire Ecclesiam, eíque obedire; quomodo autem audire possumus invisibilem? quomodo jussisset obedire fallibili?

Respondent 2.) Ecclesiam visibilem per promissiones divinas non habere, quòd errare non possit, sed quòd in errore non persistat. *Contra*: Vi promissionis Divinæ Christus apud Ecclesiam suam est omnibus diebus *Matth. 28.* apud eam Spiritus veritatis manet in æternum *Joan. 14.*

ergo

ergo semper: ergo nunquam tota errare potest. Nonne portæ inferi verè prævaluissent adversùs eam, si vel semel errâsset? Deus vult omnes homines salvos fieri: ergo omni tempore veram esse Ecclesiam.

Respondent alii 3.) Promissiones à Christo pro visibilis Ecclesiæ Infallibilitate factas esse sub conditione, videlicet Ecclesiam errare non posse, si sequatur Verbum Dei. *Contra* 1. Sic Christus Ecclesiæ suæ nihil promisisset; quia seclusis promissionibus verum est, Ecclesiam errare non posse, si sequatur Verbum Dei. 2. Si sequatur Verbum Dei, certum est, quòd errare non possit; id non controvertitur, sed hoc: utrum Ecclesia ità regatur à Spiritu Sancto, ut tota non possit non sequi Verbum Dei, tota non possit errare in fide? & affirmamus, vi promissionis divinæ in locis citatis.

Prob. 2. Pars II. Testimonio ipsiusmet Lutheri, qui *loc. citat.* dicit: *Ecclesia nec debet, nec potest errores docere, ne in unico quidem articulo.. Cùm os Dei sit os Ecclesiæ.* Dicent Lutherani: ipsum docuisse oppositum *Tom. 7. Wittenberg. fol. 464.* Ita est, sed, *infero:* ergo vel hìc vel ibi docuit falsum, sibi contradicens.

Prob. 2. Pars III. ad Adversarium: Ecclesia Catholica visibilis juxta te erravit: ergo etiam tua errare potest: ergo forte erravit, te non advertente, sicut dicis: Catholicam errâsse, multis non advertentibus: ergo non certus es, nec eris de veritate Ecclesiæ tuæ. *Si*

dicas: te ſequi purum Verbum Dei, ideóque in Vera eſſe Religione. *Contra:* Idem omnes dicunt & dixerunt Sectæ; & tamen errant, atque errârunt; quare tua non, ſi poſſit: Eccleſia Catholica non poteſt, ideóque Catholici ſunt ſecuri.

Objectiones Acatholicæ.

I. SYnagoga Judæorum defecit à fide, quando adoravit vitulum; item *3. Reg. 19.* ubi Elias queritur, ſe ſolum relictum: ergo etiam Eccleſia Chriſtianorum poteſt deficere. ℞. *Tr. Ant.* Extra Synagogam obtinere potuit beatitudo, ùt patet de non circumciſis; quid ergo refert, ſi deficere potuerit? tota tamen ante abrogationem Legis non defecit. *N. Conſ.* Quia Eccleſia habet promiſſionem de ſtabilitate, quam Synagoga non habuit.

II. Eccleſia comparatur lunæ, ùt patet ex Script. & PP. atqui luna aliquando deficit: ergo. ℞. (1.) Comparatur etiam ſoli *Pſal. 18.* qui non deficit. (2) Comparatur lunæ non per omnia, non in defectibilitate; ſed quatenus illuminatur à Chriſto, ſicut luna à ſole.

III. Tempore S. Hieronymi Eccleſia defecit ad Arianiſmum, ait enim: *Ingemuit totus orbis & ſe Arianum eſſe admiratus eſt.* ℞. S. Hieronymum loqui tropicè; totum orbem ſumendo pro magna parte. Apoſtoli tempore paſſionis quidem fugerunt, manſerunt tamen fideles, errantes in facto, non in fide.

IV. Fieri

IV. Fieri poteſt, ut tota Eccleſia viſibilis quoad publicum miniſterium erret in fide; hoc autem errante, non ſequitur errare totum populum & damnari. ℞. *N. totum:* Errante, ſi poſſet, toto publico miniſterio, errant omnes Paſtores & Eccleſiæ Doctores, atque his errantibus ex conſequenti totus errat populus, qui debet audire Paſtores ſuos. *Luc. 10.*

V. Hic Catholicus poteſt errare in fide, ille poteſt, iſte, & ſic de reliquis: ergo omnes. ℞. Poſſunt errare omnes diſtributivè, non omnes collectivè: à ſenſu diſtributivo ad collectivum hìc non valet conſequentia.

CONTROVERSIA IV.

De Capite Eccleſiæ, Romano Pontifice.

DOctrina Acatholica eſt: *Nullum datur in terra totius Eccleſiæ Caput, Chriſti Vicarium; ſed quilibet Rex, ſive Regina eſt Caput Eccleſiæ in ſuo regno, quilibet Dominus in ſua ditione.* Quis non inferat? *ergo quot Eccleſiæ, tot Capita; quot Capita, tot Sententiæ.* Pro Doctrina Catholica

Nota: Per Caput Eccleſiæ intelligi Eccleſiæ Gubernatorem, ac ſupremum ovium Chriſti ſive fidelium Paſtorem. De hoc

DOCTRINA CATHOLICA I.

Christus existens in terra erat Visibile Caput Ecclesiæ, nunc existens in cælo est Invisibile.

PRob. Christus est Caput Ecclesiæ: sic habetur *Coloss. 1. Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ.* In terra existens erat Visibile: nam visibiliter Ecclesiam fundavit, nova Sacramenta, novum Sacrificium & novas Leges Evangelicas instituendo, Ministros Ecclesiæ, nempe Apostolos ordinando Item visibiliter Eam gubernavit, docendo, monendo, corrigendo, Apostolos mittendo tanquam potestatem habens. In cœlo existens est Invisibile: nam invisibiliter Eam gubernat, gratiam, aliáque dona & quæ placita, influendo.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Post Ascensionem Christi Ecclesia militans habet aliquod Caput Visibile, quod Christi Vicarium.

PRob. I. Synagoga Judæorum, dum vera fuit Ecclesia, semper habuit Caput Visibile, nempe Summum Pontificem, ab eóque fuit gubernata, ùt patet *ex Vet. Testam.* cur non haberet Ecclesia Christi?

Respondent: Christum Ipsum esse Caput Ecclesiæ, adeo, ut non indigeat Visibili. *Contra:* Christus Messias etiam Synagoge fuit Caput Invi-

Invisibile quoad internum influxum gratiæ; unde enim hanc habuit, quam ex meritis Christi prævisis? & tamen, præter Christum Caput Invisibile, Synagoga habuit Visibile, nempe primitùs Moysen, & postea Pontifices quoad externam gubernationem: ergo similiter Ecclesia in novo Testamento habere debet.

II. Post Ascensionem Christus non amplius Ecclesiam suam visibiliter gubernat, & tamen Eam visibiliter gubernari postulat fidelium utilitas & fidei uniformitas. Vel dicant Adversarii: ad quid ipsis Superintendentes, Prædicantes & Rectores? ergo à Christo constitutum est Caput aliquod Ecclesiæ Visibile, Christi Vicarium, quoad externum regimen.

III. Ecclesia comparatur *Dan. 2. Regno. Joan. 10. Ovili. 1. Petri 3. Navi*; atqui in Regno est *Unus* Rex, quo absente est *Unus* Pro-Rex; in Ovili *Unus* Pastor; in Navi *Unus* Gubernator; ergo in Ecclesia tanquam Ovili est *Unus* omnium Pastor &c.

DOCTRINA CATHOLICA III.

S. Petrus Apostolus tenuit Primatum Ecclesiæ; sive: *fuit Caput Ecclesiæ, Pastor Ovium Christi & sic Vicarius illius in regenda Ecclesia.*

PRob. I. Christus dixit soli Petro *Joan. 21. Pasce Agnos meos, pasce Oves meas.* Qui sunt *Oves Christi*, nisi omnes omninò fideles, etiam Episcopi, etiam Reges? Quid est *pasce*, nisi sis Pastor

ſtor præcedendo, regendo, docendo, corrigendo &c.? ergo S. Petrus fuit Paſtor omnium Chriſti fidelium; atqui Paſtor omnium fidelium tenet Primatum Eccleſiæ, eſt Caput Eccleſiæ & Vicarius Chriſti: ergo hæc omnia conveniunt S. Petro.

II. Sancta Eccleſia poſt Aſcenſionem Chriſti habere debuit & jam debet Caput Viſibile Vicarium quoad externam gubernationem, ùt *ſupra*; ſed aliud aſſignari non poteſt, quàm S. Petrus & Ejusdem Succeſſores; cui enim dixit Chriſtus: *Paſce Oves meas*, niſi ſoli Petro? ergo.

DOCTRINA CATHOLICA IV.

Succeſſor S. Petri in Cathedra eſt Romanus Pontifex, Isque proinde Caput & Paſtor totius Eccleſiæ, Vicarius Chriſti.

PRob. I. Romanus Pontifex per legitimam electionem evehitur in Cathedram Petri, qui Romanam Eccleſiam rexit annis 22. & tandem Romæ per Martyrium ſub Nerone ſublatus eſt: ergo Succeſſor eſt Petri in Cathedra. Jam ſic: quando Chriſtus dixit Petro *Joan. 21. Paſce Oves meas*, non tantùm voluit paſci oves ſuas ad dies vitæ Petri, ſed etiam poſt mortem Ipſius: ergo debet eſſe aliquis Succeſſor Petri, qui ſit Vicarius Chriſti & Paſtor totius Eccleſiæ, ſicut fuerat Petrus; atqui Succeſſor ille eſt Romanus

manus Pontifex ſuccedens in Cathedra, quo enim jure alius? ergo.

II. Tum ex continua Romanorum Pontificum ſucceſſione à S. Petro uſque ad modernum CLEMENTEM XIII. Tum ex variis exercitiis hujus ſupremæ poteſtatis, conſtat enim, quod Romanus Pontifex alios Epiſcopos inſtituat, eos confirmet, Concilia indicat, Controverſias decidat & univerſam Eccleſiam regat.

Objectiones Acatholicæ.

I. ECcleſia Chriſti non eſt biceps; eſſet autem, ſi haberet duo Capita, nempe Chriſtum & Papam: ergo non habet. ℞. *N. min.* Mulier habet caput naturale, & *caput mulieris vir eſt. Epheſ. 5.* an ideo biceps? Item Regnum Siciliæ hodie Regem abſentem habet Carolum VI. Imperatorem, & Pro-Regem præſentem; non propterea biceps: ergo nec Eccleſia, quamvis habeat Caput Primarium & principale, quod Chriſtus; & Secundarium atque Miniſteriale, quod Romanus Pontifex.

II. Apoſtolus ſcribit *Rom. 12. Multi unum Corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra:* ergo ſinguli fideles, etiam Papa, ſunt Membra Eccleſiæ: ergo nullus Caput. ℞. *D. Conſ.* Quatenus Eccleſia per internum influxum gratiæ gubernatur inviſibiliter *C.* quatenus gubernatur viſibiliter *N.* Primo ſenſu Papa eſt Membrum, accipiens gratiam à Chriſto; ſecundo eſt Caput, authoritate participatâ gubernans.

III. Chri-

III. Christus reprehendit discipulos, contendentes de Primatu *Luc. 22.* ergo unus non est cæteris major. ℞. *N. Conf.* Contendere de Primatu non licet; an propterea non datur? dari supponit Christus, dicens *ibid. Qui major est, fiat sicut minor.*

IV. *1. Petri 2.* Jubemur subesse Regi quasi præcellenti: ergo potestas omnis, etiam Ecclesiastica, residet in Rege. ℞. *D. Ant.* In politicis *C.* In Ecclesiasticis *N.* Unde Regi Jurisdictio Ecclesiastica? Apostolis data est à Christo *Joan. 21.* nulli Principi sæculari.

V. Christus omnibus Apostolis æqualem dedit potestatem, dicens eis *Matth. 16. Docete omnes gentes. Joan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Matth. 18. Quæcunque alligaveritis &c.* ergo Petrus non habuit Primatum. ℞. *D. Ant.* In ratione Apostolatûs tanquam Legatis ad prædicandum & absolvendum *C.* in ratione officii pastoralis &c. *N.* nam soli Petro dixit: *Pasce Oves meas.* Similiter omnes Apostoli *Ephes. 2.* dicuntur *Fundamentum Ecclesiæ* non quasi Pastores totius Ecclesiæ, sed quatenus prædicaverunt Evangelium, propagârunt fidem, tanquam Legati per totum mundum.

VI. Apostoli miserunt Petrum cum Joanne in Samariam *Actor. 8.* Paulus resistit Petro in faciem *Gal. 2.* ergo signum est, Petrum non habuisse Primatum. ℞. *N. Conf.* Nam Apostoli miserunt Petrum suadendo, consulendo, non præcipiendo. Paulus resistit Petro, discretè corrigen-

rigendo ob incautè dissimulatum Judaismum cum scandalo Gentilium. Corrigere superiorem quandoque licet inferiori.

VII. Papa est Anti - Christus: ergo non Caput Ecclesiæ, nisi Ante-Christianæ. ℞. *Antecedens* est calumnia Prædicantium. Si nomine Anti - Christi intelligant illum, de quo *Dan. 7. Apocal. 12.* manifestè Papa non est Anti - Christus, nullo illi conveniente Anti - Christi Charactere. Si nomine Anti - Christi intelligant quemlibet, qui adversatur Christo, Anti - Christi sunt, non Papa, sed ipsimet, qui Apostatæ novam tradunt doctrinam, de quibus *1. Joan. 2. Nunc Anti - Christi multi sunt.* Cœterùm

Observa (1.) Si quis Pontifex illegitimè fuerit electus aut intrusus, Sedes vacavit, nisi postea fuerit acceptatus ab Universa Ecclesia. (2.) Pontifices Avenione in Gallia residentes fuerunt veri Episcopi Romani & Successores S. Petri. (3.) Tempore Schismatis, quo duo vel plures prætendunt Pontificatum, unus est verus Pontifex, licet non omnibus notus; si nullus sit verus, Sedes vacat. (4.) Circa Annum Christi 850. fœminam fuisse Papam, fabula est, de qua fusiús AA. & quid, si fuisset? error facti & Sedes vacâsset. (5.) Sit, Pontifices quosdam fuisse malos; Officium tamen, quod malus, nisi in externam labatur hæresim, retinet, sanctum est, indéque vocatur *Sanctissimus.*

CON-

CONTROVERSIA V.

De Summi Pontificis Infallibilitate.

DOctrina Acatholica: *Summus Pontifex nullatenus est Infallibilis.* Pro Catholica

Nota: Summum Pontificem tripliciter spectari posse: (1.) Ut est Persona seu Doctor privatus. (2.) Ut Caput est, & Pastor totius Ecclesiæ absque Concilio. (3.) Cum Concilio. In rebus fidei & morum loquitur ùt Doctor privatus, quando non intendit Universam Ecclesiam obligare ad indubitanter credendum, vel sequendum id, quod dicit; si verò definiat, volens Universam Ecclesiam docere & obligare, jam non loquitur ùt Doctor privatus, sed ùt Pastor universalis Ecclesiæ, sive, ùt dicitur, ex Cathedra.

DOCTRINA CATHOLICA:

Summus Pontifex, ùt Pastor Universalis Ecclesiæ loquens ex Cathedra, nequit errare in rebus fidei & decretis morum, etiam extra Concilium Generale.

PRob. I. Christus dixit Petro *Luc. 22. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi Christus priùs loquitur ad Ecclesiam, eam esse tentandam in fide, dicens: *Ecce Sathanas expetivit*

petivit vos. Deinde ad Petrum, indicans, quòd illi tanquam Capiti & Pastori totius Ecclesiæ, non membris, adeóque sine Concilio, petierit infallibilitatem his verbis: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Postea præcipit Ecclesiam docere & stabilire in fide, dicens: *Confirma fratres tuos.* *Infero*: ergo quilibet Summus Pontifex est infallibilis in rebus fidei; nam Privilegium, quod conceditur existenti in officio, conceditur etiam Successoribus; & Ecclesia semper indiget Pastore, qui eam infallibiliter confirmet in fide.

II. Christus dicens Petro *Matth. 16. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* & *Joan. 21. Pasce oves meas*, constituit Ipsum fundamentum Ecclesiæ & Pastorem omnium fidelium etiam extra Concilium: ergo hi tenentur Pastorem suum, etiam extra Concilium, sequi: ergo etiam extra Concilium est infallibilis; aliàs tota Ecclesia posset induci in errorem & deficere, quod est contra promissionem Christi, ùt *suprà.*

Objectiones Acatholicæ.

I. PONTIFEX definiens non accipit novam revelationem: ergo si potest errare ùt privatus, potest etiam ùt Pontifex. ℞. *N. Conf.* Etsi enim non accipiat novam revelationem, ita tamen illuminatur & dirigitur, ut definire non possit, nisi, quod revelatum est.

II. Pontifex definit liberè: ergo potest errare. ℞. Definit liberè quoad exercitium, non quoad

quoad ſpecificationem; nam definire poteſt, vel non definire; volens autem definire, non poteſt, niſi verum, ne Eccleſia inducatur in errorem.

III. Papa peccare poteſt contra juſtitiam, caſtitatem & alias virtutes, cur non contra fidem? ℞. Contra fidem peccare poteſt, docere non poteſt, ob rationes datas.

IV. S. Petrus coëgit Gentes judaizare, ideóque ei reſiſtit S. Paulus *Galat. 2.* ergo egit contra fidem. ℞. *D. Ant.* Coëgit Gentes judaizare prædicando, ſeu docendo Judaiſmum *N.* incautè cum Judæis converſando. *C.* Nam, Teſte Tertulliano, *converſationis fuit vitium, non prædicationis.* Petrus permittebat aliquas obſervantias Legis Judaicæ, ut paulatim Judæos converteret & aſſuefaceret Legi Evangelicæ; quia autem exinde Gentes arbitrabantur judaizandum eſſe, ideo Petrus ob converſationem incautam, non ob errorem in fide, fuit repræhenſus à Paulo.

V. Pontifices Romani ſæpius errârunt extra Concilium: ergo. ℞. *D. Ant.* In materia facti, prout Stephanus VI. erravit ſæviens in Formoſum Papam mortuum, acta ejus annullando *C.* In rebus fidei, definientes vel loquentes ex Cathedra *N.* De his fuſiùs Theologi & Hiſtorici. Hic inſuper

Obſerva 1. *Omnis homo mendax, Pſal. 115.* ſeclusâ aſſiſtentiâ Spiritûs Sancti. 2. Petrus negans Chriſtum non erravit in fide, ſed externâ tantùm

tantùm illius professione; si etiam in fide, quid tum? nondum erat Pontifex, nec errorem istum privatum docuit ex Cathedra. 3. Stante infallibilitate Pontificis non frustrà convocantur Concilia, sed ad veritatem magìs discutiendam, ad faciliorem executionem & efficaciorem Hæreticorum refutationem &c.

CONTROVERSIA VI.

De Vocatione & Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ.

DOctrina Acatholica: *Vocatio ad Ministerium fit per Ecclesiam, quæ constat ex Magistratu, Ministris Ecclesiæ & plebe* Hutter. Profess. Wittenberg. Wo ein Priester nicht fürhanden wäre, thut eben so viel ein jeglicher Christen-Mensch, ob er gleich ein Weib oder Kind wäre. Ita *D. Lutherus art. 13. Tom. 1. Jen. fol. 415.* Pro Doctrina Catholica

Nota 1. Vocationem Ministrorum Ecclesiæ (qui sunt Episcopi, Parochi & alii in Ordinibus constituti) aliam esse extraordinariam & immediatam, aliam ordinariam & mediatam: *Prima* fit à solo Deo; hâc vocati sunt Moyses, Prophetæ, Apostoli. *Secunda* fit ab hominibus authoritatem habentibus; hâc vocatur Parochus ab Episcopo, Episcopus à Pontifice, Pontifex à Collegio Cardinalium.

Nota 2. Ad Vocationem completam pertinere (1.) Electionem seu designationem personæ promovendæ. (2.) Personæ electæ Conse-

ſecrationem ſeu Ordinationem. (3.) Ejusdem miſſionem. In Ordinatione confertur *poteſtas Ordinis*, in miſſione *Juriſdictio*, aſſignando ſubditos, quos miſſus doceat, Sacramenta eis adminiſtret &c. Sic Chriſtus miſit Apoſtolos *Marc.* 16. dicens: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium &c.*

DOCTRINA CATHOLICA:

Ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ, eorúmque miſſio non pertinet ad Laicos, ſed ad ſolos Epiſcopos & Summum Pontificem.

PRob. I. Per Ordinationem Miniſtris Eccleſiæ confertur poteſtas ſupernaturalis & merè ſpiritualis, ùt patet; ſed hanc conferre non poſſunt Laici, utpote eam non habentes, nec ſubjectivè; aliàs Laici non eſſent: nec objectivè; nullibi enim in Scriptura poteſtatem illam conferre, Deus Laicis conceſſit, nec illi unquam in primitiva Eccleſia contulerunt: ergo Ordinatio Miniſtrorum non pertinet ad Laicos.

II. Quotquot tempore Apoſtolorum conſecrati ſunt Sacerdotes vel Epiſcopi, ſemper ab Epiſcopis, nunquam à Laicis conſecratos eſſe conſtat ex Sacra Scriptura: Sic Presbyteri Lyſtræ, Iconii & Antiochiæ conſecrati ſunt à Paulo & Barnaba *Actor.* 14. Sic Timotheus à cœtu Epiſcoporum conſecratus eſt Epiſcopus juxta illud 1. *Timoth.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt cum*

cum impositione manuum Presbyterii, id est, Episcoporum, ùt interpretatur Chrysost. & alii. Sic Christus consecravit Apostolos *Luc.* 22. Apostoli alios Episcopos, illi alios Sacerdotes & Episcopos, adeo, ut nullus in Ecclesia repertus sit Sacerdos vel Episcopus, qui ab alio, quàm Episcopo, fuerit consecratus, Sacerdos quidem ab uno, Episcopus à duobus vel tribus. Item in primitiva Ecclesia viguit lex, ut Sacerdotes & Clerici ab Episcopis ordinarentur: sic testantur Clemens Roman. *Constitut.* 2. *Apostol. Presbyter ab uno Episcopo ordinetur & Diaconus & reliqui Clerici.* Dionysius Areopag. *Eccles. Hierarch. cap.* 5. Ignatius *Epist. ad Smyrn.* & alii primitivæ Ecclesiæ Patres; ex his sic formo argumentum:

Si primitiva Ecclesia Apostolica agnoverit, facultatem ordinandi Sacerdotes ad solos pertinere Episcopos, omnémque Ordinationem non factam ab illis habuerit irritam, absque dubio facultas illa jure divino solis competit Episcopis; atqui sic agnovit primitiva Ecclesia, ùt patet ex præmissis: ergo.

Corollar. 1. Prædicantes Lutherani & Calviniani, qui vel à Magistratu, vel à populo, vel ab aliis Prædicantibus, vel à Monachis Apostatis ordinati sunt Sacerdotes, non sunt veri Sacerdotes; nec enim Lutherus & Calvinus potuerunt, nec ullus alius Sacerdos ab Ecclesia Catholica Apostata potest veros ordinare Sacerdotes; cùm ordinatio jure divino solis competat Episcopis. Scio; Superintendentes habent

bent Lutherani; sed quis consecravit eos? 2. Apud Lutheranos æquè Sacerdotes sunt sutores, sartores, vetulæ &c. *ex artic. 13. Lutheri citat.*

Objectiones Acatholicæ.

I. CHristus dicit *Joan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* ergo ad Eum spectat vocare & mittere Ecclesiæ Ministros. ℞. *D. Conf.* Ad Christum spectat vocare Apostolos & discipulos primos *C.* Omnes etiam alios, *subd.* mediatè *C.* immediatè *N.*

II. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: ita *Regula Juris;* sed missio Ministrorum omnes, nimirum Ecclesiam, tangit: ergo ℞. Quod omnes tangit activè, ab omnibus debet approbari *C.* quod passivè *N.* Vocatio Ministrorum non tangit omnes, nimirum Magistratum & plebem activè.

III. De multitudine credentium dicitur *Actor. 1. Statuerunt duos* scil. Mathiam & Barnabam. Item *Actor. 6. Elegerunt Stephanum:* ergo per Laicos factæ sunt Sacerdotum electiones. ℞. Factæ sunt electiones, hoc est, nominationes & præsentationes ordinandarum personarum, sicut etiamnum in Ecclesia Catholica Laici habent Jus Patronatûs; personæ autem præsentatæ postea ordinatæ sunt ab Apostolis vel Episcopis, ùt patet *ex Actor. 14.* & *ad Titum 1.* scribit ei Paulus: *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitatem Presbyteros.* Ad quid, si Magistratus & populus potuisset? Credo, potuisse Presbyteros

teros constituere Lutheranos, si Lutherani fuissent.

CONTROVERSIA VII.
De Cœlibatu Ministrorum Ecclesiæ.

DOctrina Acatholica: *Sacerdotibus licet contrahere matrimonium.* Ita *Confess. Augustan. artic. 2. de abusibus*: Ein Weib haben ist nöthiger dann Essen und Trincken. Ita Lutherus sacrilegum Veneris mancipium *Tom. 2. Jen.* von Ehelichem Leben. *fol. 147. de voto castitatis* inquit: Wann du weißlich geloben wilt in oder ausser dem Closter, so gelobe die Nasen dir selbst nicht abzubeissen, das kanst du halten. Ibid *fol. 150.* Freylich ists wahr, daß der buben muß, der nicht ehelich wird, wie solts anderst zugehen? *fol. 156.* Sed quid sequitur? Hoc: Lutheranos vel conjugatos esse, vel scortari.

DOCTRINA CATHOLICA:
Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi Jure Ecclesiastico obligantur ad cœlibatum, & rectè: ita, ut uxores ducere nequeant, vel si duxerint ante Ordinationem, eis uti non liceat.

PRob. I. Ecclesia potest Sacerdotes, aliósque Ministros obligare ad cœlibatum, & eos obligandi justam habuit causam: ergo rectè obligavit. (1.) Potest obligare: quia audienda

est præcipiente Christo *Matth.* 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; si audienda: ergo potestatem habet legislativam & obligativam ad honestum & licitum, uti est cœlibatus. (2.) Habuit justam causam obligandi: Tum propter functiones Sacerdotales; ut Ministri curâ conjugum & liberorum non implicati sanctè, expeditè & liberè valeant Sacramenta administrare, prædicare, studere, orare, infirmos visitare &c. Debent illi soliciti esse, quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo, *qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* 1. *Corinth.* 7. Tum propter reditus Ecclesiasticos; ut illi, qui in antiquis Canonibus dicuntur *Patrimonium Christi & pauperum*, non distrahantur, non impendantur conjugibus & prolibus. (3.) Ergo rectè obligavit: quod enim Ecclesia potuit, decuit; utique rectè fecit.

II S. Paulus suadet cœlibatum 1. *Corinth.* 7. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Ad *Tit.* 1. *Oportet Episcopum . . . esse continentem.* Antiqui Canones, & Concilia præcipiunt cœlibatum: S. Clemens *canon.* 27. *Apost.* Concilium Elibertinum Anno 313. *canon.* 33. Concilium Carthaginense 11. Anno 396. *canon.* 2. qui talis est: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant: ut, quod Apostoli docuerunt & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus.* Antiquitas servavit

cœli-

cœlibatum, teste *Concilio citato.* Jam sic: Quod Sacra Scriptura suadet, quod Canones antiqui & Concilia præcipiunt, quod Antiquitas servavit, vel servandum est vel non? si ita: ergo servandus est Clericis cœlibatus; si non: ergo primæva Ecclesia erravit, cœlibatum præcipiendo, Antiquitas servando; quod nemo sanæ mentis dixerit.

Objectiones Acatholicæ.

I. PAulus *1. Timoth. 4.* vocat doctrinam Dœmoniorum, quæ prohibet nubere. ℞. Vocat doctrinam Dœmoniorum, quæ *absolutè* prohibet nubere, quasi matrimonium in se sit malum; non verò illam, quæ *conditionatè* prohibet, nimirum, si quis susceperit vel suscipere velit Sacerdotium.

II. *Propter fornicationem unusquisque uxorem habeat. 1. Corinth. 7.* ergo etiam Sacerdos. ℞. Unusquisque habeat de præcepto *N.* de consilio *subd.* Si non impeditus sit voto, morbo vel aliter & uratur *C.* stante impedimento *N.*

III. *Non est bonum hominem esse solum. Genes. 2.* Unde præcepit Deus: *Crescite & multiplicamini Genes. 9.* ℞. Non est bonum, hominem luxuriosum, uti Lutherus, esse solum *C.* continentem *N.* Verbis citatis Deus solùm insinuare voluit, quòd in principio mundi viro necessaria fuerit uxor ad multiplicationem generis humani; hæc autem necessitas non urget in novo Testamento, dum S. Paulus affirmat: *Bonum est homi-*

homini, mulierem non tangere. 1. Corinth. 7. Illa autem verba: *Crescite & multiplicamini*, non mandatum, sed benedictionem præ se ferunt; vel si mandatum, illud in communi ad totum genus humanum dirigitur, non ad singulos in particulari; aliàs etiam ad Christum, ad S. Joannem Evangelistam &c.

IV. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum. 1. Timoth. 3.* ℟. Oportet esse unius uxoris virum non positivè, ut habeat, quia S. Paulus hoc scribens ipse uxorem non habuit, ùt patet ex *1. Corinth. 7.* sed negativè, ut non habeat vel habuerit successivè plures, aliàs esset Polygamus, qui irregularis; Monogamus potest ordinari, ita tamen, ut abstineat ab uxore.

V. Homo à natura est liber ad matrimonium: ergo Ecclesia nequit adimere libertatem contrahendi illud. ℟. Nequit adimere absolutè C. conditionatè *N.* Ecclesia neminem absolutè cogit ad cœlibatum, sed tantùm, si velit ordinari.

VI. Sacerdotes in Ecclesia Græca non obligantur ad cœlibatum, cur obligati essent in Latina? ℟. Lex cœlibatûs est Ecclesiastica, Ecclesia igitur ex causa permittere potest & permittit Græcis, ut uxores ante Ordinationem acceptas retineant, eisque uti valeant, excepto tempore vicis suæ, sicut in Veteri Testamento.

Corollar. Sacra Scriptura cœlibatum non præcipit, Ecclesiæ præcipere non prohibet.

CAPUT

CAPUT IV.

Controversiæ de Sacra Scriptura, Traditionibus, Judice Controversiarum & Sacramentis.

CONTROVERSIA I.

De Sacra Scriptura.

DOctrina Acatholica: *Sacra Scriptura est apud Lutheranos*, (ùt volunt Lutherani) *apud Calvinistas*, (ut Calvinistæ) *eáque dilucida & perspicua in locis omnibus, quæ de fide, æternáque salute agunt.* Pro Catholica

Nota: Quod Sacra Scriptura sit Verbum Dei, inspirante Spiritu Sancto, à Prophetis, Apostolis, aliísve Viris Sanctis Scriptum. Nomine Sacræ Scripturæ veniunt omnes Libri Biblici Veteris ac Novi Testamenti; quorum aliqui dicuntur *Canonici*, ii scilicet, de quibus Ecclesia testatur, esse divinos & qui velut Canon & Norma credendorum relati sunt in Catalogum Librorum sacrorum; alii sunt *Apocryphi*, qui vel positivè rejecti, vel nondum declarati tanquam sacri. *Canonici* sunt, qui in Bibliis vulgatæ editionis continentur, docente Concilio Tridentino *Seff.* 4. & jam olim circa Annum 402. docuit Innocentius I. *Apocryphi* sunt Libri: tertius & quartus Esdræ, tertius & quartus Machabæorum.

DOCTRINA CATHOLICA I.

Ecclesia Catholica authenticam habet Scripturam Sacram, legitimam illius Versionem & genuinum Sensum.

PRob. I. Dari Scripturam Sacram, & quæ sit illa, quæ legitima Versio & Sensus, non constat ex ipsa Scriptura, ùt certum est, sed per Ecclesiam, per quam Deus testatur. Jam sic: Illa Ecclesia authenticam habet Scripturam Sacram, Versionem & Sensum; quæ est infallibilis, habens assistentiam Spiritûs Sancti, & infallibiliter de illis testatur; atqui Ecclesia Catholica est tàlis, & ita testatur; ergo. Unde S. Augustinus ait: *Non crederem Evangelio, nisi moveret me Ecclesiæ Catholicæ authoritas.* Ita dicit, non quasi authoritas Ecclesiæ major sit, quàm authoritas Evangelii, sed quatenus de Evangelio nobis non constat, nisi per Ecclesiam, útque infallibiliter constet, Ecclesia debet esse infallibilis.

Doctrinæ Catholicæ suffragatur Lutherus ipse *Tom. 4. Jenens. fol. 320.* his verbis: Wir bekennen, daß im Pabstthum die rechte Heilige Schrifft seye, rechte Tauffe, rechte Sacrament des Altars, rechte Schlüssel zu Vergebung der Sünd 2c.

Corollar. Nec Lutherani, nec Calvinistæ probare possunt se veram habere Sacram Scripturam, minùs authenticam versionem & genui-

num

num ſenſum: Probare non poſſunt 1.) ex ipſa Scriptura; nullibi enim dicit, hos vel illos Libros eſſe divinos: imò dicere non ſufficit; aliàs Alcoranum Turcarum, & Thalmud Judæorum eſſent Scriptura divina. 2.) Non ex authoritate Eccleſiæ: hæc enim juxta illos errare poteſt & quodlibet ejus Teſtimonium eſt humanum. 3.) Non ex privato Spiritu, nec ex Prædicantium judicio: hoc enim eſt fallibile, & de interno Spiritu non conſtat. Certè omnes Nationes allegare poſſunt internum Spiritum, minimè tamen omnes habent Scripturam divinam. 4.) Non aliunde: unde enim? nihil juxta Lutheranos & Lutherum *Tom. Jenenſ. fol. 141.* docendum eſt aut tenendum, niſi clarè contineatur in Sacra Scriptura; in hac autem minimè continetur, qui Libri ſint divini: quid igitur mirum, Biblia Lutheri toties eſſe mutata per additionem, corruptionem &c. de quibus *Becanus in Manuali lib. 1. cap. 1.*

DOCTRINA CATHOLICA II.

Sacra Scriptura non eſt in omnibus clara, etiam in multis ad ſalutem ſcitu, creditúque, ſi proponantur neceſſariis.

PRimam partem, Scripturam non eſſe in omnibus claram, plerique fatentur Adverſarii. Itaque

Prob. 2.

Prob. 2. Pars: S. Petrus *in Epist. sua 2. cap. 3.* de Epistolis S. Pauli ait: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Si quædam difficilia: ergo non in omnibus est clara. Si indocti depravent ad suam perditionem: ergo non clara in omnibus pertinentibus ad salutem.

Prob. II. Multi sunt Articuli, de quibus inter Catholicos & Adversarios, multi, de quibus inter Lutheranos & Calvinistas est controversia. Jam sic: nonne Articuli illi pertinent ad fidem? imò; aliàs omnium una fides: an de illis clara est Scriptura? minimè; cur enim in illis explicandis & probandis adeo laborant cujuslibet Religionis Academiæ? cur congregata tot Concilia? cur tam multi errant, tam multæ hæreses? utique quia Articuli controversi non clarè exprimuntur in Scriptura; imò ex ea manifestè infero, quod est contrarium Articulis communiter admitti solitis: Dicit Christus *Joan. 14. Pater major me est.* *Infero:* ergo non est illi æqualis, nec Deus. Dicit *Luc. 14. Qui non odit Patrem suum & matrem suam non potest meus esse discipulus.* *Infero:* ergo Parentes sunt odio habendi. Dicit Psalmista *Psal. 1. Non resurgent impii in judicio.* *Infero:* ergo extremum judicium non est universale &c. Has similésque illationes Adversarii non admittunt: ergo nec admittere possunt, Scripturam in omnibus ad fidem & mores pertinentibus esse claram.

Respon-

Respondent Adversarii 1. Scripturam esse claram fidelibus devotè & attentè legentibus. *Contra*: Scriptura non est in se ubique clara, ùt patet ex repugnantia variorum Textuum: ergo nec devotè legentibus. Si clara: ad quid Lutheri & tot Sectariorum Commentarii in Sacram Scripturam?

Respondent 2. Scripturam clarè se ipsam explicare, Textum per Textum. *Contra* (1.) Scriptura sæpe non magis est pro uno Textu, quàm pro alio. (2.) Aliter Textum & Textum intelligunt Catholici, aliter Lutherani, aliter Calvinistæ; an hi rectè & non illi vel isti, ubi scriptum? (3.) Si Textus explicandus per - vel ad Textum, priùs certò constare debet, quisnam sit clarior, & verior, & uter explicandus ad alium: v. gr. an hic: *Rom. 3. Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus*, ad illum: *Rom. 2. Factores Legis justificabuntur*, an vice versâ; ex sola autem Scriptura non constat.

Objectiones Acatholicæ.

I. PSalmista testatur *Psal. 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* & *Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum*: ergo Scriptura est clara. ℞. Idem Psalmista dicit *Psal. citat. Da mihi intellectum & discam mandata tua.* Igitur Scriptura est clara in aliquibus & lucerna, non in omnibus, nisi post interpretationem.

II. *Jerem. 31.* dicit Dominus: *Dabo Legem meam in visceribus eorum . . . & non docebit ultra vir proxi-*

proximum suum & vir fratrem suum : ergo Lex Domini omnino clara est. ℟. Ad quid igitur Prædicantes? quid prædicabunt & cur, si non docebit vir proximum? 2. Lex Decalogi est clara saltem quoad sensum explicitum, non sequitur: ergo tota Scriptura.

III. Scriptura est Testamentum, illud autem oportet esse clarum, ne lites generet & jurgia. ℟. Verum est de Testamento humano: quia post mortem testatoris non est, qui explicet; secus est de Testamento divino.

IV. Est inconveniens, Verbum Dei esse obscurum; vult enim Deus, ut intelligamus & conformiter vivamus. ℟. *N. Ass.* Causa obscuritatis potior est, ut omnes unanimiter juxta sensum Ecclesiæ interpretantis intelligant, non quilibet suam sequatur mentem, juxta illud Pauli *1. Corinth. 12. Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* quasi diceret: *Non.*

CONTROVERSIA II.

De Traditionibus.

DOctrina Acatholica: Nichts ist zu lehren, oder zu halten, was nicht klar in der Schrifft stehet. Lutherus *Tom. 2. Jenens. fol. 141.* Frey, frey, frey wollen und sollen wir seyn in allen, das ausser der Schrifft ist; Trutz der es uns wähle. *ibidem.* Pro Catholica

Nota: Traditiones sunt doctrina sacra, quæ in aliquo Libro Canonico Sacræ Scripturæ non habe-

habetur ſcripta, ſed ab initio ſolis verbis fuit tradita & ab uno ad alium, de aure in aurem, uſque ad nos pervenit. Traditio dividitur in Divinam, Apoſtolicam & Eccleſiaſticam: *Prima* eſt immediatè à Deo vel Chriſto; *Secunda* ab Apoſtolis; *Tertia* ab Eccleſia. De prima controvertitur: an præter Verbum Déi ſcriptum detur non ſcriptum, quod ejusdem cum ſcripto ſit authoritatis, ſive: an dentur Traditiones, eæque ſint obſervandæ.

DOCTRINA CATHOLICA:

Traditiones ſunt tenendæ.

PRob. I. Ex Apoſt. 2. *Theſſal.* 2. *Itaque Fratres ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* In quem locum inquit S. Chryſoſt. *Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis; eâdem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta:* quia utraque Dominus locutus eſt.

II. Fide infallibili credimus, quæ continentur in Sacra Scriptura: ergo eâdem fide prius certi eſſe debemus, quòd detur Sacra Scriptura & quæ ſit illa; quomodo enim poteris credere contenta in Scriptura, non priùs credens ipſam Scripturam? atqui de Scriptura certi non ſumus fide infallibili, niſi per Traditiones Divinas, infallibilem habentes authoritatem: ergo ſunt admittendæ.

III. Verbum Dei ſcriptum admittimus, eique credimus, non quia ſcriptum, ſed quia Domi-

Dominus verax locutus; atqui etiam non ſcriptum eſt locutus: ergo. Si neges, dari Verbum Dei non ſcriptum, quæro 1.) Unde tibi conſtat, dari Verbum Dei ſcriptum? nonne per Eccleſiam infallibiliter teſtantem? utique. *Subſumo:* atqui per eandem à primis ſæculis Chriſtianis conſtat, dari Verbum Dei non ſcriptum, ſive Traditiones: ergo. 2.) Unde tibi conſtat, quòd hi vel illi Libri ſint Biblici & Canonici; quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre, Filióque; quòd in Chriſto una ſit Perſona & duæ Naturæ; quod infantes baptizandi; quòd loco Sabbathi celebranda ſit dies Dominica &c. certè non conſtat ex Verbo Dei ſcripto, ſed tradito: ergo præfatos admittens articulos, exercitè admittis Traditiones.

Objectiones Acatholicæ.

I. PRohibet Deus *Deuteronom. 4. Non addetis ad Verbum, quod loquor.* ℞. Traditiones non adduntur ad Verbum, quod Deus loquitur; quia ſunt ipſum, ſed non ſcriptum.

II. S. Paulus *Galat. 1* ſcribit: *Licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, Anathema ſit.* ℞. 1. Etiam Verbum Dei non ſcriptum eſt evangelizatum; non enim omnia, quæ evangelizaverunt Apoſtoli, ſunt ſcripta, ùt patet *Joan. cap. & verſu ult.* Dixit illis JEſus: *prædicate;* non: *ſcribite* 2. Anathema dicitur, qui contrarium evangelizaverit; Traditiones autem non ſunt contrariæ Verbo evangelizato.

III. Tra-

III. Traditiones reprehenduntur *Matth. 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* ℞. Reprehenduntur Traditiones Judaicæ & superstitiosæ, non Divinæ vel Apostolicæ.

IV. Non potest certò constare, quæ sint Traditiones Divinæ vel Apostolicæ. ℞. Constat per Ecclesiam, Spiritu Sancto eam docente omnem veritatem *Joan. 16.* Quando igitur universalis Ecclesia tenet aliquid tanquam de fide, quod non reperitur in Sacra Scriptura; vel servat aliquid non scriptum, quod à solo Deo potuit constitui, ùt: *baptizari parvulos nondum credentes*, habetur id per Traditionem Divinam. Quando observatur aliquid, quod institui potuit ab Apostolis, ùt Episcopis; nec scitur institutionis initium, ùt: jejunium quadragesimale, quatuor temporum, habetur id per Traditiones Apostolicas: quando introductum per Ecclesiam, habetur per Ecclesiasticas.

CONTROVERSIA III.

De Judice Controversiarum.

DOctrina Acatholica: *Sacra Scriptura est Norma & Judex Controversiarum Ecclesiasticarum.* Hutter. *Dr. Wittenberg. in Compend. Locor. Theolog.* Sed *Contra:* Si Norma, non est Judex; si Judex, non est Norma; etenim Norma est, juxta quam deciditur Controversia; Judex est, qui decidit. Pro doctrina Catholica

Nota: In Judice Controversiarum quatuor requiri Dotes: (1.) Ut non detur ab eo Appellatio; aliàs non esset finis Controversiæ. (2.) Ut sententiam ferre possit in quavis materia; aliàs alius quærendus esset Judex. (3.) Ut sententiam pronunciet clarè; aliàs partibus non constaret, an pro hac vel illa pronunciata. (4.) Ut sit infallibilis; aliàs fallere posset in fide & falli Ecclesia. Controversia est: Quis sit ille?

DOCTRINA CATHOLICA:

Supremus Controversiarum Judex non est Scriptura Sacra, sed Summus Pontifex & Ecclesia.

PRob. I. Scriptura Sacra tantùm est Norma, juxta quam Judex judicare debet: ergo non ipse Judex. Quis dicat, jus civile esse judicem? Norma est: sic & Scriptura, juxta quam judicandum; constituitur tamen præter Legem Civilem scriptam aliquis Judex litium in civilibus: ergo similiter præter Scripturam Sacram constitutus est Judex controversiarum in Ecclesiasticis; Quis ille? utique Summus Pontifex, cui in Petro à Christo dictum: *Pasce oves meas. Joan. 21. Confirma fratres tuos. Luc. 22. Quodcunque solveris, erit solutum. Matth. 16.*

II. Sacra Scriptura non de qualibet potest Controversia ferre sententiam: Controversiæ sunt: *Quinam Libri Scripturæ sint Canonici? Quæ Scrip-*

Scripturæ editio sit authentica? Quot sint Sacramenta? Dicant Adversarii: ubi Scriptura decidit? nullibi: ergo non est Judex Controversiarum. *Item:* Scriptura non pronunciat sententiam tam claré, ut cuique partium certò constet, an sit pro-vel contra se: controvertunt Lutherani & Calvinistæ de reali præsentia Christi in Eucharistia; si Scriptura Judex, claréque pronunciet sententiam, vel stulti sunt, quòd non intelligant; vel pertinaces, quòd non acquiescant: si neutrum velint, fateantur Scripturam non esse Judicem controversiarum.

III. Summo Pontifici conveniunt 4. Dotes in Judice Controversiarum requisitæ; de quibus *in Not.* & patet *ex Cap. III. Controvers. IV. De Capite Ecclesiæ. Item:* A tempore Apostolorum usque modò Controversiæ sunt decisæ per Summum Pontificem & Ecclesiam: Controversia de legalibus, observandis vel non, delata est ad Concilium Apostolorum & ab eo decisa *Actor. 15.* Similiter aliæ Controversiæ post tempora Apostolorum exortæ à Pontifice Romano vel à Conciliis ab eo approbatis sunt decisæ, ùt notum est *ex Historiis Ecclesiast.* Arius, Nestorius, aliique Hæresiarchæ sunt damnati tanquam Hæretici; & rectè, etiam juxta Lutheranos & Calvinistas: ergo Judex Controversiarum semper fuit & hodie est Summus Pontifex & Ecclesia, nimirum Concilium à Pontifice approbatum, Ecclesiam repræsentans.

Objectiones Acatholicæ.

I. CHristus remittit ad Scripturam *Joan. 5. Scrutamini Scripturas.* ℟. Judæos remisit ad Scripturam tanquam ad Judicem *N.* tanquam ad testem *C.* Volebat eos testimonio Scripturarum convinci de adventu Messiæ. Judex allegat legem, an lex propterea Judex? minimè.

II. Beroënses *Actor. 17. erant quotidie scrutantes Scripturas, si se ita hæc haberent*, scil. quæ dicebantur à Paulo: ergo Scripturam agnoverunt pro Judice Controversiarum. ℟. Erant scrutantes Scripturam tanquam Judicem *N.* tanquam Normam, utrum Paulus juxta eam diceret *C.*

III. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum & corripiendum 2. Timoth. 3.* ergo non opus est alio Judice. ℟. 1.) *Retorq.* Jus civile utile est ad docendum, arguendum &c. ergo non opus est judice. Si valet consequentia: quare Lutherani & Calvinistæ præter jus habent judices? Si non valet: etiam non valet in objectione. 2.) Scriptura utilis est, sed non sufficiens se solâ; etiam admittendæ sunt Traditiones, ùt *suprà*, & necessarius Judex distinctus, quando oritur Controversia.

IV. Summus Pontifex decidere debet & definire juxta Scripturam: ergo potiùs hæc decidit, éstque Judex, quàm ille. ℟. *D. Cons.* Ergo Scriptura decidit tanquam Norma, juxta quam, *C.* tanquam Judex, qui, *N.*

V. Si Pontifex judicet de Scripturis, est supra Scripturam; quod falsum. ℟. Si judicet

cet de Scripturis, an veræ vel falsæ, potens eas tollere vel mutare *C.* Si judicet tantùm de sensu earum, sicut Judex de legibus, qualiter sint intelligendæ. *N.*

VI. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed Unctio docet vos de omnibus, 1. Joan. 2.* ad quid ergo alius Judex? ℞. *vers. præced. 26.* ait S. Joannes: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Unde Versûs objecti sensus est: *Non necessè habetis, ut Pseudo-Apostoli & Hæretici Seductores doceant vos fidem Christi, sed unctio Spiritûs Sancti docet vos per Apostolos, quos Christus misit, Marc. 16.* ita Bellarmin. *lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.*

CONTROVERSIA IV.

De Numero Sacramentorum.

DOctrina Acatholica: Die Schrifft hat nicht mehr dann zwey Sacrament, die Tauffe und den Tisch des HErrn. Ita Luther. *Tom. 2. Jenens. fol. 209.* ast *in lib. de capt. Bab.* adstruit unum, *in lib. de Missa Angular.* tria. Lutherani *in Apologia Confess. Augustan.* ponunt tria his verbis: *Verè sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio.*

DOCTRINA CATHOLICA:

In Lege nova sunt septem Sacramenta: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

PRob. in Sacra Scriptura nomen Sacramenti soli tribuitur Matrimonio, non Baptismo,

non Cœnæ, nec alteri ritui; unde ergo ſcire poſſumus, quæ ſint Sacramenta & quot? Scimus 1. ex perpetua Eccleſiæ Traditione & SS. Patrum conſenſu apud Coturium *in Epitome Controverſ.* Eccleſia primitiva ſeptem Sacramenta tenuit; Sectarii oſtendere nequeunt, quandonam aliquod ex ſeptem nominatis haberi cœperit Sacramentum, ita, ut antea non fuerit: ergo ſeptenarius Sacramentorum numerus deſcendit à Chriſto & Apoſtolis. Scimus 2. ex definitione Sacramenti; quæ illa? Apologia Confeſſ. Auguſtin. *pag. 200.* ponit hanc: *Sacramenta ſunt Ritus, qui habent mandatum Dei & quibus addita eſt promiſſio gratiæ.* *Infero*: ergo ad Sacramentum requiruntur ſolùm tria; (1.) *Ut ſit ſignum ſenſibile ſeu ritus externus.* (2.) *Ut habeat promiſſionem gratiæ* (3.) *Ut ſit à Chriſto inſtitutum.* Jam ſubſumo; atqui hæc conveniunt ſeptem Sacramentis nominatis: ergo. 1.) Conveniunt *Baptiſmo & Cœnæ*, ùt fatentur Adverſarii. 2.) Conveniunt *Confirmationi*; Ritus externus eſt manuum impoſitio, *Actor. 8.* Promiſſio gratiæ eſt acceptio Spiritûs Sancti, *ibid. verſ. 17.* Mandatum ſeu inſtitutum Chriſti deducitur ex facto Apoſtolorum, qui baptizatis manus non impoſuiſſent ad accipiendum Spiritum Sanctum, niſi Dominus mandâſſet. 3.) Conveniunt *Pœnitentiæ*: Ritus externus & promiſſio gratiæ patent *ex Joan. 20 Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? ergo inſtitutio eſt à Deo; & mandatum habetur

Matth. 3.

Matth. 3. Pœnitentiam agite. 4.) Conveniunt *extremæ Unctioni*: Ritus externus est Unctio, quæ exprimitur *Jacob. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo.* Promissio gratiæ additur his verbis: *Alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur.* Hic effectus est à Deo: ergo etiam institutio. 5.) Conveniunt *Ordini*: Ritus externus est manuum impositio, *1. Timoth. 4.* ubi additur promissio gratiæ; institutio patet ex illo *Ephes. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c.* 6.) Conveniunt *Matrimonio*: Ritus externus est contractus; promissio gratiæ & institutio sumuntur ex illo *Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est &c.*

Objectiones Acatholicæ.

I. UBi scriptum: septem esse Sacramenta? ℞. Ubi scriptum: esse duo vel tria? Hoc nullibi in Bibliis, illud, nimirum esse septem, in illis saltem implicitè & quoad rem, ùt *suprà.* Septem tradit Ecclesia & consentiunt Patres, qui tametsi non uno, eodémque loco omnia septem quandoque expresserint, diversis tamen locis omnium meminerunt.

II. Ordo & Matrimonium jam fuerunt in Veteri Lege & non fuerunt Sacramenta: ergo nec modò sunt. ℞. *N. Conf.* in Lege Veteri defuit institutio divina, in nova habetur. Matrimonium ab initio fuit institutum à Deo solùm in ratione contractûs, prohibetur Sacerdotibus, quatenus impedit Sacerdotale Officium.

CONTROVERSIA V.

De reali Præſentia Chriſti in Eucharistia.

DOctrina Calviniſtica & Zwingliana eſt: *Corpus & Sanguis Chriſti non ſunt in Euchariſtia, niſi figuratè, quatenus panis & vinum ſunt ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti, adeóque tantùm ſumuntur ſpiritualiter & per fidem.* Calvin. *lib. 4. inſtitut. cap. 17.* Doctrina Lutherana eſt: *Chriſtus realiter eſt in Sacramento in - cum - & ſub pane & vino, non tamen extra actionem Cœnæ Dominicæ. Apologia Confeſſ. Auguſtan. pag. 157.*

DOCTRINA CATHOLICA I.

Corpus & Sanguis Chriſti realiter ſunt in Euchariſtia.

PRob. I. Chriſtus promiſit *Joan. 6. Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Et poſtea inſtituens Sacramentum clariſſimè dixit *Matth. 26. Luc. 22. Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Denique Apoſtoli & Chriſti Diſcipuli communicantes idem agnoverunt *1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* ergo Corpus & Sanguis Chriſti vel realiter ſunt in Euchariſtia, vel verba iſta ſunt falſa.

Reſpondent: Chriſtum *Joan. 6.* promiſiſſe manducationem ſpiritualem; & *Luc. 22.* locutum eſſe

esse figuratè hoc sensu: *Hoc est figura Corporis mei;* sive: *significat Corpus meum. Contra est* 1. Non licet Scripturam detorquere ad sensum improprium & tropicum, nisi contradictio postulet aut inconvenientia; quid aliàs ex Scriptura habebimus? quis convincetur? Verba autem citata in proprio sensu accipi, nihil obstat. 2. Quæ in Scriptura de hoc Sacramento dicuntur, non conveniunt figuræ, sed ipsi Corpori & Sanguini, v. gr. quòd Corpus tradetur, Sanguis effundetur, quòd vitam det manducantibus, quòd indignè manducantes judicium sibi manducent &c.

Prob. II. Ecclesia Christi à temporibus Apostolorum ubique & semper credidit ac tradidit Christum realiter & substantialiter esse in Sacramento: ita testantur S. Clemens D. Petri discipulus *in Constitut. Apostol. lib. 8. cap. 14.* S. Dionys. *Eccles. Hierarch. cap. 3.* S. Damascen. *lib. 4. Orthod. fidei. cap. 14.* Concilium Nicæn. II. *act. 6.* his verbis: *Dixit: accipite, edite, hoc est Corpus meum &c. non dixit: sumite, edite imaginem Corporis mei.* Sic & alii PP. his autem contraire, perire est.

Prob. III. In contestationem præsentiæ Christi Deus varia fecit miracula: dum visibiliter Christus apparuit in Hostia consecrata, aut loco vini Sanguis; dum agnitus est & veneratus etiam à brutis; dum Judæi, Christum in Hostia configere tentantes, effluxo Sanguine,

igne de cœlo sunt consumpti, similésque Sacrilegi puniti &c.

Dicent Calvinistæ: Miracula illa esse præstigias dœmonum & illusiones. Sed quibus credes: an Calvinistis pro foro suo frivolè negantibus; an antiquæ Ecclesiæ, Sanctis Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis affirmantibus? Si præstigiæ sunt dœmonis: cur easdem non molitur pariter apud Lutheranos realem præsentiam etiam admittentes? non molitur; quia miracula circa Eucharistiam sunt à Deo: non sunt apud Lutheranos; quia defectu Sacerdotii non habent nisi panem: sed apud Catholicos; quia verum, ùt sequitur, habent Sacramentum.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Post Consecrationem de Pane & Vino sola remanent accidentia & sub illis Corpus & Sanguis Christi.

PRob. Christus dixit *Matth. 26. Hoc est Corpus meum:* ergo substantia panis fuerat mutata. *Prob. Cons.* Si non mutata; ergo sensus verborum istorum fuit: *hic panis est Corpus meum;* atqui hic sensus est falsus, quia prædicatum non identificatur subjecto: ergo, ut vera sint Verba Christi, debet facta fuisse Transsubstantiatio.

Confirm. Tenens spongiam aquâ plenam non potest dicere: *hoc est aqua;* quia pronomen *hoc* demonstrat spongiam, quæ non est aqua: ergo etiam Christus, tenens panem cum Cor-

Corpore suo, non potuit dicere: *Hoc est Corpus meum*; quia pronomen *hoc* demonstrâsset panem, qui non est Corpus Christi.

DOCTRINA CATHOLICA III.

Corpus & Sanguis Christi adsunt statim post Consecrationem, adeóque etiam extra usum.

PRob. I. Corpus Christi in Eucharistia ponitur vi verborum ejus: *Hoc est Corpus meum.* Jam sic: Verba illa sunt de præsenti; non enim Christus dixit: *Hoc erit* - sed: *est Corpus meum.* Item sunt absoluta, non enim dixit conditionatè: *est, si manducabitis.* Idem est de consecratione Calicis: ergo prolatis Verbis Consecrationis statim adsunt Corpus & Sanguis Christi; si non: certissimè Verba Consecrationis sunt falsa; quia dicunt esse Corpus, & non est.

II. Ante manducationem dixit Christus: *Hoc est Corpus meum:* ergo etiam fuit; cibus enim non fit per manducationem, sed ante datur. Item Christus dixit *Matth. 26. Bibite ex hoc omnes.* Causam subdit; *Hic enim est Sanguis meus:* ergo fuit; quomodo aliàs movisset ad bibendum?

III. Ex Luthero contra Lutheranos; Is *Tom. 2. Jenens. fol. 207.* ait: Man soll die nicht verdammen, noch Ketzer schelten, welche das Sacrament anbäten. Et *ad marginem:* Das Sacrament anbäten, oder nicht anbäten soll frey seyn, weils nicht gebotten. *Subsumo;* atqui Sacramen-

tum

tum adoramus non in alterius gutture, non in stomacho, sed extra usum in Altari: ergo extra usum præsens est Christus Dominus; aliàs adorantes essent idololatræ, & adorare, quod concedit Lutherus, non liceret.

Objectiones Acatholicæ.

I. CHristus Capharnaitis in verbo de manducanda Carne sua scandalizatis respondit *Joan. 6. Spiritus est, qui vivificat, Caro non prodest quidquam:* ergo insinuat, Carnem suam esse spiritualiter sumendam. ℞. Caro non prodest quidquam ad vitam spiritualem sumpta materialiter ad modum alterius carnis, ùt sumendam putabant Capharnaitæ; prodest sumpta Sacramentaliter, ùt sumi voluit Christus & prodesse docuit *Joan. 6.* dicens: *Qui manducat meam Carnem . . . habet vitam æternam.*

II. *1. Corinth. 10. Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt & eundem potum spiritualem biberunt;* sed illi in veteri Lege non manducaverunt Corpus Christi ore: ergo nec nos manducamus. ℞. Eandem escam manducaverunt inter se *C.* nobiscum *subd.* eodem modo *N.* diverso *C.* Illi in figura per Manna, nos in figurato, quod Christus sub Speciebus consecratis.

III. Eucharistia appellatur *Panis, 1. Corinth. 10.* *Genimen vitis, Marc. 14.* ergo est sinè - vel cum Corpore & Sanguine Christi. ℞. Sic appellari propter conversionis terminum *à quo*, sicut *Genes. 2.*

neſ. 2. Eva dicitur *os*, quia ex oſſe; vel per analogiam, quia cibus ſpiritualis; vel ratione Specierum.

IV. Chriſtus aſcendit in cœlum: ergo vel cœlum deſerit, vel ſimul eſt in pluribus locis. ℞. Quando *Actor. 9.* apparebat Saulo, non deſerebat cœlum: ſic non deſerit, quando adeſt in Euchariſtia; eſt igitur ſimul in pluribus locis, quod ſupernaturaliter fieri non repugnat.

V. Ex reali præſentia ſequuntur abſurda, v. gr. Chriſtum deſcendere in ſtomachos valde fœtidos, impiorum manibus contrectari, in locis immundis ſolum detineri, à muribus poſſe corrodi, cremari &c. ℞. Chriſtus, qui ex nimia charitate vult nobiſcum eſſe uſque ad conſummationem ſæculi, *Matth. 28.* nihil inde patitur; cùm Corpus Ejus ſit glorioſum, & partes Ejus non extenſæ localiter: ſicut non inficitur radius ſolis tranſiens per cloacam. Si Hoſtia corrodatur, cremetur, frangatur, putreſcat, generentur vermes, ejuſmodi non afficiunt Corpus Chriſti, ſed Species panis & vini.

VI. Accidentia panis manent in Euchariſtia: ergo etiam ſubſtantia panis; eſt enim eorum ſubjectum, ſinè quo eſſe non poſſunt. ℞. *N. Conſ.* Accidentia non poſſunt eſſe ſinè ſubjecto ſubſtantiali naturaliter *C.* ſupernaturaliter *N.* De eſſentia accidentis non eſt ineſſe actualiter, ſed aptitudinaliter.

VII. Chriſtus, ùt habetur *Matth. 26.* priùs dixit: *accipite & comedite*, poſtea: *Hoc eſt Corpus meum:*

meum: ergo Corpus Chriſti non fit ante comeſtionem. ℞. *N. Conſ.* Chriſtus per verba: *Hoc eſt enim Corpus meum*: *Hic eſt enim Sanguis meus*, Apoſtolos movere voluit ad comedendum & bibendum, út patet ex particula *enim*: ergo ante comeſtionem ea protulit; quomodo alias moviſſent? adeóque & antè Corpus Chriſti fuit. *Nota*: priùs dixit, *comedite*, quàm *Hoc eſt Corpus meum &c.* ſed non prius comederunt, quàm dixerit: *Hoc eſt Corpus meum.*

VIII. Baptiſmus non eſt Sacramentum extra actionem: ergo nec Euchariſtia. ℞. *N. Conſ.* Baptiſmus conſiſtit in ablutione & verbis, quæ tranſeunt; Euchariſtia in Speciebus conſecratis, Corpore & Sanguine Chriſti, quæ permanent.

IX. Chriſtus non inſtituít Sacramentum, ut aſſervetur & adoretur. Ita *Luther. citat.* ℞. Etiam non inhibuit; utrumque conſequens eſt ad inſtitutionem, & laudabile: ergo benè fit. Aſſervabatur in principio Eccleſiæ Chriſtianæ, quare jam non? *Dicis*: præcepta eſt manducatio. *Dico*: ſed non, ut ſtatim fiat; cibus aliquamdiu aſſervari poteſt. Si Species quandoque ſinè manducatione corrumpantur, culpa eſt aſſervantium. Adorandus eſt Chriſtus ubique, quare non in Euchariſtia? *Dicis*: non eſt præceptum. *Dico*: an ideo non poteſt? Si non debet, tamen, ùt fatetur Lutherus, poteſt.

CON-

CONTROVERSIA VI.

De Communione sub utraque Specie.

DOctrina Acatholica: Es sollen nach Christi Ordnung beyde Gestalt begehrt und gereichet werden. Dr. Luther. *Tom. 3. Jenens. fol. 274.* Luthero consentiunt Lutherani, Lutheranis Calvinistæ.

DOCTRINA CATHOLICA I.

Nullum extat præceptum divinum, omnes fideles obligans ad Communionem sub utraque Specie.

PRob. I. Ejusmodi præceptum nec in Scripturis reperitur; nec ex majorum Traditione habetur; nec Ecclesia unquam agnovit: ergo non extat. *Antecedens* patet à posteriori: Apostoli distribuerunt Eucharistiam sub Specie panis tantùm: nam *Actor. 2. Erant perseverantes* (primi Christiani) *in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*, intellige, Eucharistici, juxta illud *1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Item primis Sæculis fideles Sacramentum sub Specie Panis portaverunt ad ædes, ad eremum, asservaverunt & in necessitate sumpserunt, ùt testantur Concilia & PP. ergo primitiva Ecclesia non agnovit præceptum communicandi sub utraque Specie: adeóque non extat.

II. Chri-

II. Christus Ipse communionem sub una Specie approbavit tum facto, tum verbo; verbo: quando sub una specie communicantibus promisit vitam æternam *Joan. 6. Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Facto: quando Eucharistiam sub una Specie dedit discipulis in Emaus *Luc. 24. accepit panem & benedixit, ac fregit & porrigebat illis . . . & cognoverunt Eum in fractione panis*, scil. Eucharistici, ùt intelligunt S. Chrysost. S. Augustin. & alii PP. si panis fuisset communis, Christum ex fractione ejus non cognovissent.

III. Communicantibus sub una Specie scil. Panis Christus promisit vitam æternam *Joan. 6. suprà*, & *ibid. vers. 50. Hic est Panis de cœlo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*: ergo communio sub utraque Specie non est de præcepto divino; aliàs sumentes sub una peccarent, & non haberent vitam æternam.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Extat præceptum Ecclesiæ, idque legitimum, ut sacra Communio detur & extra Sacrificium sumatur sub una tantùm Specie scil. Panis.

PRob. I. Nullum extat præceptum divinum de Communione sub utraque Specie; ùt *suprà.* (2.) Sub una Specie non minùs continetur & sumitur totus Christus, quàm sub utraque; ubi enim post resurrectionem Corpus Christi,

Christi, ibi & Sanguis; ubi Sanguis, ibi & Corpus ac reliqua per concomitantiam. (3.) Christus Ecclesiæ reliquit vel unam vel utramque Speciem præcipere, prout circumstantiæ postulant: Ipse enim solùm præcepit Sacramenti Sumptionem quoad substantiam, non modum unius vel utriusque Speciei; idque vel inde patet: quia *Joan. 6.* modò unam, modò utramque Speciem dicit conferre sumentibus vitam æternam. (4.) Cœteris paribus, non minor fructus percipitur ex sumptione unius, quàm utriusque Speciei; quia sub qualibet totus sumitur Christus. (5.) Ecclesia ad prohibendum Laicis Calicem justas habet causas, scil. ut multiplex caveatur irreverentia Sacri Sanguinis in effusione, adhæsione ad barbam &c. Item: ut omnes fideles, etiam abstemii, pariformiter sumant Sacramentum; & ubique, etiam in regionibus, in quibus non aut difficillimè pro multis & frequenter communicantibus haberi potest vinum, facilitetur Eucharistiæ usus &c. Ex his omnibus evidentissimè infertur: ergo præceptum Ecclesiæ, quo prohibetur usus calicis, est legitimum & justissimum.

II. Luthero perinde fuit sumptio unius Speciei, vel utriusque, vel nullius: ergo ipse aut non agnovit præceptum divinum communicandi sub duplici specie; aut, si agnoverit, malitiosè contravenire voluit. *Antecedens* ostendo *ex Tom. 3. Lutheri Jenens. fol. 274.* ubi scribit: Wir sagen weiter, wann ein Concilium beyde

Gestalt zu reichen zuliesse, wolten wir dann nicht beyder Gestalt brauchen, ja wir wolten dann erst zu Verachtung des Concilii allein einer, oder gar keiner, und mit nichten beyder brauchen, und alle die verfluchen, so aus Gewalt desselben Concilii beyderley Gestalt brauchen würden: ergo perinde fuit Luthero ſumptio unius Speciei, vel utriusque vel nullius; aſt malè: etenim Luthere! ubi Evangelium arbitrio tuo unam Speciem, vel utramque, vel nullam relinquit? malitioſus es, volens unâ Specie uti vel nullâ in deſpectum Concilii, qui tamen utramque aſſeris eſſe ſumendam ex ordinatione Chriſti: Impoſtor es, Concilio utramque ordinante Speciem, unâ volens uti, aut nullâ, qui tamen *Tom. 1. Jenenſ. fol. 417. artic. 16.* doces: Es wäre gut, daß die Kirche in einem gemeinen Concilio ordnete, den Leyen beyde Gestalt des Sacraments zu geben. Si bonum, ſi præceptum Chriſti, quomodo prævaricari licet utendo unâ Specie aut nulla? Verùm perinde tibi, quid doceas, modò contra Eccleſiam Catholicam, modò hæreſis; quis dicit? tu ipſe *in Prologo de capt. Babyl.* & *Tom. 2. Jenenſ. lat. fol. 260. Dum illi* (Papiſtæ) *de mea aliqua hæreſi triumphabunt, ego aliam NOVAM producam:* ergo Hæreſiarcha es, ſequaces tui hæretici, doctrina tua de communione ſub utraque Specie vel unâ vel nullâ hæretica.

Obje-

Objectiones Acatholicæ.

I. CHristus instituit Sacramentum sub utraque Specie: ergo sub utraque sumendum. ℞. *N. Cons.* Substantia Sacramenti scil. totus Christus datur in una Specie; & quoad substantiam Sacramentum cadit sub præceptum, non quoad modum unius vel utriusque Speciei.

Inst. Cur ergo Christus instituit sub utraque Specie? ℞. Ut in Consecratione, quâ mystica fit separatio Sanguinis à Corpore, repræsentetur Sacrificium cruentum in cruce, quo facta est realis.

II. Christus distribuit Eucharistiam sub utraque Specie & præcepit *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.* ℞. Non omnia, quæ Christus egit in ultima Cœnâ, sunt de præcepto, aliàs etiam lotio pedum. Distribuit quidem Eucharistiam sub utraque Specie, non autem distribui præcepit; nam *Hoc facite in meam commemorationem* tantùm dixit post Consecrationem Panis; de Consecratione autem Calicis dixit conditionatè: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. 1. Corinth. 11.*

III. Præceptum habetur *Joan. 6. Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ℞. Præcipitur Sumptio Carnis & Sanguinis, eáque fit sub una Specie Panis, & per illam satisfit præcepto: si cui proponeretur panis & vinum sub præcepto: *manduca & bibe*, satisfaceret sumens panem

intinctum vino; sic & satisfacit sumens Carnem Filii hominis cum Sanguine sub una Specie.

Inst. Dicitur: *& biberitis*; sub Specie autem Panis non bibitur. ℞. Bibitur æquivalenter; quia verè cum effectu sumitur: non requiri, ut Sanguis bibatur formaliter, colligitur ex verbis Christi *eod. cap. Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

IV. Præcepit Christus *Matth. 26. Bibite ex eo omnes*: ergo omnibus præcipitur usus Calicis. ℞. Præcepit omnibus fidelibus *N.* Apostolis, volens, ne primus totum biberet *C.* Unde Marcus testatur *cap. 14. Biberunt ex eo omnes*, utique non omnes tunc fideles: ergo nec omnibus fuit dictum.

V. Qui sumit unam Speciem, non accipit integrum Sacramentum. ℞. Non accipit ex parte signi, quod sunt Species panis & vini *C.* ex parte rei significatæ, quæ est Christus sub qualibet Specie totus *N.*

VI. Eucharistia sumi debet per modum cibi & potûs; sic autem non sumitur sub una Specie: ergo. ℞. Sub una Specie sumitur per modum cibi & potûs æquivalenter, sumptione Hostiæ Corpus & Sanguinem continentis æquivalente potationi, quod sufficit ad præceptum Christi & effectum Sacramenti. Pro aliis

Observa: Gelasius Papa dicens *cap. Comperimus. de Cons. d. 2. Divisio unius & ejusdem Mysterii non potest sine grandi Sacrilegio provenire*, loquitur de Sacri-

Sacrificio, in quo non licet unam Speciem consecrare & ſumere ſine alia. Alii SS. Patres, adſtruentes neceſſitatem Communionis ſub utraque Specie, vel loquuntur de Sacerdotibus in Sacrificio, vel de illis temporibus, quibus utraque Species permiſſa erat aut præcepta.

CONTROVERSIA VII.

De Sacrificio Miſſæ.

DOctrina Acatholica: So ſchlieſſe ich, daß die Meſſe weder Opffer, noch gut Werck ſey. Dr. Luther. *Tom. 2. Jenenſ. fol. 140.* Contradicit *Tom. 3. fol. 169.* Wir können ja nicht läugnen, daß die Meß, und zum GOttes Tiſch gehen, eine Ordnung ſey von Chriſto ſelbſt eingeſetzt. *fol. 281.* Wir laſſen die Meß-Gewand, Altar, Lichter noch bleiben, biß uns gefällt zu ändern. Ecce! Luther docet, mutátque, ùt placet. Pro doctrina Catholica

Nota: Duplex in Novo Teſtamento diſtingui Sacrificium: unum eſt cruentum, in quo Chriſtus Patri ſuo oblatus eſt in ara crucis; alterum incruentum, in quo Chriſtus ſub Speciebus panis & vini offertur in Altari. Controverſia eſt: an Chriſtus in ultima cœna Corpus, Sanguinémque ſuum tanquam verum Sacrificium obtulerit Deo Patri; & Apoſtolis, eorúmque in Sacerdotio Succeſſoribus ſimiliter offerre præceperit per hæc verba: *Hoc facite in meam Commemorationem.*

DOCTRINA CATHOLICA:

In Missa offertur Deo verum Sacrificium.

PRob. I. Christus in ultima Cœna verum obtulit Sacrificium: ergo & Sacerdotes offerunt in Missa; faciunt enim, quod Christus fecit, & facere præcepit *Luc. 22.* dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Prob. Ant.* Tum quia se ipsum Deo Patri sub Speciebus panis & vini obtulit, quando se dedit non tantùm discipulis in cibum, sed & pro illis in victimam; sic autem dedisse colligitur ex verbis Illius *Lucæ 22. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur;* in Græco textu: *DATUM*, id est, quod jam sub Speciebus panis & vini offertur vel oblatum, postea offerendum in cruce. Tum quia de Christo dicitur *Psal. 109.* & *Hebr. 5. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;* si Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; ergo actum Sacerdotalem Melchisedech proprium, qui fuit offerre panem & vinum, etiam Ipse exercuit; quando? in ultima cœna se offerens sub pane & vino. Ita P. P. Si Sacerdos in æternum: ergo adhuc offert, non visibiliter per se, sed per Sacerdotes Christum in Altari repræsentantes.

II. In omni statu tum legis naturæ, tum scriptæ fuit Deo vero oblatum Sacrificium? cur non offeratur in lege Evangelica? an non Deus æquè colendus? offerendum esse vaticinatus est Malachias *cap. 1. In omni loco sacrificatur & offer-*

tur

tur nomini meo oblatio munda. Quæ oblatio ista? non Judaica: quia fit à gentibus conversis; non preces & bona opera Christiana: quia Sacrificium non sunt, nisi metaphoricè; quæ ergo? Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi incruentum. Sic testantur S. Clemens Roman. *Constitut. Apostol. lib. 7. cap. 3.* Theodoretus *in Malach. cap. 1.* Chrysost. Augustin. Tertullian. aliíque Patres primitivæ Ecclesiæ.

III. Ecclesia à temporibus Apostolorum Missam celebravit, habuítque pro vero Sacrificio; sic testantur Liturgiæ (id est formulæ Missarum) Apostolorum Petri, Jacobi, & Marci Evangelistæ. S. Andreas Apost. (ùt referunt Presbyteri Achajæ in vita illius) Ægeæ Proconsuli suadenti, ut Diis immolaret, respondit: *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, sed immaculatum Agnum in Altari &c.* S. Clemens Petri Discipulus *lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 23.* ait: *Pro Sacrificio cruento incruentum & Mysticum Sacrificium instituit; quod per Symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur.* Omitto plures alios: ergo in Missa verum offertur Sacrificium; si enim absque Idololatria potuit primis Sæculis, quare non moderno?

IV. Confessio Augustana *artic. de Missa* sic habet: *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes.* Vel ergo Missa est verum Sacrificium vel non? si est, quare Confessionistæ Lutherani

rani non celebrant? si non, quare in Confessione sua retinent? Inconstantia doctrinæ signum est erroris; aliud verbo docent, aliud facto. *Dicent:* Nomine *Missæ* à se intelligi *Cœnam*. *Contra est:* Nomine *Missæ* à Statibus Imperii tunc intelligebatur & in controversiam veniebat Sacrificium, quod hodie celebrant Catholici; vel ergo Confessio sic intellexit, vel fraudulenter egit.

V. Lutherus ipse *Tom. 3. Jenens. fol. 270.* tradit formulam Missam celebrandi, sivè, ùt vocat Missandi & Cœnam sumendi: ergo Missam à Cœna distinguit. Pro ritu Missam celebrandi ponit *Introitum*, *Kyrie*, *Gloria*, *Collectas*, *Epist. Graduale*, *Evangelium*, *Symbolum Nicæn. Præparationem panis & vini*, *Præfationem*, *Consecrationem*, *Elevationem*, *Sanctus*, *Pater noster*, *Communionem*, *Benedictionem*. Paramenta vult esse arbitraria. Ritus iste, paucis mutatis, est Catholicus; sumpsit enim Lutherus fermè totum, qui in Missali Romano. Juxta ritum illum Lutherani alicubi, ùt in Saxonia, Missam celebrant, vel saltem celebrârunt; alibi non.

Ex his ad Lutheranos formo quæstiones: Si Missa non sit institutum à Christo Sacrificium, cur Lutherus eam à Cœna distinguit, Lutherani Confessionistæ retinent? ad quid ritus celebrandi, Consecratio, & Elevatio? vel enim peractâ Consecratione adsunt Corpus & Sanguis Christi, vel non? si non: ergo Consecratio est scenica & falsa, nihilque elevatur,

nisi

nisi panis & vinum; si adsunt: ergo offeruntur Deo, ùt intendit Ecclesia juxta institutionem Christi, & verum habetur Sacrificium; postea sequitur Communio seu Cœna, quæ non est Sacrificium, sed Victimæ sumptio: sicut in Veteri Testamento Sacrificium non fuit ipsa rei consumptio vel destructio, sed prævia oblatio. Hinc

Collige: Apud Catholicos ritum esse Sacrificii & verum Sacrificium; apud Lutheranos nudum ritum Lutheri, nudum panem & vinum; hoc si nolint, sentiant cum Catholicis & primæva Christi Ecclesia.

Objectiones Acatholicæ.

I. EUcharistia sumitur: ergo non est oblatio. Luther. *Tom. 2. Jenens. fol. 22.* ℟. *N. Conf.* Offertur juxta verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: postea sumitur juxta verba: *Accipite & manducate.* Non in sumptione consistit Sacrificium, sed prævia Consecratione.

Inst. Sacrificium non debet comedi ab hominibus. ℟. Quid prohibet? In Veteri Testamento comedebatur agnus paschalis & ex parte alia Sacrificia.

II. Ad *Hebr. 9. Christus semel oblatus est.* & *cap. 10. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: ergo non debet ampliùs offerri. ℟. *D. Conf.* Non debet ampliùs offerri modo cruento *C.* incruento *N.* Sacrificium Crucis est sufficientis & infiniti valoris ad redemptionem no-

ſtram & peccatorum remiſſionem; per Sacrificium tamen Miſſæ, ſicut & per Sacramenta, pretium ejus nobis applicari debet; vel dicant Adverſarii, ad quid Baptiſmus, Cœna, fides juſtificans &c.?

III. *Sinè Sanguinis effuſione non fit remiſſio. Hebr.* 9. ergo non per Sacrificium incruentum. ℟. *Retorq.* & contra te *infero*: ergo etiam non per fidem juſtificantem. *Dicis*: per hanc fieri dependenter à Sacrificio Crucis; *Dico*: ſic etiam fieri per Sacrificium incruentum; hoc quatenus propitiatorium non remittit peccata immediatè, ſed mediatè, conferens gratiam ad obtinendam pœnitentiam; quatenus verò ſatisfactorium delet immediatè pœnas pro peccatis dimiſſis adhuc debitas, adeóque rectè offertur pro defunctis.

IV. Euchariſtia eſt Sacramentum: ergo non Sacrificium. ℟. Ubi ſcriptum, quòd Sacramentum ſit & non Sacrificium? utrumque eſt: Sacramentum, quatenus eſt ſignum efficax gratiæ; Sacrificium, quatenus offertur Deo in proteſtationem ſupremi illius dominii.

V. Miſſa in Papatu eſt ád quæſtum Simoniacum. *Luther. citat.* ℟. Miniſtri Acatholici accipiunt pro exequiis, baptizatione, abſolutione, aliiſque Miniſteriis; an ideo hæc ad quæſtum? Sacerdotes celebrantes non accipiunt quidquam tanquam pretium pro Miſſa, ſed aliqui ſtipendium aliquod pro labore extrinſeco, expenſis & in ſuſtentationem, ídque permiſ-

ſum

ſum *1. Corinth. 9. Neſcitis, quoniam qui Altari deſerviunt, cum Altari participant? & ibid. verſ. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* q. d. *non*

CONTROVERSIA VIII.

De Confeſſione Sacramentali.

DOctrina Acatholica: In dem Sacrament der Buß, wo ein Priester nicht fürhanden wäre, thut eben so viel ein jeglicher Christen-Mensch, ob er gleich ein Weib oder Kind wäre. Luther. *artic. 13. Tom. 1. Jenenſ. fol. 415.* En, quàm faveat ſuæ Catharinæ de Bore ex Moniali putatitiæ Uxori ac prolibus ſuis ſpuriis! imò & Judæis favet, etenim mulierem vel puerum abſolvere poſſe rationem, addit *loc. citat.* Wann das Sacrament der Tauffe zur Noth mag ein Weib und Kind geben, wie täglich geschiehet, warum soll nicht auch gemein seyn das Sacrament der Schlüssel oder Absolution? Subſumo; atqui Judæus in neceſſitate baptizare poteſt: ergo & abſolvere. Item Luther. *artic. 12.* docet: Wann ein Priester leichtfertig oder schertzend jemand absolvirt, so er doch glaubt, er seye absolvirt, so ist er gewißlich absolvirt. Quæſo? Abſolutio vel efficit aliquid vel non? ſi non, ad quid illa? ſi efficit, certè abſolutio jocoſa & putata, quia nulla, non plus agit, quàm nulla, quæ nihil. Putare nihil ponit in re. Lutherus *Tom. 3. Jenenſ. fol. 514.* putat ſe Deum; an ideo eſt?

est? absit: Deus, qui Lucifero similis. Denique Confessio Augustana *artic. 4. de Confess.* sonat: *Confessio apud nos non est abolita,* & *infrà: Enumeratio delictorum non est necessaria.*

DOCTRINA CATHOLICA:

Confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, quæ memoriæ occurrunt, est de jure divino.

PRob. I. Christus Apostolis, eorúmque Successoribus dedit potestatem remittendi peccata & retinendi *Joan. 20.* dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Infero* 1. Ergo Sacerdotibus data est potestas absolvendi, adeóque contra Lutherum absolvere nequit mulier vel puer. 2. Ergo tunc instituta est distincta peccatorum Confessio; quomodo enim Sacerdos remittere potest peccata vel retinere, si ea non sciat? quomodo sciet, si pœnitens non confiteatur?

II. Præcipitur *Jacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra:* ergo præcepta est peccatorum Confessio, & quidem Sacramentalis ad obtinendam remissionem, quia subditur: *ut salvemini. 1. Joan. 1. si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra:* ergo peccatorum remissionem præcedere debet eorum Confessio.

III. Distincta peccatorum Confessio fuit in usu primis jam sæculis, ùt testantur S. Clemens

mens D. Petri Discipulus *Epist. ad Fratr. Dom.* S. Cyprianus *serm. 5. de Lapsis.* S. Hieron. *ad cap. 16. Matth.* Aliique; vel dicant Adversarii, quando inceperit? Audiant S. Augustin. *lib. 2. de visitat. infirm. cap. 5. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis & cum multis facere . . . revela Sacerdoti vias tuas & ipse tibi exhibebit Antidotum reconciliationis.* Item Ecclesia vel Papa in obligatione distinctè confitendi nunquam dispensavit, nequidem cum Imperatoribus, Regibus, Cardinalibus vel Episcopis: ergo signum est, quòd obligatio hæc sit juris divini.

IV. Lutherus *Tom. 3. Jenens. fol. 276.* ait: Von der heimlichen oder Ohren-Beicht vor der Communion halte ich noch, daß sie weder nothist, noch gefordert soll werden, doch nuß und mit nichten zu verachten: ergo utilis est Confessio auricularis, & bene faciunt Catholici eam frequentantes, malè Acatholici eam cavillantes. Item *Tom. 1. Jenens. fol. 413.* ait: Man soll die Leute nicht treiben alle ihre Sünd zu erforschen, und sie lassen beichten, die ihnen zur Zeit einfallen, oder bewust seyn. Item habet *Catechismus minor Lutheri:* Für dem Beicht-Vatter sollen wir allein die Sünde bekennen, die wir wissen und fühlen im Hertzen: ergo ex Lutheri sententia etiam necessaria est Confessio peccatorum, quæ memoriæ occurrunt.

Obje-

Objectiones Acatholicæ.

I. SOlus Deus potest dimittere peccata: ergo Sacerdotes solum nunciant esse remissa, ad quod non requiritur Confessio. ℞. Solus Deus potest dimittere peccata authoritate propriâ, Sacerdotes possunt delegatâ, quam dedit Christus *Joan. 20.* his verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur &c.* remittere autem peccata, non est nunciare, esse remissa.

II. Distincta peccatorum Confessio est impossibilis; delicta enim quis intelligit, nisi Deus? ℞. Confessio peccatorum post diligens examen memoriæ non occurrentium est impossibilis *C.* occurrentium *N.* Ultima est sub obligatione, non prior.

III. Christus absolvit Magdalenam sinè prævia Confessione specifica. ℞. Sciebat ille peccata sinè Confessione, at non sciunt Sacerdotes.

IV. Sola contritio justificat sinè Confessione: ergo etiam absolutio. ℞. *N. Conf.* Contritio justificat extra Sacramentum, ubi non requiritur Confessio, nisi in voto, quatenus contritus paratus esse debet ad servandum omnia præcepta, adeóque etiam ad præceptum Confessionis; absolutio verò non justificat, nisi in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod requiritur Confessio tanquam pars.

V. Præceptum Confessionis incepit in Concilio Lateran. sub Innocentio III. ergo non est divinum. ℞. Incepit ibi præceptum Con-

Confessionis simpliciter, quod Divinum *N.* annuæ, quod Ecclesiasticum *C.* Similiter à Nectario Patriarcha Constantinopolitano abrogata non fuit Confessio absolutè, sed solùm publica, quæ tunc erat in usu.

CONTROVERSIA IX.
De Indulgentiis.

DOctrina Acatholica: Ablaß dienet nicht abzulegen die Straf oder Pein. Luther. *artic. 19. Tom. 1. Jenens. fol. 421.* cui petra scandali & lapis offensionis fuerunt Indulgentiæ à Leone X. pro bello contra Turcas feliciter gerendo concessæ; cùm enim earum promulgationem Albertus Archi-Episcop. Moguntin. commisisset Ordini Prædicatorum, Lutherus ex Ordine Eremitarum S. Augustini, qui Indulgentias *Cruciatæ* ante habuerat promulgandas, id ægrè ferens contra Indulgentias prædicavit, eo successu, quod factus sit Apostata & Hæresiarcha. Pro Doctrina Catholica

Nota 1. Quando remittitur peccatum, remitti quidem semper pœnam æternam culpæ mortali debitam, remanere tamen sæpe pœnam temporalem per modum satisfactionis Deo vel in hac vel in altera vita præstandæ. Patet (1.) Exemplo Adami, Davidis & aliorum, qui post dimissa peccata fuerunt puniti. (2.) Ex verbis Christi ad Magdalenam *Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus*

dimit-

dimittitur, minus diligit. Minus diligenti dicit minus dimitti non de reatu culpæ, quia unum peccatum mortale non dimittitur fine alio, fed de reatu pœnæ; de qua quandoque plus, quandoque minus dimitti poteft, & *juxta verba citat.* Chrifti dimittitur.

Nota 2. Indulgentiam in præfenti effe Remiffionem pœnæ temporalis pro peccatis jam remiffis adhuc debitæ, quæ fit extra Sacramentum per applicationem fatisfactionis Chrifti & Sanctorum ex Thefauro Ecclefiæ. Thefaurus ille funt fatisfactiones Chrifti; item: Opera fatisfactoria Sanctorum ipfis non neceffaria; item: Preces & Sacrificia nulli applicata vel incapaci; hæc omnia, ut non fint absque fructu, útque fit communio inter fideles unum Corpus myfticum conftituentes, integrant Thefaurum Ecclefiæ, qui diftribuitur à Summo Pontifice vel aliis Prælatis concedendo Indulgentias, de quibus

DOCTRINA CATHOLICA:

Datur in Ecclefia poteftas Indulgentiarum.

PRob. I. Chriftus dixit Petro & confequenter Succefforibus Ejus *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum . . . quodcunque folveris fuper terram, erit folutum & in cœlis.* Quæro: An per verba illa poteftatem dederit folvendi omne, quod impedit ab ingreffu cœli? fi non: ergo non dedit claves regni cœlorum; fi dederit: ergo

ergo dedit potestatem solvendi pœnam ex peccato remanentem, quia hæc impedit ab ingressu cœli, solvitur autem per Indulgentias.

II. Datur in Ecclesia Thesaurus ex meritis Christi & Sanctorum, ùt *suprà*, sicut in Republica commune ærarium: ergo etiam potestas Thesaurum illum distribuendi, quod fit per Indulgentias.

III. Usus Indulgentiarum fuit in primitiva Ecclesia & temporibus Apostolorum; nam D. Paulus Corinthio incestuoso pœnitenti aliquid donavit in Persona Christi, *2. Corinth. 2.* per quam donationem intelligunt Indulgentias Ambrosius, Chrysostomus, & alii Patres. Item: Indulgentias dedit Concilium Nicænum Anno 327. Indulgentias Stationum concessit Gregorius Magnus circa Annum 590. Indulgentias variis Ecclesiis in Germania, cùm eam pertransiret, dedit S. Leo III. electus Anno 795. imò Christus Ipse S. Francisco Assisii in Ecclesia Portiunculæ Indulgentias dedit pro omnibus fidelibus verè pœnitentibus, quæ postea miraculis sunt illustratæ, ùt testantur Annales Ordinis S. Francisci.

Objectiones Acatholicæ.

I. QUando Christus dixit Petro: *Tibi dabo Claves regni cœlorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum &c.* tantùm dedit potestatem remittendi peccata. ℞. *N. Ass.* Nam potestatem absolvendi dedit omnibus Apostolis *Joan 20.* dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;*

hoc autem *loco* ſoli loquens Petro futuro Vicario ſuo in paſcendis ovibus, ampliorem ei dedit poteſtatem, ſe extendentem ad remiſſionem pœnæ, dicens: *Quodcunque ſolveris, erit ſolutum.*

II. Juxta Scripturam, gratìs juſtificamur: ergo non requiritur aliqua ſatisfactio, nec Indulgentia extra Sacramenta. ℞. Gratìs juſtificamur, non quaſi opera bona non requirantur, ait enim Scriptura *Matth. 3. Pœnitentiam agite. Iſa. 45. Convertimini ad me. 1. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte &c.* ſed gratìs, quatenus contritio, dilectio & alia opera noſtra ad juſtificationem obtinendam fundantur in gratia, gratìs acceptantur & non ſufficiunt opera ex ſolis naturæ viribus.

III. Satisfactio Chriſti omnibus peccatoribus non tantùm à peccatis, ſed etiam à pœnis liberandis eſt ſufficiens: ergo. ℞. Eſt ſufficiens, ſed efficaciam non habet, niſi applicetur vel per Sacramenta, vel per Indulgentias. Chriſtus omnibus meruit gloriam, an ideo omnes ſalvantur? *Qui redemit te ſinè te, non ſalvabit te ſinè te.*

IV. Sancti in cœlo habent gloriam pro bonis operibus ſuis: ergo hæc non ſunt repoſita in Theſauro Eccleſiæ, ut diſpenſentur aliis. ℞. Habent gloriam pro bonis operibus quà meritis C. quà ſatisfactionibus *N.* Opera pœnalia & ſatisfactoria Sanctorum in cœlo, quibus non indiguerunt, & piorum in terra, qui-

bus

bus non indigent, aliis indigentibus diſpenſantur, aliàs futura absque remuneratione.

V. *Matth. 18.* ait Chriſtus: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*: ergo non remanet pœna per Indulgentias tollenda. ℞. Non remanet ſemper *C.* non unquam *N.* *Cui minus dimittitur, minus diligit*, *Luc. 7.* ergo non ſemper dimittitur totum. Demum

Sciendum 1. Indulgentias gratìs concedi, ùt patet ex Bullis: unde pecunia nunquam datur pro Indulgentiis, ſed quandoque pro Bullæ expeditione, aliisque ſumptibus. 2. Si concedantur Indulgentiæ non plenariæ, v. gr. 100. dierum non remitti 100. dies de purgatorio, ſed tantum, quantum remitteretur, ſi quis ſubiret pœnitentias 100. dierum juxta antiquos Canones.

CONTROVERSIA X.
De Purgatorio.

DOctrina Acatholica: Niemand iſt ſchuldig zu glauben, daß ein Fegfeuer ſeye, Dr. Luther. *Tom. 2. Jenenſ. fol. 208.* Admittit *Tom. 1. fol. 431.* his verbis: Ich habe das Fegfeuer noch nie geläugnet, halte es auch noch, wie ich vielmal geſchrieben. Catholici nomine Purgatorii intelligunt locum, in quo animæ, de hoc mundo cum peccatis levibus decedentes, aut pœnis temporalibus ob peccata com- & remiſſa ſolven-

vendis obnoxiæ purgantur ; donec purgatæ transferantur ad cœlum. De hoc eſt

DOCTRINA CATHOLICA:

Datur Purgatorium.

PRob. I. Judas Machabæus curavit offerri Sacrificia pro occiſis militibus, quod approbans Sacer Textus *2. Machab. 12.* ſubdit: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*; ergo datur Purgatorium: non enim orationes fiunt pro exiſtentibus in inferno, quia juvari nequeunt; neque pro Sanctis in cœlo, quia juvari non indigent.

Reſpondent Adverſarii: Libros Machabæorum non eſſe Canonicos. *Contra eſt*, quod duos priores eſſe Canonicos definiêrit Concilium Carthaginenſe III. cui ſubſcripſit D. Auguſtinus. Et datô, non eſſe, ſaltem Lutherani, ponentes eos in Codice Bibliorum, admittent tanquam veros Hiſtoricos & fidem non negabunt, in Veteri Teſtamento Populum Judaicum orâſſe pro defunctis; ſi autem pro illis oraverit populus ille tunc electus, cur non oremus & nos?

II. *Matth. 12.* dicit Chriſtus: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro:* ergo ſupponitur dari peccata, quæ in altero ſæculo remittuntur.

III. In antiquiſſimis Liturgiis Apoſtolorum ab Eccleſia approbatis, & antiquo Miſſali Romano extant orationes pro defunctis & per-

petuò

petuò in Ecclesia sunt factæ, vel ostendant Adversarii, quando inceperint. Sancti quondam petiêrunt preces post mortem; sic S. Monica S. Augustini Mater ad circumstantes dixit moritura: *Tantùm vos rogo, ut ad Altare Domini memineritis mei.* Augustin. *lib. 9. Confess. cap. 13.* Animæ quondam ex purgatorio apparuerunt petentes suffragia; sic refert S. Gregorius Magnus aliique Scriptores omni exceptione majores. Ex quibus *infero:* ergo datur Purgatorium.

IV. Potest quispiam mori in statu gratiæ cum peccatis levibus, aut pœnis in satisfactionem peccatorum sustinendis esse obnoxius; quò perveniet? non ad cœlum; quia *nihil coinquinatum intrabit, Apocalyps. 21.* non ad infernum; quia est in statu gratiæ, quæ semen gloriæ: ergo ad Purgatorium.

Objectiones Acatholicæ.

I. Nullibi in Scriptura exprimitur Purgatorium. ℞. Non exprimitur quoad nomen, exprimitur quoad rem in iis locis, ex quibus colligitur, ùt *suprà.*

II. Duo tantùm sunt status, in quibus homines post mortem collocantur; quia dicitur *Eccles. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* ℞. Duo tantùm sunt status, cœlum & infernus, in quibus homines collocabuntur æternaliter post ultimum judicium; tertius status, Purgatorium, est ad tempus, & comprehenditur sub

Auſtro in loc. citat. nam animæ in Purgatorio ſunt in ſtatu beatitudinis obtinendæ.

III. Duo tantùm ſunt hominum genera, unum piorum ac fidelium, alterum impiorum & infidelium; illis Chriſtus adſignat cœlum, his infernum, nullis purgatorium. ℞. Duo ſunt præfata genera, ſed cum diviſione; nam piorum & fidelium aliqui habent peccata levia vel pœnas adhuc ſuſtinendas, alii verò non; hi ibunt in vitam æternam ſine purgatorio, priores per illud.

IV. *Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* ℞. Deus poſt pœnitentiam non recordatur iniquitatum quoad pœnam æternam *C.* quoad temporalem & aliquam ſatisfactionem *N.*



CAPUT V.

Reliquæ Controverſiæ, quæ ſunt hujus temporis.

CONTROVERSIA I.

De libero Arbitrio.

DOctrina Acatholica: Der freye Wille nach dem Fall Adä iſt ein eitler Nahme; und wann er thut das ſeine, ſo ſündiget er tödtlich. Dr. Luther. *artic. 36. Tom. 1. Jenenſ. fol. 449.*

Libe-

Liberum arbitrium in homine eſt Voluntas cum indifferentia contradictionis & contrarietatis ad operandum. De hoc

DOCTRINA CATHOLICA:

Datur in homine lapſo liberum arbitrium, etiam reſpectu actionum moralium.

PRob. I. Ex *Script. Eccl. 31. Beatus vir . . . qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit.* Et *cap. 15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Conſequens* ponit S. Auguſtin. *de grat. & libero arbitr. cap. 3.* inferens: *Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

II. *Ratione:* Si homo careret libero arbitrio, neceſſariò faciens, quæ facit, fruſtrà eſſent leges & præcepta; item: actibus bonis homo non mereretur præmium, nec malis ſupplicium; etenim certò fruſtrà præcipitur, aut prohibetur, ut fiat vel non fiat, quod neceſſariò fit, aut non fit. Item: nullus meretur præmium propter factum, quod non potuit non facere; nec juſtè poteſt quis puniri propter factum, quod non potuit omittere.

Reſpondent: ut homo peccet, ſufficere libertatem à coactione. *Contra:* Ergo amens peccabit aliquem occidendo, eritque ſupplicio afficiendus. Qui liber eſt à coactione, non item à neceſſitate, equidem ad malum non cogitur,

tamen non poteſt non facere; ſi non poſſit non facere, eſt ſine culpa.

III. *Appello ad confeſſionem cujuslibet de experientia*; Quis non experitur, quod dormire poſſit vel non dormire, manducare, ludere, quando & quomodo placet? certè quilibet: ergo datur liberum arbitrium circa actiones naturales. Quis non experitur, quod malum facere poſſit vel omittere, pœnitentiam agere vel differre &c.? certè quilibet; unde & Sacra Scriptura præcipit, prohibet &c. ergo datur liberum arbitrium, etiam circa actiones moraliter bonas & malas: ad has tamen non negamus requiri gratiam Dei, ſed ſolùm, per gratiam tolli libertatem.

Objectiones Acatholicæ.

I. *NOn ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, *2. Corinth. 3.* Item *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere, Philipp. 2.* ergo. ℟. *N. Conſ.* Textus allati ſolùm probant, quod ſoli ſinè Dei gratia non poſſimus operari meritoriè ad ſalutem, ídque definit Concilium Tridentin. *Seſſ. 6. cap. 3.* Gratia autem non neceſſitat, imò vacua eſſe poteſt, homine reſiſtente: ſicut, tametſi homo nihil poſſit in naturalibus ſinè concurſu Dei generali, eo tamen non obſtante, homo adhuc liberè operatur vel non operatur.

II. S. Auguſtin. *in Enchirid. cap. 30.* dicit: *Homo malè utens libero arbitrio, & ſe & ipſum perdidit.*

℟. Per-

℞. Perdidit quoad substantiam *N.* quoad facilitatem ad bonum *C.*

CONTROVERSIA II.
De Prædestinatione.

DOctrina Acatholica: *Si non possumus rationem assignare, cur suos* (nempe electos) Deus *misericordiâ dignetur, nisi quoniam illi ita placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem.* Ita Calvin. *lib. 3. Institut. cap. 22. §. 11.* Idem asserit *cap. 23. §. 1. Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum Consilium Dei.* Unde Doctrina est Calviniana: 1. *DEum ab æterno quibusdam hominibus præordinasse vitam æternam, aliis damnationem, nullis prævisis & moventibus eorum meritis aut demeritis, sed solo suo beneplacito ac voluntate.* 2. Cum voluntas Dei sit immutabilis & efficax, volunt, *hominem in negotio salutis carere libero arbitrio:* ita, ut prædestinati à Deo destinentur & prædeterminentur ad bonum, propter quod salvantur, reprobi ad malum, propter quod damnantur; idque agant necessariò acti & adacti à Deo, perinde ac agitur globus à rotante, securis à secante, lutum à figulo. Ante Doctrinam Catholicam

Nota: Prædestinationem esse actum divinæ voluntatis, quo creaturæ aliquæ rationales ab æterno efficaciter sunt præordinatæ ad gloriam: Reprobationem esse destinationem ad gehennam.

DOCTRINA CATHOLICA I.

Admittenda est Prædestinatio & Reprobatio.

PRob. I. *Ex Script. Romanor. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit &c. Eccles. 9. Multi reprobi facti sunt.*

II. Quidquid Deus agit in tempore, decrevit ab æterno, quia immutabilis; sed in tempore aliquos assumit ad gloriam, alios mittit in gehennam: ergo id ipsum decrevit ab æterno.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Prædestinatio facta est propter merita, Reprobatio propter demerita.

I*Ntellige:* Nullus prædestinatus est; saltem quoad executionem, ad coronam gloriæ, nec eam accipiet, nisi propter Justitiam finalem; & nullus destinatus est ad gehennam ignis, nec mittetur in eam, nisi propter peccatum finale.

I. Nullus accepturus est coronam gloriæ, nisi propter merita: Tum quia Deus *reddet unicuique secundùm opera ejus, Roman. 2.* Dicet Christus: *Venite benedicti . . . esurivi enim &c.* Tum quia beatitudo dicitur *Merces, Matth. 5. Corona Justitiæ, 2. Timoth. 4. Denarius diurnus, Matth. 20. Bravium, 1. Corinth. 9.* Merces autem datur laborantibus, corona certantibus, denarius operariis, bravium currentibus & comprehendentibus.

II. Nul-

II. Nullus destinatus est ad gehennam ignis, nec mittetur in eam, nisi propter demerita; Tum quia Deus *omnes homines vult salvos fieri, 1.Timoth. 2.* puta, quantum est ex parte Dei: ergo non vult quemquam damnari non prævisis demeritis; aliàs vellet omnes salvos fieri & non vellet. Tum quia Deus de facto neminem condemnat, nec condemnare potest ad ignem æternum, nisi demeritis positis; quia justus est, ùt inquit S. Augustin. *lib. 3. contra Julian. cap. 18.* ergo nec vult condemnare, nisi illis prævisis.

Objectiones Acatholicæ.

I. DEus tanquam Supremus Dominus disponere potest de creaturis suis pro libitu. ℞. Potest, quatenus bonitati & æquitati suæ infinitæ non repugnat, velle autem damnare innocentem, repugnare videtur.

II. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum, Proverb. 16.* item *Sapient. 12.* dicitur: *Cùm sis justus, justè omnia disponis; eum quoque, qui non debet puniri, condemnas.* ℞. Primus textus loquitur de impio, cujus peccatum præviderat Deus; Secundus de afflictione temporali, quam Deus Justo ad probationem ejus, vel castigationem quandoque immittit.

III. De Jacob & Esau habetur *Romanor. 9. Cùm nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali . . Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Subditur: *Igitur non volentis, neque currentis, sed misericentis*

rentis est Dei, vers. 16. Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, ibid. *vers. 18. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam*, ibid. *vers. 12.* Infert Calvinus: ergo reprobos ante prævisa demerita Deus destinavit ad pœnas æternas, & consequenter ad actus malos, quibus has pœnas merentur. ℞. (1.) *N. Cons.* Horrendum est illatum dogma Calvini: ex eo sequitur, hominem necessariò peccare, qui ad peccandum destinatus, & necessariò damnari, quia decretum Dei prævium ante prævisa demerita, quod ponit Calvinus, est homini reprobo inevitabile, ejúsque executio inevitabilis. Imò sequitur, non hominem peccare, sed solum Deum, qui ad actum malum impellit & prædeterminat; dicere autem Deum peccare, est ex Deo facere dœmonem, quod horrenda blasphemia. ℞. (2.) Deus non vult mortem peccatoris *Ezech. 33.* Vult omnes salvos fieri *1. Timoth. 2.* ergo ante peccatum neminem positivè habet odio, nec positivè indurat &c. quomodo igitur? ℞. (3.) Textum de Jacob & Esau non loqui de electione Jacob ad gloriam, nec de reprobatione Esau, qui verisimiliter est salvatus; sed litteraliter de dilectione, quâ Jacob, ejúsque posteri Judæi sunt electi in populum Dei, atque multis dotati bonis; de odio verò impropriè sumpto pro minori dilectione, quatenus Esau, ejúsque posteri neglecti & minùs dilecti; uti sumitur *Luca 14.* ubi jubemur odisse Patrem & Matrem.

Alle-

Allegoricè Textus intendit, Chriſtianos credentes eſſe præpoſitos Judæis incredulis, filios Abrahæ ſecundùm ſpiritum filiis ſecundum carnem. Ita S. Auguſtin. *lib. 16. de civitat. 35.* Ad alios Textus

℞. *Non eſt volentis, neque currentis* ſcil. plùs diligi per fidem & gratiam, eſt tamen, cooperari gratiæ, quæ datur omnibus ad beatitudinem ſufficiens. *Quem vult, indurat*, puta, permiſſivè & indirectè. *Facit vas in contumeliam*, ſimiliter permiſſivè, ídque eſt impius, quem peccare permittit.

DOCTRINA CATHOLICA III.

Prædeſtinatio certa eſt & infallibilis.

I*Ntellige:* Qui prædeſtinatus eſt, certò & infallibiliter ſalvabitur; qui reprobatus, certò & infallibiliter damnabitur.

Prob. I. De ovibus prædeſtinatis dicit Chriſtus *Joan. 10. Vitam æternam do eis & non peribunt in æternum.*

II. Voluntas Dei eſt immutabilis & inimpedibilis: ergo decretum illius in negotio prædeſtinationis certò & infallibiliter ſortietur effectum.

Dilemma Calviniſticum:

AUt ſum prædeſtinatus, aut reprobatus? ſi prædeſtinatus, infallibiliter ſalvabor, benè an malè vixero; ſi reprobatus, infallibiliter damna-

damnabor, non juvantibus operibus bonis; quia decretum Dei efficax frustrari non potest: adeóque nihil refert, qualiter vivam. ℞. 1.) Negando, si prædestinatus sis, te salvandum, bene an malè vixeris; si enim prædestinatus sis, Deus decrevit, te salvandum per merita, seu bona opera, & non salvaberis, nisi habueris ea. 2.) Si infirmus sis, Deus scit & decrevit, te sanitati vel restituendum vel non; si restituendus, non opus medicinâ; si non, ad quid illa? *Dices:* te uti medicinâ; quia Deus decrevit te restituendum per medicinam. *Dico* pariter: Deus decrevit te, si prædestinatus sis, salvandum per bona opera, hæc fac & vives.

Inst. Esto, decreverit Deus me salvandum per bona opera, ea tamen prævidit, & ego infallibiliter operaturus sum, ad quid ergo multùm desuper sim solicitus? ℞. Infallibiliter quidem operaturus es ad salutem, si Deus prævidit; sed, unde scis, Deum prævidisse? hoc non sciens, cum timore & tremore operare salutem. Cave, ne operum neglectus & vita licentiosa sit causa reprobationis.

DOCTRINA CATHOLICA IV.

Prædestinatio nullam prædestinato, Reprobatio nullam reprobo infert necessitatem.

INtellige: quamvis Deus ab æterno decreverit hunc salvandum per opera bona, illum dam-

damnandum propter mala; ſalvandus tamen liberè facit opera bona, damnandus mala. Unus infallibiliter ſalvatur, alter damnatur; neuter neceſſariò.

Prob. I. Deus decrevit aliquos ſalvandos, alios damnandos, poſtquam prævidit horum opera mala, iſtorum bona, utraque liberè ponenda: ergo in tempore liberè ponuntur; ſicut enim Deus res fieri decrevit & prævidit, ita fiunt.

II. Si prædeſtinatio neceſſitaret ad opera bona, reprobatio ad mala: hæc non eſſent peccata, illa non eſſent merita; quia peccatum & meritum petunt eſſe libera: ſi autem peccata & merita non eſſent, prædeſtinatus ſalvaretur ſinè merito, reprobus damnaretur ſinè peccato; hoc falſum eſt: ergo prædeſtinatio non neceſſitat.

Objectiones Acatholicæ.

I. QUidquid Deus præſcit futurum, eſt certò & infallibiliter futurum: ergo neceſſariò; atqui præſcit omnia, quæ facturi ſumus: ergo. ℞. *N. Seq. Maj.* Quod Deus præſcit futurum, eſt certò & infallibiliter futurum, quia præſcientia Dei eſt infallibilis; non tamen eſt neceſſariò futurum, quia futurum eſt ex libera determinatione hominis, qui potuiſſet ſe non determinare.

II. Quod Deus præſcit, non poteſt non fieri: ergò fit neceſſariò. ℞. Non poteſt non fieri

fieri potentiâ antecedente liberam determinationem *N.* consequente *C.* Sedens non potest non sedere, sedet tamen liberè, quia liberè se determinavit.

III. Ergo prædestinatus poterit damnari. ℞. *N. seq.* Prædestinatus sinè necessitatione infallibiliter operabitur salutem.

IV. Decreto Dei nemo potest resistere: ergo, quæ Deus decrevit in negotio Prædestinationis, fiunt necessariò. ℞. *N. Cons.* Postquam voluntas humana se determinavit v. gr. ad peccatum, nequit resistere decreto Dei, quo vult concurrere ad actum illum; potuisset tamen decretum illud impedire, si ad peccatum sese non determinâsset: ergo, quod decretum sit & impleatur, est originativè à libera voluntate hominis.

Corollarium ad hominem.

DE Prædestinatione noli esse anxius; scias: Deus *omnes homines vult salvos fieri*, *1. Timoth. 2.* Neminem damnat nisi propter peccata; peccatum gratiâ Dei vitare potes, vita, & non damnaberis: Neminem salvat nisi per opera bonâ; bonum gratiâ Dei operari potes, operare, per opera bona certam tuam vocationem & electionem facias *1. Petri 2.* & salvaberis.

CON-

CONTROVERSIA III.

De observatione Præceptorum Dei.

DOctrina Acatholica: Keiner halt dieses (nemlich das vierte) und andere Gebott, es kans auch niemand halten. Dr. Luther. *in Explicat. Decalogi Tom. 4. Jenens. fol. 522. De præcepto: Non mæchaberis*, dicit *fol. 526.* Dieß Gebott ist ein Laster-Bůchlein und ein Schand-Titel, schilt uns alle, niemand außgenommen, daß wir Hurentreiber sind, ob wirs gleich nicht für der Welt offentlich sind, so sind wirs doch im Hertzen. Demum concludit *fol. 532.* Also haben wir die Zehen Gebott, die uns alle zu Schalck und Buben machen für GOtt. Darum darff sich keiner berůhmen, daß er fromm sey für GOtt, sondern muß bekennen, daß er an allen Gebotten schuldig sey, wie sie lauten. Viderint ergo Lutheri asseclæ, quomodo non sint Idololatræ, homicidæ, fures, adulteri, scortatores &c.

DOCTRINA CATHOLICA:

Præcepta Decalogi ab homine servari possunt & debent.

INtellige 1. Servari posse tam perfectè, ut homo non peccet saltem mortaliter, possitque salvari. 2. Requiri auxilium gratiæ, ut observatio præceptorum prosit ad beatitudinem, non sufficientibus ad hanc solis viribus liberi arbitrii. Doctrina Catholica

Prob. I. *Matth. 19.* Unus accedens ad JEſum ait: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* cui dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* ergo ſervari poſſunt. Servaverunt Apòſtoli, ùt teſtatur Chriſtus *Joan. 17.* ſervaverunt Sancti; ergo & nos ſervare poſſumus.

II. Vel homo tenetur ſervare mandata Dei, vel non? ſi non: ad quid illa? ſi tenetur: ergo ſunt obſervatu poſſibilia; nemo enim ad impoſſibile tenetur. Unde S. Hieronymus *lib. contra Pelag.* ait: *Fatemur poſſibilia Deum mandâſſe, ne ipſe author Injuſtitiæ ſit, ſi exigat fieri, quod fieri non poteſt.*

Reſpondent: Hominem ſuâ culpâ, nempe per peccatum originale, obſervationem mandatorum Dei ſibi feciſſe impoſſibilem: adeóque adhuc peccare non obſervando, ſicut peccat non ſolvendo, qui ſolutionem fecit impoſſibilem. *Contra:* Per peccatum originale obſervatio mandatorum Dei quidem facta eſt difficilis, ſed non impoſſibilis; quod ſi facta eſſet impoſſibilis, homo peccâſſet cauſando impoſſibilitatem, non peccaret non obſervando, quando non poteſt, & ſtante impoſſibilitate obligari non poſſet. Si curſor propriâ culpâ fregiſſet tibîam, poſſétne à Principe ſuo obligari ad currendum? fractionem tibiæ punire poſſet Princeps, ad curſum non obligare.

Obje-

Objectiones Acatholicæ.

I. S. Petrus dixit *Actor. 15. Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* ℞. Textum loqui de Legalibus Mosaicis; cùm enim quidam discipulorum putarent totam Legem Moysis Gentibus conversis esse servandam, habitum est eâ super re primum Concilium, in quo Petrus decidit, Legem Cæremonialem non ampliùs esse servandam, quæ ab antiquis difficulter servabatur, non verò jugum erat simpliciter importabile.

II. S. Paulus fatetur *Romanor. 7. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio:* ℞. Loquitur de concupiscent a carnis adversùs spiritum: quamvis eâ perfectè liberari non potuerit ipse, sicut & nos, amissâ Justitiâ originali, non possumus; hæc tamen peccatum in eo non erat, neque est in nobis, si non adsit consensus: quia *non nocet sensus, ubi non est consensus.*

III. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. 1. Joan. 1.* ergo Legem nemo potest totam servare. ℞. *D. Conf.* Nemo potest viribus naturæ & ad longum tempus *C.* viribus gratiæ *Subd.* non potest esse absque peccato mortali *N.* absque omni veniali, iterum *Subd.* non potest esse per auxilia gratiæ ordinaria *C.* extraordinaria *N.* Solùm vult Scriptura hominem ordinariè non vivere absque omni peccato veniali, unde *Proverb. 24. Septies cadit justus.*

IV. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta &c. Matth. 15.* ergo, tametsi nonnulli exteriùs abstineant timore gladii, interiùs tamen in corde omnes sunt prævaricatores. Luther. *citat.* ℞. Peccata illa exeunt de corde omnium *N.* aliquorum *Subd.* liberè *C.* necessariò *N.* Omnes quidem homines præcepta Decalogi transgredi possunt, non tamen omnes transgrediuntur, saltem non omnia; & si transgrederentur, peccarent potentes non transgredi.

CONTROVERSIA IV.

De observatione Præceptorum Ecclesiæ.

DOctrina Acatholica: Es ist gewiß, daß der Pabst gar nicht Macht hat, noch die Kirche, zu setzen Gebott der Sitten oder guten Wercke. Luther. *artic. 37. Tom. 1. Jenens. fol. 425.* idem docet *fol. 385.* In unserer Willkühr stehet, Menschen Gesetz zu folgen oder nicht zu folgen, wir seynd auch nicht schuldig, sie zu halten. Sed *paulò antè fol. 166.* aliter: Der Einigkeit sollen wir acht nehmen, und bey leib nicht widerstreben den Päbstlichen Gebotten. & *infrà*: Dem Heiligen Römischen Stuhl sollte man in allen Dingen folgen. Ecce, quàm inconstans!

DOCTRINA CATHOLICA:

Præcepta Ecclesiæ sunt observanda.

PRob. I. Deus præcepit obedire Ecclesiæ & Summo Pontifici: ergo præcepta Ecclesiastica sunt observanda. *Prob. Ant.* Ex *Vet. Testam. Deuteronom.17. Qui superbiêrit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morietur homo ille.* Ex *Nov. Testam. Matth.15. Si Ecclesiam non audiêrit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et *Romanor. 13. Subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

II. Apostoli *Actor. 15.* præceperunt Gentibus conversis abstinere ab immolatis simulachrorum & sanguine & suffocato. Ecclesia & Summi Pontifices primis temporibus varia dederunt præcepta & decreta morum, ùt patet ex Jure Canonico. Jejunium quadragesimale cepit per Traditionem Apostolicam, quis enim alius instituit? ergo Ecclesia & Summi Pontifices possunt præcipere. Primi Christiani præcepta Ecclesiæ habuerunt, habentes observaverunt, & bene; cur non & nos? Audiant refractarii hæretici S. Paulum *Romanor. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* atqui illi potestati Ecclesiasticæ, consequenter Dei ordinationi resistunt: ergo damnationem acquirunt.

Objectiones Acatholicæ.

I. DEuteronom. 12. ait Dominus: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, non addas quidquam, nec minuas*: ergo non sunt addenda præcepta Ecclesiæ. ℞. *N. Conf.* Deus solùm inhibuit, præceptis suis à Judæis aliquid addi ex ritu gentilium, inter quos vixerant in Ægypto; in Lege autem Nova præcepit obedire Ecclesiæ & Præpositis, adeóque præcepta eorum servari.

II. Christus *Marci 7.* ait: *In vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* ℞. Loquitur de Pharisæis & Scribis; qui relinquentes mandatum Dei tenebant traditionem hominum. Vide *locum citat.*

Matth. 15. docet Christus: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* & *Lucæ 10.* ait: *Manducate, quæ apponuntur vobis. 1. Corinth. 10.* docet Apostolus: *Omne, quod in Macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*: ergo præcepta jejuniorum non ligant. ℞. Ad 1.) Quod intrat in os, non coinquinat, si sumatur physicè & materialiter *C.* si formaliter, quatenus prohibitum *N.* aliàs nec pomum coinquinâsset Evam. Ad 2.) Christus monet discipulos, ut euntes in mundum & prædicantes, sint contenti cibis appositis: non vult, ut manducent prohibitos; aliàs Apostoli *Actor. 15.* frustrà præcepissent abstinentiam ab immolatis simulachrorum & sanguine & suffocato. Ad 3.) Docet S. Paulus Corinthios, quod carnes in macello securè emere & manducare possint, non obligati in con-

scien-

ſcientia interrogare, an fuerint idolis immolatæ, quæ prohibitæ *Actor. 15.*

CONTROVERSIA V.
De bonis Operibus.

DOctrina Acatholica: Ein frommer Mensch sündiget in allen guten Wercken. Dr. Luther. *artic. 31. Tom. 1. Jenens. fol. 427.* Ein gut Werck aufs allerbeste gethan, ist dannoch eine tågliche Sünde. Idem Luther. *artic. 32. fol. 428.* ubi articulum explicans ait: Ein gut Werck auf das beste gethan, ist eine tågliche Sünde nach der Barmhertzigkeit, und eine Tod-Sünde nach dem strengen Gericht GOttes. Ex hac Doctrina impia inter varia abſurda ſequitur: bona opera non eſſe neceſſaria ad beatitudinem, imò impedire. Aliter ſentiunt Catholici, nam eſt

DOCTRINA CATHOLICA I.
Dantur Opera ita bona, ut non ſint peccata.

PRob. I. Sacra Scriptura imperat & ſuadet bona opera: ergo non ſunt peccata. *Prob. Ant.* ait enim *2. Petri 1. Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Iſa. 1. Quieſcite agere perversè, diſcite bene facere.* Plures Textus ſi velis, aperiens Biblia ubique invenies.

II. Si quodlibet opus bonum ſit peccatum, ſequitur 1. eſſe opus bonum & non eſſe: eſſe,

ùt supponitur; non esse, quia peccatum. 2. Deum præcipiendo opera bona præcepisse peccata, adeóque hæc velle. 3. Hominem faciendo opus bonum peccare, adeóque nullum opus bonum esse faciendum &c. Hæc sunt falsa, impia, absurda: ergo etiam Doctrina Acatholica, ex qua sequuntur.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Bona opera adultis ad beatitudinem sunt necessaria.

INtellige (1.) de operibus moraliter bonis & meritoriis, sive procedentibus ex viribus gratiæ, non solius naturæ; unde non excludimus fidem, nec merita Christi, quasi omnem ponentes fiduciam in operibus: hæc enim sine illis nulla. (2.) De operibus cadentibus sub præceptum; non enim ad beatitudinem necessaria sunt opera supererogatoria, v. gr. vota, jejunia, cilicia, peregrinationes & similia, quæ nullibi præcipiuntur, sed vel suadentur, vel sponte suscipiuntur. De operibus sic intellectis

Prob. I. Adultus sine bonis operibus non potest obtinere beatitudinem: ergo ad eam sunt necessaria. *Prob. Ant. ex Sacra Scriptura Matth.* 7. dicit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* & *infrà vers.* 21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine! Domine! intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit. Matth.* 19. *Si vis ad vitam*

tam ingredi, serva mandata, atqui facere voluntatem Patris, qui in cœlis est, facere fructum bonum, servare mandata, &c. sunt opera bona: ergo sinè his non potest obtineri beatitudo. Ad hæc

Dicunt Lutherani: Bona opera esse necessaria tantùm necessitate præcepti & ratione voluntatis divinæ, non per modum meriti & medii ad beatitudinem. ℟. Sufficit, modo sint necessaria ad salutem. Sed tamen: ad quid à Deo præcepta, si non per modum meriti & medii? audiant: *Romanor. 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Beatitudo in Sacra Scriptura *Matth. 5.* dicitur *merces: 2. Timoth. 4. Corona Justitiæ: Matth. 20. denarius diurnus: Matth. 16.* Filius hominis *reddet unicuique secundùm opera ejus:* ergo opera bona sunt ad beatitudinem necessaria non nudè necessitate præcepti, sed etiam per modum meriti & medii.

II. In ultimo Judicio Christus dicet his, qui à sinistris erunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, Matth. 25.* causa subditur: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* ergo damnantur, qui non faciunt opera, etsi habeant fidem. Unde & S. Jacob. *cap. 2.* ait: *Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; nunquid fides poterit eum salvare?* & *infrà versu 26. Fides sinè operibus mortua est.*

Objectiones Acatholicæ.

I. F*Acti ſumus ùt immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ Juſtitiæ noſtræ, Iſa. 64. Non eſt juſtus, qui faciat bonum, & non peccet, Eccleſ. 7.* ergo opera juſtorum ſunt peccata. ℞. Ad 1.) Prophetam loqui de Judæis pro tempore, quo propter peccata ducendi erant in captivitatem Babylonicam; pro illo juſtitias omnium (ſumendo more ſcripturiſtico *Omnes* pro *multis*) per peccata mortificatas dicit quaſi pannum menſtruatæ. Ad 2.) Non eſt juſtus, qui faciat bonum & non peccet in opere bono *N.* in alio ſaltem leviter *C.* & *N. Conſ.*

II. Chriſtiani non ſunt ſub Lege; nam *Romanor. 6. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. 2. Corinth. 3. Ubi Spiritus, ibi libertas. 1. Timoth. 1. Juſto non eſt lex poſita:* ergo præter fidem non ſunt neceſſaria bona opera Legis. ℞. Chriſtiani non ſunt ſub Lege Moſaicâ *C.* Chriſtianâ *N.* Sic & ℞. *ad Text. 1. citat. Romanor. 6.* Ad 2. ubi Spiritus, ibi libertas à peccato & timore *C.* ab omni præcepto *N.* Ad 3. Juſto non eſt lex poſita coactivè, ſponte eo legem obſervante *C.* non directivè, lege eum dirigente *N. Ant. & Conſ.*

III. Promiſſiones Evangelii ſunt gratuitæ: nam *Tit. 3. Non ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit:* ergo non ſunt ſub conditione operum. ℞. *D. Ant.* Sunt gratuitæ quoad elevationem & ordinationem hominis ad finem ſupernaturalem & ipſam conditionem fidei & operum, ſub qua implentur

tur C. quoad consecutionem finis supernaturalis, seu vitæ æternæ N. Gratuitò Deus hominem ordinavit ad statum supernaturalem, gratuitò redemit; ast vitam non dabit, nisi positâ conditione operum: ait enim Christus *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

IV. Beatitudo datur nobis gratìs ex gratia & misericordia; nam *Gratia Dei vita æterna, Romanor. 6.* ergo non propter opera. ℟. *N. Ant. ad prob. dico:* Gratia Dei vita æterna formaliter *N.* causaliter per opera, in ea fundata *C.*

V. Vita æterna vocatur *Hæreditas Ephes. 5.* hæreditas autem datur sinè meritis: ergo. ℟. Vocatur hæreditas tantùm *N.* etiam merces & corona Justitiæ *C.* Vita æterna non datur nisi filiis Dei, & sic est hæreditas; non datur nisi operariis, & sic est merces. Unde, dum *Romanor. 8.* dicimur hæredes Dei, cohæredes autem Christi, additur: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

VI. Inter opera nostra & gloriam sempiternam non est proportio: *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, Roman. 8.* ergo hæc non datur pro operibus tanquam merces. ℟. Non est proportio, si opera nostra secundùm se spectentur & materialiter; est tamen, si spectentur, ùt procedunt ex gratia Dei, ejúsque connotant acceptationem & promissionem; de illis sic sumptis habetur *2. Corinth. 4. Quod in præsenti est momentaneum & leve*

tribu-

tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

CONTROVERSIA VI.

De Justificatione.

DOctrina Acatholica: Wir werden nicht gerechtfertiget durch Wercke, durch Büßen oder Beichten. Dr. Luther. *de Confess. artic. 7. Tom. 1. fol. 543.* Der Mensch wird allein gerecht durch den Glauben, *Tom. 1. fol. 228.* Lutherum sequitur *Confess. Augustan. artic. 4.* his verbis: *Homines gratis justificantur propter Christum per fidem.* Unde Lutherani duplicem distinguunt fidem, unam vocant Historicam vel dogmaticam, alteram promissionum: *Prima* est, quâ homo credit vera esse, quæ à Deo sunt revelata. *Secunda* est, quâ credit seu potiùs confidit, peccata sibi esse remissa per merita Christi; hanc ultimam dicunt esse justificantem.

DOCTRINA CATHOLICA:

Fides sola non justificat.

I*Ntellige*: ut homo justificetur; sive ex peccatore fiat justus, non sufficit sola fides promissionum, seu specialis fiducia, quâ homo confidit, peccata ex meritis Christi sibi esse remissa; sed requiritur fides, eáque dogmatica, quâ homo assentitur omnibus, quæ & quia Deus revelavit, & præter fidem requiruntur spes, amor Dei, pœnitentia seu dolor de peccatis,

tis, propositum emendationis &c. requiruntur autem non tanquam opera meritoria de condigno justificationis, sed solùm tanquam dispositiones ad eam ex meritis Christi accipiendam. Doctrina Catholica

Prob. I. Scriptura ad Justificationem præter fidem requirit *Spem*, *Romanor. 8. Spe salvi facti sumus:* requirit *Charitatem*, *1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum*, requirit *timorem Dei: Eccles. 1. Qui sinè timore est, non poterit justificari:* requirit *Pœnitentiam*, *Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis &c.* ergo non sola fides justificat.

II. *Ex Epist. S. Jacobi cap. 2. Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Ex Roman. 2. Factores legis justificabuntur.*

III. *Fides sola justificat*, dicunt Lutherus & Lutherani. *Infero* (1.) Ergo non est angusta porta, quæ ducit ad vitam; solâ enim justificante fide, intrare facilè est, imò omnes intrabunt (si superis placet) Lutherani; omnes enim habent fidem promissionum. (2.) Ergo quilibet salvari poterit sinè Confessione, sinè pœnitentia, sinè charitate, sinè observantia mandatorum; sinè his enim esse potest fides promissionum, seu justificans: vel si non possit, non sola justificat. (3.) Ergo cessabit exercitium virtutum, porta aperietur vitiis; solâ enim justificante fide, hæc loco virtutum sufficit, & vitia tegit; imò ex confidentia homo facilis

facilis erit ad peccandum. Unde Lutherus *in Epist. ad Melanchton.* ſcribit : *Pecca fortiter, ſed fortiùs fide ; ſufficit, quod agnovimus agnum, qui tollit peccatum mundi, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamſi millies millies uno die fornicemur.* & *Tom. 1. Jen. fol. 240.* GOtt iſt den Sündern nicht feind, dann allein den Unglaubigen. Ecce, quàm falſa, quàm abſurda ex Doctrina Acatholica!

Reſpondent : Fidem ſemper connotare bona opera non antecedenter ad juſtificationem, ſed conſequenter tanquam ſignum fidei & effectum juſtitiæ obtentæ, & ſic fidem à S. Jacobo vocari mortuam, quam bona opera non ſequuntur. *Contra eſt* : Bona opera ad juſtificationem requiruntur pro priori tanquam diſpoſitiones, eo modo, quo requiritur fides ; nam ſinè charitate, pœnitentia, dolore, propoſito non fit juſtificatio, ùt patet *ex Textibus citatis.* Quodſi non præcedant, etiam non infallibiliter ſequuntur ; quæ enim inter fidem & opera eſt neceſſaria connexio ? quàm multi fidem habent fiducialem, opera non habent ; *Matth. 25.* damnantur non propter defectum fidei, ſed operum.

Objectiones Acatholicæ.

I. FIde juſtificari hominem, docet Scriptura *Galat. 3. Ex fide juſtificat gentes Deus. Actor. 13. In Chriſto omnis, qui credit, juſtificatur* : ergo. ℞. Scriptura citata docet, hominem juſtificari fide, abſtrahendo à bonis operibus, quæ requirit alibi

alibi C. excludendo bona opera N. Scriptura dicit, hominem justificari *Charitate, Luc. 7. Spe, Romanor. 8. Pœnitentiâ, Luc. 13.* & tamen ex his locis non sequitur, bona opera justificare sinè fide: ergo nec ex prioribus sequitur, fidem justificare sinè bonis operibus.

II. Scriptura etiam excludit opera à justificatione; ait enim *Romanor. 3. Arbitramur hominem justificari per fidem sinè operibus Legis.* Item *Romanor. 3. Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* ℞. Excludit opera Legis cæremonialis Mosaicæ, opera naturæ, seu liberi arbitrii C. Opera Legis gratiæ, seu facta ex fide in Christum & ex gratia Dei N. De his ultimis dicit S. Jacobus *cap. 2. Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

III. Ad Magdalenam dixit Christus Ipse *Luc. 7. Fides tua salvam te fecit.* ℞. Dixit etiam de illa *cap. eodem: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Unde non fides nuda Magdalenam salvam fecit, sed fides charitate formata.

IV. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Matth. 16.* ℞. *Joëlis 2.* dicitur: *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit;* an ideo sufficit sola invocatio sinè fide? non: sic & non sufficit fides sinè invocatione, sive bonis operibus. Unde *distinguo Ant.* Qui crediderit fide, charitate formatâ, salvus erit C. qui crediderit fide sterili & informi &c. N. *Ant.* & *Conf.*

CON-

CONTROVERSIA VII.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

DOctrina Acatholica: *Scriptura non docet invocare Sanctos, aut petere auxilium à Sanctis.* Ita *Confess. Augustan. artic. 21.* Lutherus *in Evang. Dom. 23. post Pentecost.* omnem cultum & venerationem Sanctorum vocat rem diabolicam; ast catholicè loquitur *Tom. 1. Jenens. fol. 165.* Ich sage und halte fest mit der gantzen Christenheit, daß man die liebe Heilige ehren und anruffen soll. Pro Doctrina Catholica

Nota 1. Cultum, seu adorationem esse contestationem excellentiæ in altero, cum debita animi submissione. Cultus alius est *Politicus*, alius *Sacer* seu *Religiosus*: *Primus* exhibetur propter excellentiam naturalem vel civilem, & competit Regibus, Principibus, &c. *Secundus* exhibetur propter excellentiam supernaturalem, & quidem si exhibeatur propter excellentiam divinam ac supremam, vocatur *Latria*, competens soli Deo; si propter excellentiam supernaturalem gratiæ & gloriæ, vocatur *Dulia*, competens Sanctis; si propter excellentiam creatam specialem, vocatur *Hyperdulia*, quæ cultus major Duliâ, competens Humanitati Christi propter unionem hypostaticam, & B. V. Mariæ propter maternitatem Dei.

Notá 2. An cultus seu adoratio sit Latria vel Dulia, non ex actionibus externis, v. gr. genufle-

nuflexione, inclinatione, &c. discernendum esse, sed ex intentione colentis seu adorantis; si enim quis Deum adoret, Eique se submittat propter excellentiam in Deo infinitam, erit *Latria*; si Sanctos colat propter excellentiam & Sanctitatem eis intrinsecam, erit *Dulia*, & quidem *absoluta*; si imagines vel reliquias propter excellentiam Sanctorum, quorum sunt imagines vel reliquiæ, erit *Dulia respectiva*, quâ Sancti coluntur in imaginibus & reliquiis suis, non imagines & reliquiæ secundùm se.

DOCTRINA CATHOLICA I.

Licitus est cultus Sanctorum.

INtellige: Sanctos tanquam Dei amicos, nostrosque apud Ipsum Intercessores colere licet; qui non vult, non tenetur.

Prob. I. Abraham *Genes. 18.* adoravit scil. cultu Duliæ duos Angelos sibi apparentes. Idem fecit Loth *Genes. 19.* Item Josue, cùm vir, qui apparebat, dixisset se Angelum esse, cecidit pronus in terram & adoravit *Josue 5.* ergo licet colere Angelos; si Angelos, cur non & Sanctos.

II. Deus ipse glorificat glorificantes se *1. Reg. 2.* honorificat amicos suos *Joan. 12.* Item primitiva Ecclesia Sanctos coluit, templa in honorem eorum erigendo, festa celebrando, peregrinationes instituendo &c. ergo licitus est cultus Sanctorum.

DOCTRINA CATHOLICA II.

Licita pariter est Sanctorum invocatio, eáque utilis.

INtellige 1. Solum Deum esse invocandum tanquam rerum omnium Dominum; Sanctos solùm invocari tanquam Intercessores & Patronos, ut pro nobis Deum orent. 2. Sanctorum invocationem non esse necessariam ad salutem, sed utilem ad faciliùs obtinendum.

Prob. I. Angeli sunt invocati; nam *Genes.* 48. Jacob invocavit pro benedictione filiorum Joseph dicens: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Osea* 12. *Jacob invaluit ad Angelum, flevit, & rogavit eum. Genes.* 19. dixit Angelus ad Loth: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es:* ergo etiam Sancti in cœlo invocari possunt; cur enim Angeli, & non Sancti?

II. *Apocalyps.* 5. dicitur: *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum. Baruch.* 3. Judæi ita precabantur: *Domine omnipotens, Deus Israël, audi nunc Orationes mortuorum Israël, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te.* ergo Sancti orare possunt & oraverunt pro vivis.

III. Viventes possunt orare pro viventibus, licetque viventes invocare; si viventes in terra, cur non Sanctos in cœlo? imò potiùs, hi enim sunt amici Dei, Eumque vident facie ad faciem.

Respon-

Respondent: Sanctos in cœlo non cognoſcere viventium preces in particulari; adeoque nec in particulari pro nobis poſſe intercedere, licèt poſſint in genere. *Contra eſt: Luc. 15.* dicitur: *Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente:* ergo Angeli in cœlo cognoſcunt preces noſtras: ergo etiam Sancti. Sed quomodo? ℞. Cognoſcunt vel in Eſſentia Divina, quatenus eam videndo vident in ea, quidquid Deus vult oſtendere; vel ex revelatione Dei, quatenus neceſſitates & preces noſtras Deus Sanctis manifeſtat: ſive autem hoc modo, ſive altero Sancti cognoſcant preces noſtras, parum refert; ſufficit quod cognoſcant.

IV. Ad invocationem Sanctorum Deus varia conceſſit beneficia; ſic teſtantur Hiſtoriæ, teſtantur etiamnum pii homines; aliqui, ſe impetrâſſe ſanitatem corporis; alii, liberationem à periculis; alii, alia bona & dona: ergo manifeſtum eſt, Deo placere invocationem Sanctorum, eámque hominibus eſſe utilem.

Objectiones Acatholicæ.

I. S*Oli Deo honor & gloria 1. Timoth. 1.* ergo præter Deum non ſunt colendi Sancti cultu ſacro. ℞. *D. Conſ.* Sancti non ſunt colendi cultu ſacro Latriæ *C.* Duliæ *N.* Scriptura citata à cultu ſacro excludere vult idola, non Sanctos.

II. *Apocalypſ. 22.* Angelus noluit adorari à S. Joanne, dicens: *Vide, ne feceris, conſervus enim tuus ſum, Deum adora:* ergo nec cultu Duliæ colendi

lendi sunt Sancti. ℞. *N. Conf.* Vel enim S. Joannes erravit in persona, putans esse Deum, quem adorare voluit; vel Angelus adorationem Duliæ admittere noluit ex reverentia erga S. Joannem, sciens eminentiam dignitatis & sanctitatis in ipso.

III. Catholici Sanctos colunt sacrificiis, templis, altaribus, votis, thurificatione &c. ergo committunt idololatriam: nam cultus ille soli competit Deo. Item Virginem Mariam vocant *Mediatricem, Redemptricem, &c.* solus autem Christus & Mediator noster & Redemptor. ℞. Colunt Sanctos sacrificiis, templis, altaribus, &c. primariò *N.* secundariò *C.* Sacrificium offertur soli Deo, Eique eriguntur templa & altaria; secundariò iis coluntur Sancti, quatenus fiunt in memoriam & honorem Sanctorum, adhibentúrque preces ad Sanctos, ut Deum colentes in Sanctis, accedente eorum patrocinio, faciliùs impetremus, quod petimus. B. V. Maria vocatur Mediatrix, Redemptrix, &c. non in sensu proprio, in quo Christus, sed quatenus mater Redemptoris ad redemptionem nostram mediatè concurrit.

IV. Scriptura non meminit, Sanctos esse invocandos: ergo non sunt invocandi ex parte Scripturæ. ℞. 1. *N. Ant.* Tametsi enim invocatio Sanctorum non sit de præcepto, esse tamen licitam & utilem, habent probationes nostræ ex Scriptura *suprà.* ℞. 2. *Transf. Ant.* ex eo non sequitur: Sanctos non esse invocandos.

Luthe-

Lutherani baptizant infantes, fatentur Sanctos in cœlo generaliter pro nobis orare, & tamen non plùs horum meminit Scriptura. Multa ergo rectè fiunt, quæ in Scriptura non exprimuntur; sufficit, non esse contra Scripturam, nec contra aliquam legem aut rationem.

V. Dominus dicit *Psal. 49. Invoca me, eruam te, & honorificabis me.* 2. Ipsemet scit necessitates nostras & paratus est succurrere: ergo Sancti non sunt invocandi ex parte Dei. ℞. *N. Cons.* Nam *ad* 1. *dico:* invocantes Sanctos, invocamus mediatè nempe per ipsos Deum. *Ad* 2. Scit Deus necessitates nostras & paratus est succurrere; sed sæpe non sumus digni, qui exaudiamur, ideoque invocamus Sanctos, per eos tanquam Dei amicos impetraturi, quod non valemus per nos.

VI. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus JEsus* 1. *Timoth.* 2. (2.) *Per ipsum habemus accessum ad Patrem Ephes.* 2. (3.) Merita Christi sunt infinita, & ex illis oportet nos consequi gratiam & gloriam: ergo Sancti non sunt invocandi ex parte Christi. ℞. Utique Christus est Mediator noster; per Ipsum accessum habemus ad Patrem; ex meritis Ipsius accipimus; sed non omnes æquè facilè; requiritur meritorum applicatio: ut igitur mediationis & meritorum Christi reddamur participes, Sancti orant pro nobis, útque orent, nos invocamus. Unde ad argum. *N. Cons. ad* 1. *dico: Unus est Mediator Christus:* puta, unus Mediator *re-*

 demp-

demptione & *principalis*, Sancti sunt Mediatores *intercessione* & Christo *subordinati*. *Ad* 2. *per ipsum habemus accessum ad Patrem*: puta, per Christum tanquam Redemptorem, per Sanctos tanquam intercessores. *Ad* 3. Etiam consequimur dona supernaturalia ex meritis Christi, dum Sancti pro nobis intercedunt; hi enim pro nobis rogant non per sua, sed Christi merita.

VII. Sancti nihil sciunt de precibus nostris in particulari; nam *Eccles.* 9. *Mortui nihil noverunt amplius. Isa.* 63. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* (2.) Sancti in cœlo pro meritis suis receperunt præmium, & nihil amplius mereri possunt. (3.) Sæpe invocantur frustra: ergo Sancti non sunt invocandi ex parte ipsorum. ℞. *Ad* 1. Sanctos scire necessitates & preces nostras, patet ex dictis *pag.* 147. Textus in oppositum citati loquuntur de cognitione naturali. Textus ex *Isaia* tropologicè loquitur de scientia approbationis quoad mores, quâ Abraham nescivit Judæos, quando ducebantur in captivitatem. *Ad* 2. Sancti non amplius merentur, sed meriti sunt in vita, & præter præmium essentiale, quod visio intuitiva Dei, acceperunt accidentale, ad quod spectat, pro nobis posse intercedere & exaudiri. Quemadmodum belli Dux emeritus, quamvis in aula Regis non amplius mereatur, pro aliis tamen efficaciter potest intercedere propter merita in bello. *Ad* 3. Sæpe malè peti-

petimus, vel malum nobis, quid mirum, si non exaudiamur? Deum Ipsum sæpe invocamus frustra, & tamen est invocandus; ad Cujus honorem & gloriam sit Controversiarum harum, quas subjectas volo judicio atque censuræ Sanctæ Ecclesiæ Controversiarum Judici, (utinam & omnium, ut unus sit Pastor & unum ovile,)

FINIS.





INDEX I.
Capitum & Controversiarum.

CAPUT I.
Controversiæ cum Atheis, Paganis, Mahometanis, & Judæis.

CAPUT II.
Controversiæ cum Hæreticis in communi.

CAPUT III.

CAPUT III.

Controversiæ de Vera Ecclesia, Summo Pontifice, & Ecclesiæ Ministris.

CAPUT IV.

Controversiæ de Sacra Scriptura, Traditionibus, Judice Controversiarum, & Sacramentis.

CAPUT V.

Reliquæ Controversiæ quæ sunt hujus temporis.






INDEX II.
Rerum præcipuarum.

Specie









THEOLOGIA
SPECULATIVA
MORALIS
BRINCKMANN

MDCCLVIII